REVERENDI PATRIS D. IOANNIS FERI, IN TOTAM GENESIM, non minus eruditæ, quàm catholicæ enarrationes.



LOVANII,

Excudebat Seruatius Saßenus, Sumptibus hæredum Arnoldi Birckmanni, & Francisci Bohemi & sociorum. 1565.

Cum Gratia & Priuilegio C.M. ad decennium, & Regis Catholici ad annos quatuor.

REGIAE Maiestatis priuilegio cautum est, Ne quis alius præter Seruatiũ Saßenum, hæc Reuerendi patris F. Ioannis Feri, cõmẽtaria super Genesim, imprimat aut excudi procuret, aut alibi excusa importet, distrahat aut vendat per annos quatuor. Præuaricatori confiscatio istiusmodi librorum, & grauis mulcta pecuniaria in pœnam constituta. Iuxta literas eidem Seruatio Saßeno à R. M. conceßas, Dat. Bruxellis 6. Nouembris. 1562. Signat.

I. de Perre.

Lectus hic liber, admißus & approbatus est, ab Eximio Sacræ Theologiæ Doctore F. Ioanne Hentenio Dominicano.

PRAEFATIO
AVTHORIS, IN LIBRVM Genesios.

Psal.33. *Gustate & videte quoniam suauis est Dominus. Beatus vir qui sperat in eo. Timete dominum omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum.*

Monet nos Diuus Paulus vt deinceps non terrena, sed ea quæ sursum sunt, vbi Christus est in dextera Dei se-
Col.3. dens, quæramus & sapiamus, si tamen verè cum Christo surreximus, hoc est, si verè Christiani sumus. Quo verbo satis innuit, ideo nos in Ecclesia esse, imo nos homines esse, vt spiritualia, id est, quæ ad animæ salutem faciunt quæramus. Qui enim aliud quippiam in publicis concionibus, in Christianismo, imo in mundo quærit, is nescit cur Christianus, imò cur homo sit & vocetur. Quamuis autem Diuus Ioannes quem hactenus enarrauimus, satis supérque ea quæ ad salutem nostram faciunt ostenderit, non tamen satis

tis

tis eſt ſemel ea audiſſe. Maximè hoc nouiſsimo tempore, in quo (proch dolor) videmus quàm apertiſsime impleri illud, quod Chriſtus de nouiſsimis temporibus prædixit, nempè audituri eſtis prælia & opiniones præliorum. Itemq; illud: Multi pſeudoprophetæ ſurgent & ſeducent multos, &c. Sed & illud: Abundabit iniquitas, & refrigeſcet charitas. Atqui vbi plurima ſunt & imminent mala, ibi maiori & frequentiori opus eſt admonitione. Vbi multi laquei & errores, ibi maiori opus eſt cautela. Vbi autem abundare incipit iniquitas & refrigeſcere charitas, ibi maiori inſtãtia verbum Dei prædicandum eſt. Hinc Paulus Timotheum monet: Inſta oportunè, importunè: argue, obſecra, increpa, &c. Si hoc ſuo tempore dixit, quid nunc diceret & faceret? Summa: Verbum Dei ſemper prædicandum eſt in Eccleſia: tum quia ex ipſo ſolo viuit anima & vegetatur (Iuxta illud: Non in ſolo pane viuit homo, ſed in omni verbo quod procedit de ore Dei) tum vt armemur contra aduerſarias poteſtates & tentationes. Arma ſiquidem militiæ noſtræ non carnalia ſunt, ſed ſpiritualia, potẽtia Deo ad deſtructionẽ munitionũ, &c.

Mat. 24.

2. Tim. 4

Deut. 8.

Armamentarium autem noſtrum vnde ſpiritualia hæc arma ſumere poſſumus, ſcriptura ſacra eſt. Quam ob rem ego cum poſt aliquot librorum noui teſtamenti qualemcunque enarrationem, diu multumque mecum cogitaſſem, quid nam deinceps rudi popello proponerem, quod & capere poſſet & fructuoſum eſſet, tandem placuit ad vetus tranſire teſtamentum, non quod nouum teſtamentum ad doctrinam ſalutis non ſufficiat, ſed vt vel ſic diſcamus, imo ad oculum videamus, fidem noſtram ſanctiſsimam non eſſe nouam & nuper inuentam, ſed veterem & antiquiſsimam probatiſsimamque. Deinde vt videamus non ſolos nos ad pietatem & ſanitatem, Deoque dignam vitam induci, cum idem ſtudium fuerit piis omnibus ab exordio mundi. Quanquam autem vt Paulus
2.Tim. 3. ait: Omnis ſcriptura diuinitus inſpirata vtilis ſit ad docendum arguendum, &c. Maximè tamen viſus eſt, & propoſito meo & tempori noſtro congruere primus ille liber Moſi, quem Hebræi Breſith, nos Geneſim vulgo aut librum creationis dicimus. Hunc igitur enarraturus non incon-
Pſal. 33. gruè verba hæc Dauidis propoſui: Gu-

ſtate

ſtate & videte,&c. Hoc enim potiſsimum in hoc libro ſpectandum erit, quod Dominus ſcilicet ſuauis eſt, & quod beati ſint omnes qui in ipſum ſperant. Sed de hoc infra. Nunc breuiter videamus quis ſit author huius libri, cur Geneſis vocetur, & quis ſit eius ſcopus.

Authorem igitur liber hic non qualemcunq; habet, ſed fide dignisſimũ, ipſum ſcilicet legislatorẽ ſummũ Moſen, qui qualis quantuſque fuerit, ipſa ſcriptura ſatis oſtendit. Hic enim Moſes primum eruditus fuit in omni ſapientia AEgyptiorum, vt Stephanus ait. *Act. 7.* Deinde tantæ fuit deuotionis, vt cum adoptatus eſſet à filia Pharaonis, magis tamen elegit cum populo Dei affligi, *Heb. 11.* quam tẽporalis peccati habere iocunditatem, maioreſq; diuitias æſtimauit theſauro Aegyptiorum improperiũ Chriſti. Præterea tantæ fuit iuſtitiæ & æmulationis, vt etiam priuſquã ad liberandi populi munus vocaretur, naturali æquitatis ſtudio prouocatus, accipientẽ iniuriã de popularibus ſuis vltus, inuidiæ ſe dedit, & in exilium abiit. Denique talis ac tantus fuit, vt Deus ipſi appareret in deſerto. *Exod. 2.* Ipſe à Deo dux populi conſtitutus eſt. Ipſe à Deo audiuit: *Exod. 4.*

Ego ero in ore tuo, & docebo te quid loquaris. Ipſe quadraginta diebus cum Deo in monte fuit. Ipſe eſt de quo Deus ipſe di-
Num. 12. xit: Si quis fuerit inter vos propheta in viſi-
Deut. 34. one apparebo ei, vel per ſomnium loquar ei. At non talis ſeruus meus Moſes, qui in omni domo mea fideliſsimus eſt. Ore enim ad os loquor ei. Palam & non per ænig-
Exo. 33. mata Deum videt. Deniq; de ipſo dicit ſcriptura: Nõ ſurrexit vltra propheta in Iſrael, qui noſſet dominum facie ad faciem ſicut Moſes, &c. Quid igitur mirum, ſi talis tantuſq́; certius quiddam de prima rerum creatione tradiderit, quàm philoſophi. Imo quis non hunc fide dignũ iudicet, cum quo Deus ipſe locutus dicitur, ſicut loqui ſolet homo ad amicum ſuum? Sed de ipſius authoris commendatione ſatis dictum.

Nulli autem dubium eſſe poteſt, quin inſtigante Deo & hunc & alios libros ſcripſerit. Imo ſcriptura planè affirmat, Deũ præ-
Exo. 17. cepiſſe, vt verba Dei ſcriberet Moſes. Scribe ait hoc in monimentum, &c. quo vel ipſo inſigniter nobis mõſtratur Dei bonitas, non ſolum enim per ſeipſum hominibus locutus eſt piis, vt Noe, Abraham, &c. Verùm etiam poſtquam in magnã maliciam

omne

omne hominum genus degenerauerat, nec ſic tamen ſe totum ab hominibus alienauit, quanquam eius familiaritate indigni facti erant, tamen alio modo ſuam erga eos amicitiam innouari volens, quaſi longè abſentibus literas miſit, cōciliaturus ſibi vniuerſam hominum naturam. Deinde etiam ex literarum & ſcripturæ vtilitate poſſumus Dei bonitatem æſtimare. Nihil enim eſt in mundo, in vniuerſa multitudine rerum viſibilium, quod humanæ menti ad cognoſcendum creatorem ſuum, tam efficax, tam vtile, tamq; certum præbeat adiumētum vt literæ, hæc enim quantumuis parua ſigna, de præterito narrant, de præſenti demonſtrant, de futuro ſeculo annunciāt, & quod ſummum eſt, creatoris, non ſolum omnipotentiam aſſeuerant, verum etiam voluntatem nobis intimant; & quoties volumus Deus nobis per hæc ſigna loquitur. Magna igitur gratia Dei, quod homini non ſolum dedit, vt poſsit meditari verbum Dei, ſed etiam dedit linguam eruditam, vt poſsit idipſum eloqui, denique & manum, vt poſſit verbum Dei ſcribere, & ab aliis ſcriptum legere. Cæterum liber hic Geneſis dicitur, vel liber creationis, nō quod ſolam

rerum creationem contineat, ſed quod in exordio creationem rerum tractet. Solent enim Hebræi ab exordijs, imo plerunque à primis dictionibus totum librum appellare, maximè in libris Moſi, ſic enim à prima dictione Breſith. i. in principio, totus liber Geneſis Breſith dicitur apud Hebræos. Sic à prima dictione Veelleſemoth, id eſt, & hæc ſunt nomina, totus Exodus dicitur Veelleſemoth. Sic de aliis. Sic nos more Hebræorum, à primo capite huius libri totum librum nominamus Geneſim. Vel ſecundum alios, ideo liber hic Geneſis dicitur, quia cum generationibus cæli & terræ, vtramque etiam generationem eloquitur, vnius eiuſdem Dei & hominis Chriſti. Diuinitatis namq; geniturám in eo tetigit, quod Gene. 1. de ſingulis ait: Dixit Deus, fiat & factum eſt. Generationem autem humanitatis Chriſti in eo exprimit, quod ad Abraham dixit: In Gene. 22. ſemine tuo benedicentur omnes gentes.

Reſtat igitur vt ſummam eorum quæ in hoc libro docentur paucis proponam, quo attentiores ſitis.

Primò igitur in hoc libro audietis, quid ſit Deus, vnde ortum habuerint creaturæ, maximè autem homo, vnde ortum habuerit pecca-

peccatum, mors & afflictio, quæ omnia ſcitu perneceſſaria ſunt. Deinde audietis inſignes quaſdam de Chriſto promiſsiones, quibus patrum fides innitebatur, quæ vel ſolæ hunc nobis librum commendatiorem reddere deberent. Præterea habebitis in hoc libro inſignia exempla & ſeueritatis Dei in impios, & bonitatis in pios, quorum alterum, niſi planè lapides ſimus, timorem incutiet, alterum amorem.

Omnium maximè autem videbitis in hoc libro pulcherrima fidei & charitatis; & patientiæ, atque adeo veræ pietatis exempla in ſanctis illis patribus, atque ea tam copioſa, vt nullum genus hominum ſit, quod non hic doceatur. Ex huiuſmodi enim exemplis videbis quales nos gerere oportet erga Deum, erga nos ipſos, erga parentes, erga vxores, erga filios, erga fratres, erga dominos, erga æquales, erga ſeruos, erga hoſpites, erga mortuos, erga iuuenes & ſenes, erga credulos & incredulos, erga iuſtos & peccatores, erga amicos & inimicos, erga ſacerdotes & prophanos, &c.

Atque ob eam cauſam vel maxime hunc librum enarrandum aſſumpſi. Primò quia certum eſt ſimpliciores quoſque magis ex-

emplis

emplis quàm verbis moueri. Secundò vt vel ſic os obſtruatur illis, qui de ſola fide ſibi blandientes, opera bona nihil curant. Tertiò vt qui vel nolunt vel nō audent ſanctorum legendis (vt vocant) fidere propter incertitudinem ſcriptorum, habeant cui tuto fidere poſsint. Poſtremò, vt vel ſic diſcamus erubeſcere de ſegnicie noſtra, qui tam deſides ſumus ad bona, cum videamus veteres illos tam feruentes fuiſſe. Et quamuis ſatis exemplorum in nouo teſtamento habeamus, non paruum tamen incitamentum dabit ad pietatem, ſi videamus, & veteres & noſtrates eodem ſtudio ad pietatem feſtinaſſe.

Sed quid opus eſt multis oſtendere, quid in hoc libro expectandum ſit, cum ex vno Dauidis verbo omnia quæ hactenus dixi conſpicere poſsimus. Guſtate, inquit, & videte quàm ſuauis ſit Dominus, &c. Timete Dominum omnes ſancti eius, &c. Verè enim hic non ſolum videbimus quis ſit Deus, ſed etiam guſtabimus quod bonus ſit ſperantibus in ſe, ſed etiam quòd verè timendus ſit impijs. Atqui non parum momenti habet ad piè beateq; viuendum viuida fide verum noſſe Deum. Qui enim ex animo

credit

credit illum esse summè bonum, qui poterit aliquid amare supra illum? Qui credit omnipotentem, non conabitur illi resistere, qui vinci non potest. Qui credit summè sapientem, nunquam illi obmurmurabit in rebus aduersis. Etenim vt Improbus omnium iudicio videatur, qui cum sit Idiota medicum reprehendat, quod variis corporibus varia præscribat: ita prorsus excors sit, qui Deum perinde iudicat, quasi nesciat quid cuique expediat. Qui credit Deum summè iustum, nunquam sibi promittet malefactorum impunitatem. Qui credit omniscium, non facilè committet illo spectante, quod apud bonum virum erubesceret facere. Qui credit summè veracem, horrebit impiis intentata supplicia, & ad æternam beatitudinem piis promissam aspirabit. Gustate igitur & videte, &c. Nemo has tantas delicias nobis vltro propositas contemnat aut negligat. Non enim impune feret, quisquis talis est. Qui enim ignorat (ait Paulus) ignorabitur. Et Sapiens: Qui declinat aurem suam ne audiat legem, oratio eius erit abominatio apud Deum. Terreat huiusmodi homines illud Oseæ: Succisus est populus meus qui est absque scientia, & quia

1. Cor. 14. *Prou. 28.* *Oseæ 4.*

& quia tu repulisti scientiam repellam te.
Esa. 5. Terreat etiam Isaias: Propterea inquit captiuus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Ex altera autem parte videamus, ne temerè & quasi illotis manibus irruamus in scripturam, ac omnia pro nostra curiositate excutere velimus. Qui enim in scriptura habitat Deus est Zelotes, ignis consumens, maiestas summa vel ipsis angelis tremenda. Non omnes fert tanti numinis fulgor. In lege præcipitur, ne pecora montem tangant, vbi Dominus cum Mose loquebatur, imo etiam vulgus prohibebatur accedere. Qui enim pecuinos habent animos indigni sunt tantis misteriis interesse. Humiliter igitur & religiose accedamus, feruorem autem & attentionem nobis addet, si attendamus Deum ipsum hic loqui. Quis enim non libenter audiat Deum loqui? Deinde ipsius scripturæ vtilitas & dignitas. Nam si aliæ artes laudatæ magis appetuntur, quàm desiderabilis est ea, quam nemo satis laudare sufficit? Ipsa enim sola omnes omnium seculorum errores detegit, redarguit, refutat. Sola consummatam & ab omni hypocrisis fuco remotam virtutem docet, sola beatitudinis

tudinis vitæque veræ & æternæ ſpem ſolidam introducit. Sola abditos diuinitatis theſauros demonſtrat. Huc igitur properemus, huc aures animumque dirigamus. Et vt fructuoſe audire poſsimus, ipſum ſpiritum ſanctum à quo hæc profecta ſunt piis votis imploremus.

FINIS.



IN PRINCIPIO *creauit Deus cælũ & terram. Terra autem erat inanis & vacua, & tenebræ erant super faciem abyßi: & spiritus domini ferebatur super aquas. Dixitq; Deus, Fiat lux. Et facta est lux. Et vidit Deus luem quod esset bona: & diuisit lucem à tenebris. appellauitq; lucem diem, & tenebras noctem: factamq; est vespere & mane dies vnus. Dixit quoque Deus: Fiat firmamentum in medio aquarum: & diuidat aquas ab aquis Et fecit Deus firmamentũ, diuisitq; aquas quæ erant sub firmamẽto, ad his quæ erant super firmamentũ. Et factum est ita. Vocauitq; Deus firmamentum, cælum: & factum est vespere & mane dies secundus. Dixit verò Deus: congregentur aquæ quæ sub cælo sunt in locum vnum, & appareat arida. Et factum est ita. Et vocauit Deus aridam, terram: congregationesq; aquarum appellauit maria. Et vidit Deus quòd eßet bonum, & ait: Germinet terra herbã virentem & facientẽ semen, & lignum pomiferum faciens fructum iuxta genus suum, cuius semen in semetipso sit super terram. Et factum est ita. Et protulit terra herbam virentem & facientem semen iuxta genus suum, lignumq; faciens fructũ, & habens vnumquodque sementem secundum speciem suam. Et vidit Deus quod eßet bonum. Et factum est vespere & mane dies tertius. Dixit autem Deus: Fiant luminaria in firmamento cæli, & diuidant diem ac noctem: & sint in signa & tempora, & dies & annos: vt luceant in firmamẽto cæli, et illuminent terram. Et factũ est ita. Fecitq; Deus duo luminaria magna: luminare maius, vt præeßet diei: & luminare minus, vt præeßet nocti: & stellas. & posuit eas in firmamento cæli, vt lucerent super terram, & præeßent diei ac nocti, & diuiderent lucem ac tenebras. Et vidit Deus quòd eßet bonum. Et factũ est vespere & mane dies quartus. Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viuentis, & volatile super terram sub firmamento cæli. Creauitque Deus cete grandia, & omnem animam viuentem atq; motabilem, quã produxerant aquæ in species suas; & omne volatile secundum genus suum. Et vidit Deus quòd eßet bonum, benedixitq; eis dicẽs: Crescite & multiplicamini, & replete aquas maris: auesq; multiplicentur super terram. Et factum est vespere & mane dies quintus. dixit quoque Deus: Producat terra animam viuentem in ge-*

nere suo, iumenta, & reptilia, & bestias terræ secundum species suas. Factumq; est ita. Et fecit Deus bestias terræ iuxta species suas, & iumenta & omne reptile terræ in genere suo. Et vidit Deus quòd esset bonum, & ait: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris & volatilibus cæli, & bestiis, vniuersæque terræ, omnique reptili quod mouetur in terra. Et creauit Deus hominem ad imaginem & similitudinē suam, ad imaginē Dei creauit illum, masculum & fœminam creauit eos. Benedixitque illis Deus, & ait: Crescite et multiplicamini, & replete terrā, & subiicite eam, et dominamini piscibus maris, & volatilibus cæli, et vniuersis animantibus quæ mouentur super terram. Dixitq; Deus: Ecce dedi vobis omnē herbam afferentem semen super terrā, & vniuersa ligna quæ habēt in semetipsis sementē generis sui, vt sint vobis in escam, & cunctis animantibus terræ, omniq; volucri cæli, & vniuersis quæ mouentur in terra, & in quibus est anima viuens, vt habeant ad vescendū. Et factum est ita. Viditq; Deus cuncta quæ fecerat: & erant valde bona. Et factum est vespere & mane dies sextus.

FACIES MOSI, cùm vbiq; ex collocutione Dei splendida sit, & idcirco figuratiuis vocibus sensum suū, qui per faciem intelligitur, velare oportuerit: tum verò in hoc primo capite tanti splendoris est, quātum ferre nequissent vniuersi filij Israel, nisi illum grossiori textu literæ, quasi pannis infantiæ inuoluisset. Ob hanc causam, vt Hieronymus ait, etiam nunc apud Iudæos nemo ad lectionem huius capitis admittitur, nisi tricenarius sit, hoc est, triginta annorum. Ne igitur etiam nos offendat claritas illius lucis, quàm possum breuissimè & simplicissimè exponam caput hoc: ac omissis quibuscūq; subtilitatibus aut curiositatibus philosophicis, tantùm ea quæ ad literam faciunt in medium proferam. Tum quia non omnes capere possunt subtiliora (& tamen etiam insipientibus debitor sum) tum quia alio fine docendum est in ecclesia quàm in scholis: In scholis docetur vt sciamus, in ecclesia vt ædificemur. Hinc est quòd Paulus reiicit prophanas

Exod. 34

Rom. 1.

phanas & aniles fabulas, ac denunciat ne attendamus genealogiis ac diuersis doctrinis, caueamusque in summa ab omnibus quæ quæstiones magis præbent, quàm ædificationē Dei. Diuersæ autem doctrinæ à Christo sunt, è quibus ad pugnas verborum prosilitur, & quæ materiam suppeditant inuidiæ, suspicionum, curiositatum, &c. Diuersæ item doctrinæ sunt, quæcunque in vocum nouitatibus, verborum oppositionibus, syllogismorum nexibus, & rhetorico versantur artificio. Quapropter diligenter admonet Paulus, ne quibus præda simus per philosophiam & inanem deceptionem, iuxta institutiones hominum, iuxta egena elementa mundi, & non iuxta Christum. Contrà benè inculcat Christum docendum, atque hunc crucifixum, finem præcepti charitatem, ex puro corde, conscientia bona, & fide non simulata: Tu, inquit, homo Dei sectare iustitiam, pietatem, fidem, charitatem, patientiam, mansuetudinem, &c. Nihil enim aliud quærendum est in scripturis, quàm quod ad vitam sanctam attinet: omnis enim scriptura diuinitus inspirata vtilis est ad doctrinam, non inaniū rerum, sed ad redargutionem, correptionem, institutionem, idest, doctrinam quæ est in iustitia, vt integer sit Dei homo ad omne opus apparatus. Hanc à Paulo præscriptam docendi regulam etiam ego imitabor: quod ideo præfari volui, ne quis subtilia & philosophica à me expectet.

1. Tim. 1.

Colos. 2.

2. Tim. 2.

In principio creauit Deus cælum & terram.

A creatione rerū incipit Moses pluribus de causis. Primò, vt vel sic per visibilia rudem illum populum suum duceret in cognitionem visibilis Dei: creaturæ enim sunt quasi speculū in quo relucet maiestas creatoris. Inuisibilia, inquit, Dei per ea quæ facta sunt conspiciuntur, &c. Rom. 1.

Deinde ideo à creatione rerum incipit, quia videbat multa quidem philosophos de ea re scripsisse, nihil tamē certum tradidisse, sed pleraque falsa. Veram igitur creaturarum originem hoc capite quàm breuissimè explicat.

Præterea Israelitæ quibus Moses dux præfectus erat, laborabant in AEgypto, nec solùm corporali seruitute, sed etiā ob consuetudinē gentis infecti erant idololatriæ scelere. Curauit igitur beatus vir pro munere sibi iniūcto,

vt primũ eos à morbis animi liberaret,& à grauiore seruitute,& etiam ex AEgypto scelerum per potentem Dei manum eiiceret. Docuit igitur Iudæos primò fugere ab Aegyptiorum (qui idolis deditissimi erant) consuetudine, postea etiam corporaliter eos eduxit. Demũ etiam propter nos incepit à rerũ creatione: Fides enim creationis ad multa nobis prodest. Hinc enim primo agnitionẽ Dei sumere licet, vt supra ex Paulo ostendimus: deinde etiã considerata omnipotẽtia, sapientia, bonitate Dei, spẽ concipere possumus, corq; nostrũ ad dominũ attollere. Præterea tam potentem creatorem quomodo non vicissim amauerimus, si ex tot & tantis donis eum summum bonum esse didicerimus? Ad hæc, qui Deum omnia creasse credit, & omnia Dei esse & in Deum referri, non facilè abutetur creaturis. Adde quòd ex hac rerum creatione bene considerata, qui clari & potentes sunt cristas demittent, nec genus nec potentiam iactare audebunt, videntes se ex eodem luto simul vnà cum infimorum infimis esse conditos. Diues agnoscens terram ex æquo datam filiis hominum, cessabit aliorum iniuria res suas augere: neque Cain prosequetur Abel, si fidem creationis teneat. Econtra autem, pauper & ignobilis incipiet conditionem suam æquius ferre, cùm sciat se non minus ad Deum pertinere quàm diuites & potentes. Denique omnes hac fide pollentes conditori suo placere studebunt, eumque prædicare ore, opere, verbis & factis nunquam cessabunt. Summa, fides creationis hominem verè mortificatum reddit, & humilem erga Deum, confidentem in aduersis, & in prosperis non elatum.

Non simpliciter autem Moses creationem rerum describit, sed etiam ordinatè. Primò enim in generali ponit creationẽ rerum, deinde quomodo eas Deus à se inuicem distinxerit, postremò quomodo easdem ordinauerit: vt vel hinc videamus, quòd non solùm materia rerum à Deo est, sed & forma & ornatus, denique & operationes creaturarum. Omnia autẽ hæc breuiter comprehendit, vt & nos discamus in his rebus quærere veritatem, non curiositatem, ne progrediamur vltra quàm fert naturæ nostræ tenuitas, & ne curiosius quæ supra

nos

nos sunt indagemus: id quod veritatis hostibus euenit, qui voluerunt propriis rationibus vniuersa expendere, non cogitantes quòd impossibilè sit humanæ naturæ Dei opificium penitus ediscere. Id quod pulchrè in Iob legitur: Vbi, inquit, eras quando ponebam fundamenta terræ? & cæt. ibi ad longum. Meritò igitur Sapiens dicit: Difficilè æstimamus quæ in terra sunt, quæ igitur in cælis sunt quis inuestigabit? Vide igitur quàm simpliciter Moses rem ipsam proponat: *In principio*, inquit, *creauit Deus cælum & terram.* Nullas hic audis demonstrationes naturales, nullas philosophicas rationes: vnde etiam nunc impius quispiam obganniré posset, id quod olim Aristotelem dixisse ferunt de Mose: Ille homo multa dicit & nihil probat. Verùm facessat hæc blasphemia à Christianorum auribus & ore, non enim rationem instruere voluit Moses, sed fidem: fidem igitur exigit & quærit, ergo claudendi sunt oculi rationis. Si credis, satis tibi dictum est: si non credis, nullæ rationes tibi satisfacient. Deinde scriptura sacra non secundum philosophiæ traditiones suasoria verisimilia colligentes expendenda est, sed secundum regulam veritatis, quæ oraculis diuini sermonis exprimitur, & contemplatione tantæ maiestatis fidelium pectoribus infunditur, quia scriptum est: Confirma me in verbis tuis, narrauerunt mihi iniqui fabulationes, sed non vt lex tua. Et vt semel omnia dicam, vt fructuosè considerare possimus rerum creationem, satis est scire à quo & ad quid factæ sint. Sunt qui in bonis inferioribus sensibilibus huius mundi tota sensualitate depressi, totos se dederunt his quæ facta sunt, quónam modo vel ad quid facta sint negligentes: quid istos nisi carnales dicamus? Fuerunt autem & alij quibus summum studium fuit & vnica sollicitudo, modum & ordinem inuestigare factorum, adeò vt plerique non modò vtilitatem rerum perquirere dissimulauerint: sed & ipsas magnanimiter spreuerint, cibo paruissimo vilissimoque contenti, hi seipsos quidem philosophos vocauerunt, à nobis tamen rectius curiosi & vani appellantur. Sunt & alii verè prudentes qui nimirum & quæ facta

Iob. 38.

Sap. 9.

Psal. 118

sunt, & quomodo facta sunt transilientes, intendunt aciem mentis, vt ad quid facta sint videant: hi itaque inueniunt quòd omnia propter seipsum creauit altissimus: omnia item propter electos suos. hi sunt viri spirituales vtentes hoc mundo tanq̃ non vtantur, sed in simplicitate cordis quærentes dominũ, ne illud quidẽ magnopere inuestigantes quonã modo mundialis hæc machina voluatur. Tales nos esse voluit Moses, ideò tam breuiter non quomodo, sed quid fecerit Deus describit. Vide aũt q̃ audacter & fiducialiter pronunciet Moses: primo omnium id asserit quod philosophorũ plurimi negabãt, mundum scilicet habuisse principium: imò si attendamus singula verba, singulos impugnat errores.

Ioan. 8. *In principio.*] Per principium filium qui in Euangelio
Apoc. 1. iuxta nostram translationem se principium dicit. Item in Apocalypsi: Ego sum alpha & omega, principiũ & finis. Et vera quidem est sententia, nam per filium omnia sunt facta, vt est Ioannis. 1. & Coloss. 1. Alii sic intelligunt: In principio, id est, primo omnium. Alii: In principio, id est, primo mense: tunc enim terra incipit florere & germinare, In Hebræo est, bresith, quod interpretari potest, in capite, vel in capitulo, vel in summa: vt sit sensus: Multa de rerum principiis opinati sunt philosophi, hæc tamen est summa huius rei: Deus creauit cælum & terram, & secundum hoc, Verbum istud in principio creauit cælum & terram, esset quasi titulus & propositio generalis omnia complectens, quæ deinde particulatim describet. Simplicissimè autem intelligendo, principium significat exordium temporis & rerum. Ergo cùm ait in principio, significat ante rerum creationem fuisse Deum æternum: non enim in hoc principio Deus factus est, sed ante erat. Hæc autem Dei æternitas incõprehensibilis abyssus est, quis enim comprehendere potest, quomodo fieri potuerit vt tempus nondum esset, & tamen Deus esset? Vnde planè intelligimus æternam vitam longè aliud esse quàm præsentem vitam: hic enim & dies & anni sunt, illic autem nullum tempus: sed mille, inquit, anni ante oculos tuos
Psal. 89. sicut dies hesterna quæ præteriit. Et sicut incompre-

hen-

henſibilis eſt æternitas ante principium rerum, ita & poſt finem. Fides autem quæ capit Deum & ſentit ante omnia, in omnibus & poſt omnia eſſe Deum, abyſſos has ingreditur, geſtata verbo Dei velut vtero, ſicut Iſaias *Iſa.46.*
dicit: vt vel hinc appareat quid ſit quod ad Hebræos dicitur: Portans omnia verbo virtutis ſuæ. Deinde cum *Heb. 4.*
dicit, in principio, planè damnat errorē illorum qui putarunt mundum fuiſſe æternum.

Creauit.] Hoc verbo celeritatem cōditionis inſinuat, ne mora in faciendo exiſtimaretur: vt vel ſic intelligerent homines quàm incomprehenſibilis eſſet operator, qui tantum opus breui exiguoque momento ſuæ operationis abſolueret, vt voluntatis effectus ſenſūm temporis præueniret: nemo operantem vidit, ſed operatum agnouit. Deinde hoc verbo Dei omnipotentia oſtenditur, qui ſolus poteſt creare, id eſt, ex nihilo aliquid facere: ipſe enim vocat ea quæ non ſunt, tan- *1.Cor.1.*
quam ea quæ ſunt. Denique, hoc verbo damnatur error Platonis, qui aſſerebat quidem creaturas à Deo factas, ſed ex materia Deo coæterna: id quod planè falſum eſt, nam & materiam rerum creauit Deus. Iam cùm Deum audis omnia creaſſe, noli imaginari quod tum tantum condiderit prima rerum corpora & ſemina, nunc autem ea ſinat ferri ſpontè, pro ſua cuiuſque vel natura vel induſtria: ſed ſicut à Deo condita ſunt prima corpora, ita ſentias nunc & omnia condi, regi, & ſeruari à Deo. Iuxta illud: Pater meus vſque modo ope- *Ioan.5.*
ratur, & ego operor. Itemq; illud: Ex ipſo, & in ipſo, & *Rom.11.*
per ipſum ſunt omnia. Vbi ſic intelligitur articulus creationis, erigitur cor fiducia erga Deū, ſentitq; ſe de manu domini accepiſſe & accipere omnia, vitā, ſalutē, ſenſum, intellectū, cibum, veſtes, &c. Sentit item ſe ſola Dei manu protectum & protegi à malis, ſicque illi etiam nunc omnia reſignat ſiue viuat ſiue moriatur: nec eſt alius locus in quo ſe mirabilius fides exercet quàm hic: nam hic demum in obſcuriſsimas tenebras ingreditur, ſic ſentiens: Ecce tu condidiſti me, idque ſine meo conſilio, ſine mea opera: ita & nunc egentem & morientem, & cæt. ſubleuabis. Huc pertinet quod in pſalmo dicitur. *Pſal.21.*

Psal.103. Tu es qui extraxisti me de ventre,&c. Item: Omnia à te *Psal.138.* expectant, vt des illis cibum in tempore, dante te illis colligent,&c. Et iterum: Domine probasti me,& cognouisti me,&c. per totum. Huc pertinet quod Paulus ait: *Heb.11.* Fide intelligimus optata esse secula,&c.

Deus.] Hic habes verum & certum autoré rerũ. Deus, inquit, creauit cœlum & terram. Hic autem non opus est curiosè inquirere quid sit Deus, ne nobis contingat id quod Philosophis accidisse videmus: nempe quod in varios errores inciderunt,&c. Qui enim perscrutari cona- *Prou. 25.* tur quis sit Deus, & quæ eius substantia sit, supprimetur à maiestate. nec mirũ: cùm ne minimæ creaturæ rationem reddere possimus. Requiritur à nobis, vt Deum esse sciamus, non vt quid Deus sit, indagemus. Vnde propheta arguens impium, non crimini assignat, quod nescit quid Deus sit, sed quod Deum esse ignorat. Dixit, inquit, insi- *Psal.13.* piens in corde suo, non est Deus. Variis quidem nominibus Deus nominatur in scriptura. Dicitur ignis, lux, leo, agricola,&c. non quod re vera talis sit: sed ita nominatur, vt per ea nomina, vel ex parte, amplitudinem eius potentiæ, sapientiæ,& bonitatis pernoscamus. Sic & sancti viri Deum variis nominibus appellauerunt: Vitam scilicet, fortitudinem, firmamentum,&c. hoc autem ideo factum est, quia hæc omnia re ipsa experti erant. Cęterùm quid Deus sit in natura sua, nemo vnquam nouit. hinc *Exod.3.* cùm Moses dixisset: Si dixerint mihi, quod est nomen eius, quid dicam eis? Respondit Dominus: Ego sum qui sum. Sic dices: Qui est, misit me ad vos. Sed de hoc satis. In principio, inquit, Deus creauit. Hoc verbo refellitur Plato, qui tria principia posuit, Deum, exemplar, & materiam. At Moses vnum tantùm ponit principium. Secundò, refellitur Manichæus, qui duos posuit Deos, vnũ autorem bonorum, alterũ autorem malorum. At Moses tantum vnum Deum nouit. Tertio, in generali hic damnatur pluralitas Deorum: singulari enim numero loquitur, Deus creauit. Et quamuis nõ dicat: Vnus Deus creauit omnia, satis tamen exclusit pluralitaté Deorum: imò efficacius, quàm si dixisset: Vnus Deus creauit. Sicut enim qui dicit, vnus sol exortus est, scrupulũ iniicit audientibus,

dientibus, quasi sentiat plures esse soles. cùm autem simpliciter dicit: Sol exortus est, planè ostendit, nō esse nisi vnum solem: sic hic, &c. Iam quod Deus sit, omnis fabrica mundi ostendit. Omnia enim Deo plena sunt, nec est creatura tam parua, in qua non reluceat gloria conditoris. Quòd aūt tantùm vnus Deus sit: primò declarat totius machinæ mundialis diuersitas, quæ per vnum creatorem seruatur, regitur, & gubernatur. Nisi enim vnus esset, qui omnia hæc tam diuersarum virtutū seu proprietatum gubernaret, & concordi pace colligaret, iam dudū orbis vniuersus periisset. Apud Virgilium legimus, Deorum discordia, totam Asiam dissipatam. Sic omnia sursum deorsum verterentur, si plures essent dii. Facit etiam ad vnius Dei agnitionem, vnitas creationis, vna scilicet machina mundialis. Nam si plures essent dii, plures & machinas esse sequeretur. Quid enim cessarent alii, vno operante? Ostenditur & ex scripturis, vnum esse Deum, idque non vno in loco. Audi Israel, inquit Moses, Dominus Deus tuus Deus vnus est. Et iterum: Videte quòd ego sim solus, & non sit alius præter me, &c. *Deut. 6.* *Deut. 32.* Nec his obstat quod in Hebræo habetur: In principio creauit Elohim, id est, dii, plurali numero. Elohim quidem pluralis est numeri: sed tamen iungitur verbo singularis numeri: ne quis suspicetur plures esse Deos. Imò quod nomen pluralis numeri iungitur verbo singulari, manifestè nobis ostenditur, trinitatem personarum in diuinis esse, sed tamen manere vnitatem essentiæ. Per hoc autem, quod trinitatem in prima statim propositione, & in primo articulo creationis subindicat, docere voluit hanc trinitatis diuinæ fidē ante omnia necessariā. Sancta igitur trinitas vnus est creator & Deus. Omnia enim per filiū in spiritu sancto creauit pater. Non quod filius fuerit instrumentum, & spiritus sanctus seruus, sed quòd tres personæ vnum sunt principium.

Cælum & terram, &c.] Aliqui per cælum & terram intelligunt materiam informem primo creatam: vnde postea cælum & terra, aliæq; creaturæ creatæ sunt. Alii per cælum intelligunt inuisibiles creaturas, per terrā autem visibiles. Alii simpliciter intelligunt, vt litera sonat. Primo

omnium creata esse duo illa corpora, cælum scilicet & terram, quæ essent locus & receptaculum aliarum creaturarum. Nam quia ratio lectionis postulat, vt de terra ita sentias, quòd in principio creata sit ante lucem, cogimur vt idem de cælo sentiamus. Nam & postea non dicit, Fiat terra: sed appareat arida ex aquis. Appellatione
Gen. 1. autem cæli, etiam aquam comprehendit. Nam cælos esse aquam, etiam Hebræi nominis affinitas declarat. Maim enim aquam significat, schamaim cælum. Alii volunt per cælum & terrā omnes creaturas cælestes & terrestres intelligi. Sic enim vulgato more scripturæ, cæli & terræ nominibus vniuersæ significātur creaturæ. Sic in Exodo
Exo. 31. dicitur: Sex diebus creauit Deus cælum & terrā. vbi non tantùm cælum & terra, sed omnes creaturæ intelligūtur.
Iere. 23. Sic in Ieremia: Cęlum & terrā ego impleo. Sic in psalmo:
Psal. 101. Initio tu Domine terrā fundasti, & opera manuum tuarū sunt cæli. Quamuis igitur statim à principio omnes creaturas complectatur, tamen tantùm nominat visibiles. Imò per totum caput nihil expresiè de inuisibilibus creaturis loquitur. Nec id sine causa factum putemus. Loquebatur enim hoc rudi illi Iudæorū populo, qui præter
Acto. 17. visibilia nihil poterat intelligere. Imò & Paulus tēpore gratiæ disputaturus cū Atheniensibus, à visibilibus doctrinā cœpit: Deus, inquit, qui fecit mundum, &c. Idē ta-
Colos. 1. men Paulus iam credentibus scribens, longè alia via incedit: In ipso, inquit, creata sunt omnia, siue quæ in cælo, siue quæ in terra, visibilia & inuisibilia, siue throni, siue
Ioh. 1. dominationes, &c. Itidem & Ioannes fidelibus scribēs, altè incipit suum Euangelium, &c. Moses autem qui primus omnium instituendam susceperat humanam naturam, prima tantùm elementa docuit. Obseruandum autem & illud, quòd non dixit, Fiat cælum & terra, sed tantum: Deus creauit cælum & terram. Cùm enim ipsum principium sit verbum Dei, superfluum fuisset dici: In principio dixit Deus. idem enim esset ac si diceret, in verbo suo dixit Deus. Deindè congruè dicitur primò creauisse qualemcunque materiam informem, & deinde præceptum iam existenti dedisse, ne videretur nihilo pręceptum dedisse.

Terra autem erat inanis & vacua.

Bonus artifex prius ponit fundamentum, posito fundaméto, postea ædificationis mébra distinguit, adiungit ornatum. Sic hic proposito fundamento terræ, & cófirmata cæli substantia (duo enim ista sunt quasi cardines rerum) nunc creaturas incipit distinguere. Terra, inquit, erat inanis & vacua. Inanis ab omni germine, vacua à cunctis animantibus. Alii legunt, inuisibilis & incomposita. Inuisibilis, quia adhuc aquis operta erat, & nondũ illam creator ab aquis separauerat. Incõposita, quia nõdum tot creaturarum generibus exornauerat. Alii legunt: vasta & vacua, vasta, id est, incomposita, immixta aquis, nullo dum certo loco consistens. Et vacua, id est, nondum tecta plantis, nihil dum gignens. Primum ad terræ figuram pertinet Secundum ad vim gignendi.

Summa, Terra non erat nihil, sed tamen non erat qualis nunc esse cernitur. Docet autem Moses hoc verbo, quod sicut res per sese gigni non potuerit, ita nec per sese perfici. Et sicut ante de conditione rerum dictũ est, sic nunc de perfectione rerũ dicẽdum & conseruatione.

Summa: Deus non solum dedit & dat rebus esse, sed etiam pulchitudinem. Ergo, quòd terra suo loco consistit, & credita semina cum fœnore reddit, non terræ natura est: sed voluntas Dei. Et hanc immensitatem Dei vndique se in omnia effundentis, quomodo capere posset humana ratio?

Sed cur, inquis, non in principio perfectam & ornatam creauit terrã? Respondeo: Ne verè increata & sine principio crederetur, si species rerum velut ingenitæ ab initio, nõ postea additæ viderentur. Nam cùm terra incomposita fuisse legatur, & tamẽ à quibusdam putatur fuisse ab æterno: quid dicerent, si ab initio eius pulchritudo vernasset? Deinde etiã Dei natura est, imperfectiora premittere, vt perfectiora sequãtur. Ita in fœtibus humanis formãdis, videmus primò in materno vtero imperfectos fœtus absq; lineamẽtis, absq; statura debita, & tandẽ sua incrementa suscipere. Sic Deus non omnia vno tempore dat. Hoc igitur facto, quòd terram primo incultam creauit, consolatur pusillanimitatem nostram, & docet

longani-

longanimitatem, si non ista æterna gloria ab initio fruamur, quam Deus suis electis dare paratus est, dabit eam tempore constituto, quando incrementa nostra sumpserimus post hanc vitam. Accedit & illud, quod imitatores nos sui voluit esse Deus, vt primo faciamus aliqua, postea venustemus, ne dum simul vtrunque adorimur, neutrũ posimus implere. Fides item nostra quodã gradu crescit. Ideo primũ fecit Deus, postea venustauit, vt eundem credamus ornasse qui fecit, fecisse qui ornauit.

Ioh. 11. Sic suscitaturus Lazarum, primo iussit amoueri lapidem, vt demonstraret mortuum: deinde resuscitauit, postea iussit solui, vt inter ista fides infunderetur infidelibus, & per gradus quosdam credulitas nasceretur. Præterea, quòd terram incultam creauit, ostendere voluit, quòd nec ipse mundus haberet gratiam, nisi cum vario cultu creator ornasset. Itemque per hoc abstrahere nos voluit à nimio terrenorum amore. Vide enim quod diligas: Terram in se incultam & horrendam? Cur non potius creatorem diligis, omnis boni fontem? Cæterùm quod non solam terram dicit fuisse inanem & vacuam, non autem cælum, ideo factum putant, quòd ipsum cælum mox creatum suis incolis, id est, beatis spiritibus impletum est, quos in principio cum cœlo & terra esse conditos, ac mox conditionem suam ad laudem conditoris retulisse testatur ipse dominus ad Iob dicens:

Iob. 38. Vbi eras, quando ponebam fundamenta terræ? & paulò post: Cùm me laudarent astra matutina, & iubilarent omnes filii Dei: astra videlicet matutina, eosdem angelos quos & filii Dei nuncupans, ad distinctionem nimirum hominum sanctorum, qui postmodum creandi, ac velut astra vespertina, post confessionem diuinæ laudis per mortem erant carnis occasuri. Præterea etiam ideo Moses breuiter superioris mundi facit mentionem, de terra autem latius scribit, quia de mundo hoc in quo homo factus est ad instructionem generis humani, sermonem facere instituerat: sufficere credens, si omnem creaturæ spiritualis & inuisibilis statum atque ornatum vno cœli nomine, quod in principio factum dixit, cõprehenderet. Corporalem verò visibilemque creaturam latius descri-

deſcriberet,id eſt,tacitis eis quæ altiora ſunt quæſitu, illa potius quæ eſſent à Deo præcepta vel promiſſa hominibus cogitanda proponeret. Vnde etiam conſultè de caſu Angeli penitus reticuit, quia hoc ad ſtatum inuiſibilis creaturæ pertinet.

Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi.

Per abyſſum aliqui intelligunt cœlum nondum ornatum. Nam de eo certè corpore loquitur, cui poſtea lux indita eſt. Et rectè quidem terræ vaſtitatē & vacuitatem tribuit, abyſſo tenebras. nam & terra eſt quæ gignit, cœlum autem corpus lucis capax. Alii volunt, quod Moſes explicandi gratia his tribus vulgo notis nominibus, terra, abyſſo, & aqua vſus ſit pro eadem re, mole ſcilicet obſcura & incompoſita, vel materia informi. Nihil igitur aliud hoc verbo oſtendere vult, quàm nondum fuiſſe lucem, quæ rebus & ſpeciē daret, & inter ipſas diſcerneret. Atq; hic iterū videmus, nō natura corporibus cōgenitā eſſe lucem, ſed voluntate Dei inditam, & ſciamus nō initia tantū, ſed & conſeruationem corporū Dei opus eſſe.

Et ſpiritus Domini ferebatur ſuper aquas.

Per ſpiritum aliqui intelligunt creaturas ſpirituales: alii ventū. Melius tamen hic intelligitur ſpiritus ſanctus. Vbi enim opera Dei incipere dicunt, neceſſe eſt vt præcedat ſpiritus ſanctus. Nec ſatis erat creata eſſe, niſi per ſpiritum ſanctum meliorarentur, id quod maximè verum eſt in homine, & circa hominem. Non tamen opinandum eſt pueriliter, quòd ſpiritus ſanctus columbæ ſpecie volitarit ſuper aquam, aut quòd Deus ſtans vel ſedens in aliqua parte magnum anhelitum ſuum ſuper aquas efflando emiſerit. Sed nec quod ſpiritus creator, (de quo ſcriptum eſt: Spiritus domini repleuit orbem terrarum) poſitione loci his quæ erāt creanda ſuperferretur. Sed intelligendū potius, quòd virtute diuina præcellebat creaturis, habens in propria poteſtate, quādo aquarum illuſtraret abyſſum, quādo in locū eas ſecerneret vnum, quomodo & quando creaturas cæteras diſponeret, in ſimilitudinem artificis, cuius voluntas his quæ fabricandæ ſunt rebus ſolet ſuperferri. Vel ſpiritus hic Dei nihil aliud eſt, niſi bonitas amorq́ue Dei: Amor, *Sap.1.*

inquam

inquam,non affectiuus, sed substantialis. Spiritus igitur amor est,& vita virtusque viua, in filio & patre manens, vel ab vtroque procedens,patri filioque consubstantialis,hic nempe ferebatur super aquas, nihilominus & super terram,quæ sub aquis latebat, quia videlicet magno super creaturam suam creator affectu ducebatur:vt quia non poterat esse quod ipse qui creauerat, tales ex ea faceret formas,in quibus creatori coniungeretur, conuiueretque,& conregnaret creatura:hic amor,hæc bonitas creatoris,spiritus sanctus est. Igitur in capite libri splendidè premõstratur creatricis presentia trinitatis.Etenim in nomine Dei pater,in nomine principii filius intelligitur,& qui super aquas fertur,ipse est spiritus sanctus.

Et dixit Deus:Fiat lux.

Hic incipit creaturas distinguere : nam hactenus omnia confusa erant . Pulchrè autem operibus Dei congruebat,vt mundi ornatum à luce inciperet, cùm ipse sit lux vera,lucemque habitet inaccessibilem,cuius beatissima visione mox creati angeli perfrui cœperant. Aptè quoque huic seculo ornando primam materialis lucis gratiam donauit,vt esset vnde cætera creata apparerent. Sic enim & domum ædificaturus,antequam fundamenta ponat,prius explorat,vnde lucem infundat,quæ si desit, tota domus deformi horret incultu. Lux enim est quæ reliquos domus commendat ornatus. Et quid dulce esset in toto mundo,si deesset lux? Quale mihi gaudium esse potest,ait Tobias,qui in tenebris sedeo,& lumen cæli non video?Lucem igitur primo creauit.

Tob.5.

Iam non ita sensibus pueri sumus, vt putemus Deum vocalem,dentibus,palato,ac labiis,cum plectro linguæ percussis,elementari sono dixisse:Fiat lux. Sed altius intelligendum,dixisse Deum,vt fieret creatura: quia videlicet per verbum suum, id est, vnigenitum filium, fecit omnia.Ex hoc igitur loco ferè accepta sunt,quæ de verbo dicuntur vt est illud psalmi: Verbo Domini cæli firmati sunt.Et illud:ipse dixit & facta sunt. Et illud Ioannis:Omnia per verbum facta sunt . Item:Portans omnia verbo virtutis suæ. Dicere est parere verbum aliquod . Et quia ante omnia sese considerat pater,& in con-

Psal. 32.
Psal. ce.
Ioan 1.

consideratione suæ potentiæ, ordinem & rationem omnium quæ condi possunt, ideo verbum parit, quod & imago patris est, & ipsissimum consilium faciendi omnia. Ipsa denique eius sapientia. Ideo in eo Ioannes dicit esse *Ioan. 1.*
vitam & lucem. Hic igitur manifestè exprimuntur duæ personæ: pater scilicet, qui verbum dicit, & à seipso est, & filius qui verbum est, & à patre exit.

Quod enim Moses ait: Dixit Deus, constat apud Deū fuisse verbum: hoc autem verbum non potest intra creaturas numerari, quando per ipsum factæ sunt creaturæ, nihil aliud Deus in creatione adhibuit, quàm verbum suum. Verbum igitur fuit ante creaturas. Si ante tempus & creaturas fuit, constat quòd æternum est, atque adeo Deus. Quod igitur Deus loquitur, constat quòd non solus est: nec tamen potest Deus pater personaliter idipsum verbum esse quod loquitur. Et tamen verbum Deus est: ergo alia persona. Huc pertinet, quod Ioannes ait: In principio erat verbum, & verbum erat apud Deū, & Deus erat verbum. Sic & idem verbum vel sapientiam Dei dicit: Dominus possedit me in initio viarum *Pro. 8.*
suarum, antequam quicquam faceret à principio, &c. Discemus ergo hic præter cætera, quæ sit verbi incarnati operatio in corde nostro: nimirum quidem nouam vitam, nouum lumen. Iuxta illud: Misit verbum suum, & sanauit eos. *Psal. 106*
Quamuis enim Moses hoc loco potissimum docere voluit, id quod Apostolus ait: Omnia ex ipso, per ipsum, & in ipso esse, vt discamus confidere ei, cui scimus creaturas cordi esse. Fateri tamen necesse est, eandem esse rationem creandi & recreandi. Sicut enim terra inculta & tenebrosa fuit, donec verbo Dei & illustraretur & vim germinandi acciperet: sic homo ex natura malus est, & cæcus, nisi verbo Dei illustretur & purgetur. Huc pertinet illud Pauli: Deus qui dixit de tenebris lumen splendescere, illuxit in cordibus nostris, &c. *2. Cor. 4.*
Et iterum: Fuistis aliquando tenebræ, nunc autem lux in Domino. *Ephes. 5.*
Possumus & aliter intelligere locum hunc: Dixit Deus, &c. vt scilicet hinc videamus celeritatem & facilitatem operis. Quid enim verbo facilius est? Et tamen sequitur.

ex natiuitate [handwritten margin note]

Et

Et facta est lux.

Vbi planè videmus, ne dum celeritatem & facilitatem operis, sed & verbi potentiam, quod omnia potest: per ipsum omnia condita sunt, conseruãtur omnia, renouantur omnia: apud Deum non est impossibile omne verbũ. hinc Centurio: Dic verbũ tãtùm, & sanabitur puer meus.
Psal.23. de hac verbi potentia, vide psalmũ vigesimum octauum. Hinc igitur & nos fidem nostram confirmemus, ne verbum Dei infirmum aliquid putemus, sed ei constanter in
Isai.40. hæreamus: Verbum enim domini sicut omnipotens est, sic & manet in æternum. Quæ autem est illa lux, variæ sunt opiniones. Aliqui volunt lucem hanc nubem fuisse luminosam. vnde postea sol formatus sit. Alii volunt lucem hanc fuisse solem, licet nondum perfectum, sicut postea quarta die effectus est. Alii volunt quòd lux illa non processerit à corpore aliquo luminoso, sed immediatè à Deo creata sit. Sed quid opus subtiliter hæc velle indagari, cùm nihil certi hinc dicere possimus: satis nobis sit lucem primò esse creatam. Ad hæc scimus Deum esse omnipotentem, Si lucem dare potest mediante sole, potuit & sine sole vel ante solem creatum dare. Summa, quid lux sit cerni potest rectius quàm dici. Est enim illa ipsa claritas quæ cernitur & omnia alia ostendit. Alii per lucem intelligunt angelos qui secundum eos lux dicuntur, non solùm quia vim discernendi habent, verùm etiã quia veri & circũscripti luminis gratia refulgent. Itemq; quia in suis ordinibus distincti, magis vel minus lucent,
2.Cor.15. quemadmodum & in firmamento stella à stella differt in claritate: In hunc sensum etiam quæ sequuntur de angelis exponunt. Vidit lucem quod bona, approbauit hanc angelicam creaturam. Diuisit inter lucem & tenebras quantum ad iudicium, quo angeli apostatæ per tenebras significati, perpetuò à bonis separati sunt. Lucem appellauit diem id est, bonos ita bene firmauit vt deinceps cadere non possint. Tenebras appellauit noctem: Malos angelos irreuocabiliter damnauit, quia enim semel venit illis pes superbiæ, iam expulsi non amplius poterunt stare. Verè terribile iudicium, quòd si prima hac die factum est, meritò timorẽ incutere dicitur dies hæc,

Verùm

Verũ hæc pia quidẽ ſunt, ſed nõ ſecundũ literã: Neq; enim Moſes de ſpiritualibus, ſed de corporalibus rudẽ populũ inſtruere voluit, nec caſũ angeli, ſed hoĩs ſcribere.

Et vidit Deus lucem, quod bona.

Non velut incognitam ante lucem repente Deus videns laudauit (ſi enim homo antequam opus aliquod faciat, ſcit viſum eius, quanto magis Deus?) ſed eam quam laudabilem ſe facturum nouerat, iam factam hominibus laude dignam ac mirandam eſſe declarauit. Aliter, vidit, id eſt, approbauit. Sic igitur ab initio Moſes hæreticos quoſdam, Manichæum ſcilicet & ſuos repulit, qui corporalia mala eſſe dicebant, quiq; Deum bonũ & Deum malum dicebant: Et illam mundi machinam, quam Deus bonam dixit, illi malam dixerunt. Vidit quod bona, id eſt, cuius eſſet aliqua in creaturis vtilitas. Nam omnes creaturæ alicui officio ſeu miniſterio deſtinatæ ſunt. Verè bona lux, ſine illa enim nec vita iſta dulcis, nec quicquam temporale. Item ſi lux bona eſt, multo melior & iucundior eſt, qui fecit illam. Item ſi Deus lucem aliasq; creaturas bonas dixit, nemo eas comprehendat. Hic igitur iam ſecundo expreſſa eſt perſonarum trinitas. Patrem expreſsit in eo quod ait: In principio fecit. filium autem, cùm ait: & dixit. ſpiritum autem, cùm ait: Et vidit quòd bonum. Et quanquam non potuerit ea ſimul exprimere: verè tamen ſimul ſunt ipſius, facere, dicere, & videra, hoc eſt, potentia, ſapientia, bonitas: pater, filius, & ſpiritus ſanctus. Atque hæc eſt vna cauſa, propter quam nõ ſic incẽpit: In principio dixit Deus, Fiat cælum & terra: ſed in principio fecit vel creauit, &c. Voluit enim ordinatè perſonas diuinas exprimere per hæc terna verba, fecit, dixit, vidit. Altera cauſa, quod ab exordio non fecerit verbi mentionem, eſt, ne ipſum verbũ putaretur non fuiſſe ante creaturas. Si enim dixiſſet: In principio dixit Deus, &c. ſic ſonaret, quaſi in principio tẽporis ſimul cum creaturis cœpiſſet verbũ Dei, quod eſt falſum. Quod autem tum demum fecit verbi mẽtionem, cùm lucem condi ſcriberet, ipſam verbi naturã certiùs indicare voluit. Certè enim verbum lux eſt, & ſplendor paternæ gloriæ, & illa ipſa illuminatio vultus Dei, quam ſic vbiq;

vocant prophetæ. Nā creaturæ sic describūtur, vt ex eis diuinitas disci debeat, sicut & antea spiritum sanctum super aquas ferri scripsit, vt eius naturam nobis indicaret aliqua ex parte. Huc igitur respexit Ioannes, cùm vim illuminandi verbo tribuit.

Apo c.22

Diuisit lucem à tenebris.] Non totas mundi tenebras luce infusa dispulit (hoc enim superni est seculi, vbi nox non erit, luce fixa ac perpetua frui) sed ab vna illū parte illustrans, aliam reliquit obscuram. Idque in vtilitatem humani generis postea producendi. Vt enim nobis dies est necessarius multis modis: ita etiam noctes, propter quietem, admodum sunt necessariæ. Vide igitur bonitatem Dei. Nondū erat homo, & iam ei Deus quietem post laborem præuidit & præordinauit. Diuisit autem lucem à tenebris, non solùm qualitatis aut tēporis, sed etiam locorum distantia: lucem videlicet in superiori orbis parte diffundēdo, in qua humana erat cōuersatio futura. Inferiora verò eius priscis in tenebris remanere sinendo.

Appellauitque lucem diem, & tenebras noctem.

Apud Deū purus intellectus est, sine strepitu verborū, aut diuersitate linguarū. Appellauit autē dictum est, quia sic distinxit oīa, & ordinauit, vt & discerni possent, & nomina accipere. Sic enim & alias dicimus: hic ędificauit domum, id est, ædificari fecit. Et luci igitur & tenebris, hoc est, diei & nocti suam cuiq; regionem distribuit, cuique etiam eorū suos terminos præfixit, quos perpetuo absq; impedimento custodirent, id quod cuilibet qui mediocriter sapit, cōtueri licet, quomodo ex eo tempore vsq; in præsens, neque lux terminos suos transgressa sit, neque tenebræ suū ordinē prætererint cōfusione & de ordinatione quadā introducta. Sanè hoc vnū nos excitare deberet ad obedientiā Dei, cū videamus etiam elemēta & insensibilia suum ordinem à Deo præscriptum seruare, &c.

Et factum est vespere & mane dies vnus.

Vesperam & mane includit quælibet dies naturalis pro hoc tēpore. In futuro autē nulla erit vespera. A vespere autē ad mane supputatur dies tantùm, vt intelligamus in hoc signo oīa ex tenebris & nihilo progressa esse, tum vt vniuersaliter intelligamus, opera Dei à nihilo adesse pro-

gredi

gredi naturarũ. Deinde vices diei & noctis, somni & vigiliarum haud dubiè significationes sunt mortis & resurrectionis. Iuxta illud: Ad vesperũ demorabitur fletus, & ad matutinum lætitia. *Psal. 29* Cæterum dies vnus dixit, pro dies primus: quemadmodũ in Euangelio: Vna sabbathorũ, id est, prima. *Ioan. 20* Habes igitur opus primæ diei, & quid die dominica cogitare debeas, Discamus item ex hac Dei bonitate & misericordia etiam nos fratrum nostrorum curam & solicitudinẽ gerere. Iuxta illud: Estote misericordes, sicut & pater vester cęlestis misericors est. *Luc. 6.* Itẽq; estote perfecti, sicut & pater vester est perfectus. *Matt. 5.*

Et dixit Deus, Fiat firmamẽtũ, &c.] Sapiẽtis est ea quę imperfecta sũt pficere, & ea quę pfecta sunt, ornare & illustrare Et quanq̃ Deus potuisset vno momẽto oĩa simul absoluere, tñ noluit, vt sic sapiẽtia sua manifestior fieret, nobisq; magis cognoscibilis. Sic supra primo statĩ die, ne diu lateret opa eius, obscuritatẽ remouit. Desiderabatur claritas, & eã tenebrositatẽ remouit, ponẽdo, lucẽ, & distĩguẽdo lucẽ è tenebris. Prętereà cõfusio erat aquarũ. i. aeris & elemẽti aquę. Nã noĩe aquarũ accipimus elemẽta tenuia. Itaq; secũdo die fecit Deus firmamẽtũ, interstitiũ quod dĩ vel expansionẽ. Aquas pspicuas eleuauit supra firmamentũ, alias sub firmamento esse voluit, etiã sic auferens quod imperfectũ videbatur. Cæterùm eodẽ ordine quo Moses hic opera Dei describit, etiã in Dauide descripta legimus: Dñe, inquit, Deus meus, magnificatus es vehemẽter: Cõfessionẽ & decorẽ induisti, amictus lumine sicut vestimẽto. *Psal. 103* Hoc de ope primi diei. Sequitur: Extẽdẽs cælũ sicut pellẽ, qui tegis aquis supiora eius. Et vt sciamus etiã inferiores orbes eodem die formatos, subdit: Ponis nubẽ ascẽsum tuum, & ambulas super pennas ventorum. In hoc igitur ope pręter insignẽ Dei potẽtiã & sapiẽtiam etiã videmus ineffabilẽ eius bonitatẽ. Primũ in eo quòd nondũ homo creatus erat, & tamẽ iã ei puidebat Deus hospitiũ, quo in ęternũ maneret, nec qualecũq;, sed cęlũ. Prius aũt cœlum ornauit, quàm terram, ad ostendendũ, quòd quamuis etiam terra ad tempus hominis hospitium sit, tamen homo potissimum propter cælum possidendũ est creatus. Cęterũ quod hic firmamentũ dicitur,

alii dicunt, extensionem, interstitium, separamentum. Significat auté haud dubiè cælum stellatú, illamq; orbiũ cõpositionem & dispositionem quam nunc videmus. Et quamuis plura hic disputent philosophi de figura cęli, de motu, de numero, &c. Moses tamé simplicissimè rem describit. Nõ enim doctos reddere voluit suos auditores, sed pios, fideles, deuotos, & operũ Dei admiratores: qué & ego imitabor. Nõ enim hic sumus vt inuestigem⁹ quid sit cœlũ, sed vt discamus qua via ad cælum perueniamus. Vide igitur primo, q̃ potéter loquatur De⁹: Fiat, inquit, firmamentũ. Sic dicere, iubẽtis est, nõ ęstimãtis. Imperat naturæ, non difficultatem aut possibilitaté attendit, non mẽsuras colligit, non pondus examinat. Volũtas eius mẽsura rerũ est, Sermo eius finis est operis. Cæterũ quod supra de verbo Dei dixi, nõ fuit téporale hoc verbũ: alioqui cælũ iã pridé corruisset, sed adhuc durat idipsũ verbũ, ideò & cęlũ in suo ordine cõsistit. Sic Petrus ait, cœlos cõsistere verbo Dei, & eodé verbo eos repositos reseruatosq; igni in dié iudicii, vbi docet conditioné & cõseruationé, & durationem cælorum in verbo Dei consistere. Pulcherrima aũt ibidé voce vsus est. Repositi, inquit, sunt cœli verbo Dei, quasi thesaurus aliquis. Firmamentũ, aũt nominat, quia fortiter & firmiter cõpositum. Itemq; vt in admirationé nos ducat, audientes firmamentum dici, imò videntes firmũ & fixũ esse, cum tamen nullum videamus sustentaculum. Tam potés est verbũ Dei, Portat, inquit, omnia verbo virtutis suæ, &c.

2.Pet.3.

Diuidat aquas ab aquis.] In prima die, secundũ aliquos, distinctioné fecit inter Angelos bonos & malos, quorũ hi per tenebras, illi per lucé significantur. Nunc secundo die distinctioné facit inter cælestia & terrestria, qua distinctione satis innuit futurũ, vt creaturarũ corporalium quædã sursum eleuarétur, vt homines pii. Aliæ deorsum iacere permitterétur, imo ad inferna detruderétur, vt homines impii. Sic igitur statim ab initio duo quædã regna distinxit, cæleste. s. & terrestre. Iuxta illud: Cælũ cæli Domino, terrã aũt dedit filiis hominũ. Vel diuidát aquas ab aquis, angelos ab hoĩbus: illi enĩ eleuati sũt, nos depressi illi quieti, nos velut mare turbidi. Et super hoc chaos etiam

Psal.113.

tiã magnũ firmatũ eſt inter nos & illos, quod tamen per Chriſti gratiã nũc pertrãſire poſsumus. Sed hæc myſtica ſunt. Simplicisſimè aũt intelligendũ, quod De⁹ in medio aquarũ quaſdã aquas ſolidauit, & fecit firmamentũ quod cohibeat aquas ſuperiores & inferiores, ne hæ aſcẽdant, illæ deſcẽdant. Ex aquis ãũt quæ ſunt ſupra firmamentũ, cęlũ eſt cryſtallinũ, aquę cõcretę. Si verò quẽ mouet, quo modo aquę, quarũ natura eſt fluitare ſemper, atq; ad ima delabi, ſuper cęlũ cõſiſtere poſsint, cuius rotũda videtur eſſe figura, meminerit etiã apud nos aquã in firmitatẽ cryſtallini lapidis ſolidari, meminerit item eius quod in Iob legimus: Qui ligat aquas in nubibus, vt nõ pariter decidãt, & intelligat, quòd qui infra cęlũ ligat aquas ad tẽpus cũ vult, vt nõ pariter decidãt, nullo firmioris ſubſtantiæ crepidine ſuſtẽtatas, ſed vaporibus ſolũmodo nubiũ retẽtas: ipſe etiã potuit aquas ſuper rotundã cæli ſphærã, ne vnq̃ delabãtur, quoq; modo ſuſpẽdere. Quod etſi liquẽtes aquas ibi ſiſtere voluit, nunquid maioris miraculi eſt, q̃ quod ipſam terrę molẽ (vt dicit ſcriptura) ſuſpendit in nihilo? Nã & vndę ſiue rubri maris, ſiue Iordanis, cùm ad tranſitũ Iſraelitarũ in altũ erectę murorũ inſtar figuntur, nõne euidẽs dant iudiciũ, quòd etiã ſupra rotũditatẽ cæli fixa poſsint ſtatione manere? Sanè qualeſcũq; ibi aquę, eſſe tamẽ eas ibi, nulli dubitãdũ: quoniã quidẽ ſcripturæ plurimæ hoc exprimũt: Quamuis, vt & ſupra memini, aliqui per aquas ſupra firmamentũ intelligi volũt angelos, qui aquis cõparãtur, tũ propter earũ multitudinẽ, tũ etiã propter aquarũ puritatẽ, angelicæ naturæ cõueniẽtẽ. Cæterũ quòd aquas etiã ſupra firmamentũ poſuit, ideo factũ putant, vt tẽperaret incẽdia feruẽtis illius axis, & ſtellarũ ardentiũ, quẽadmodũ etiã in terra fõtes & fluuios ꝑcreauit, ne eã ſurgẽtis ſolis & ſtellarũ micãtiũ ardor exureret. *Iob.26.* *Ibidem.*

Et fecit Deus firmamentũ, &c.] Vide hic potentiam creatoris, qui verbo tã inſigne opus effecit. Vide itidẽ & ſapientiã eius in cæli diſpoſitiõe, mota figura, &c. Vide itẽ creaturarũ obedientiã. Hæc igitur ſunt quæ hoc ſecũdo die cogitanda ſunt. Imo & hoc illud in hoc opere mirandũ, quòd Deus à cælo incipit ædificare, prius tectũ dom⁹ faciendo, q̃ ipſam domum. Sed quid non poſsibile Deo?

Obſerua etiam, quòd & in hoc loco trinitatis meminit, imò in qualibet die ponit hęc tria: fecit, dixit, vidit: Quãquã hoc loco prius ponitur dixit, q̃ fecit, vt ſciamus filiũ patri coęternum. Adnotandũ & hoc, quod quidã negãt in Hebræo hoc ſecundo die additũ eſſe (& vidit Deus quòd bonũ) quod ideo factum putant, quia binarius numerus primus recedit ab vnitate, quicquid autẽ ab vno illo & ſummo bono recedit, bonũ eſſe non poteſt.

Congregentur aquæ quæ ſub cælo ſunt, &c] Hæc eſt tertia diſtinctio. Terra adhuc erat inuiſibilis, quia aquis operta. Nũc aũt aquæ iubentur abire, & terra ſic prominet ex aquis. Vide hic iterũ, q̃ poteſtatiuè loquatur Deus. Congregentur, inquit, aquæ: vt vel hinc videamus, quanta ſit vis verbi diuini, cui rectè oĩa tribuuntur. Cæterũ quod hic dicit, in vnũ locum ſingulariter, poſtea aũt maria, pluraliter, nihil refert. Multa quidẽ maria ſunt, ſed tamẽ vni iungũtur. Et lacus etiã in ſe ſtructi, occultis meatibus in mare reuoluuntur: imò vnum mare eſt, licet diuerſa noĩa ſortiatur à vicinis littoribus, vt Aegæũ, Atlanticũ, Perſicũ, Germanicũ, &c. Cæterũ quod aquis hic p̃cipitur, vt in vnũ locũ cõgregẽtur, etiã nobis dictũ putemus. Quid eñ aliud nos docet verbũ Euãgelii, q̃ vt in vnã Eccleſiã & fidẽ cõueniamus? Congruè aũt quod ſupra gñali noĩe terrã appellauit, hic nominat aridã. Terra eñ dicitur, etiã ſi ſit aquis operta. Arida aũt nõ ſolũ ad genus, ſed ad ſpeciem etiã terrarũ defertur, vt ſit vtilis, ſulcabilis & apta culturis. Arida itẽ dicitur, quia naturaliter habet ſiccitatẽ, ſicut ignis calorẽ. Itẽ Aridã nominat etiã ante creatũ ſolẽ, ne videratur ſole magis, q̃ Dei p̃cepto ſiccata. Vnde & Dauid diſcernens mare & terrã, ait de Deo: Qm̃ ipſius
Pſal. 94 eſt mare, & ipſe fecit illud, & aridã fundauerũt man⁹ eius.

Et factũ eſt ita.] Nõ mediocris pudor eſt, imperio Dei inſenſibilia elemẽta parere, & hoĩes non obedire, quibus ſenſus & ratio ineſt ab initio. Cæterum nõ hic ſolũ obedientis aquæ exemplum habemus, nã & alibi legimus: Viderunt te aquæ, & timuerunt. Et iterũ: Mare vidit & fugit, Iordanis cõuerſus eſt retrorſum, &c. Multa nunc & magna miracula videmus in hac diſtinctione & ſeparatione aquarũ à terra. Primũ miraculũ eſt, quòd ſolo verbo aquas

aquas à loco suo proprio remouit. De hoc Dauid loquitur magnificè: Super mõtes, inquit, stabunt aquæ: Ab increpatione tua fugient, à voce tonitrui tui formidabũt, hoc est, fugerunt & formidarunt, futurũ pro præterito, Hebræorũ more. Quis aũt nõ miretur insignem hãc Dei potentiã? Secundum miraculũ, quòd aquas solo verbo etiam cõtra naturam retinet, ne priorẽ locum posśint repetere. De hoc idem Dauid: Terminũ posuisti eis, quem non transgredientur, &c. Et Sapiẽs: Legẽ ponebat aquis, ne transirent fines suos, &c. Et Dñs ad Iob: Posui ei (scilicet mari) fines, apponens claustra & portas. Dixit aũt ei: huc vsque venies, nec transgredieris, & in teipso cõterẽtur fluctus tui. Nonne ipsi videmus mare frequenter vndosum, ita vt altum fluctus eius tanq̃ mons aquæ præruptus insurgat, vbi impetũ suũ in littus illiserit, in spumas resolui repagulis quibusdã harenę humilis repercussum? Vbi interim considerandũ, q̃ facilè Deus diluuio posset nos perdere: si non aquas cõtra naturã suo verbo retineret. Meritò ergo in Ieremia dicit: Me ergo no timebitis, qui posui arenã fines mari, &c. Tertium miraculũ, quod omnes aquæ in mari cõgregantur, nec tamen mare super fluit. Quartũ, quod terra in medio mari cõsidet, iuxta illud: Ipse super maria fundauit eam, & super flumina præparauit eam. De his rebus multa disputarunt philosophi, sed frustra. Moses dicit omnia hæc solo verbo Dei constare. Cæterùm quod Deus & mari & terræ nomina imponit, declarat se dominum esse. *Psal. 103.* *Ibidem.* *Prou. 8.* *Iob. 38.* *Ier. 5.* *Psal. 23.*

Et vidit Deus, quod esset bonum.] Hoc toties repetit Moses, quia nos dignè laudare nõ possumus, vt ad laudem & admirationẽ excitet. Deinde quasi iam perfecta sint, laudat: cũ tamẽ adhuc in primo operis exordio erant: quia apud Deũ rerum perfectio nõ in consummatione operis, sed in prædestinatione volũtatis cõsistit. Verisimè autẽ dictũ est: vidit Deus quod bonum. Bonum est mare, quia terras necessario suffulcit humore, quibus per venas quasdam occultas succum subministrat. Bonum mare, tanquam hospitium fluuiorum, fons imbrium, inuectio commeatum, &c. De terræ autẽ bonitate infra dicetur. Duplici igitur noĩe laudandus nobis Deus in hoc opere.

Primò, quòd aqua ipsius voluntate & iussu vitam nobis concedit. Secundo, quòd terram fœcundam victui humano aptam, imò & necessariam nobis concessit.

Germinet terra herbã virentẽ. Postq̃ in gñali dixit de creatiõe cæli & terræ, & deinde quomodo creaturas à seinui cẽ separauerit: hic nũc tertio incipit describere, quomodo eas ornauerit. Iá quidẽ factũ erat cælũ, sed nondũ stellis ornatũ: erat terra, sed nõdum herbis ornata & arboribus, erat mare, sed nondũ impletũ piscibus. Et quidẽ potuisset Deus oẽs creaturas perfectas reddere primo die, verũ noluit, sed successiuè eas perfecit, vt hinc disceremus, creaturas neq; subsistentiã suã, neq; decorẽ aut virtutẽ â seipsis habere, sed oĩa à Deo, ne quando decorẽ & virtutẽ creaturarũ naturæ adscribamus, & nõ deo, id q̃ solẽt philosophi. Cæterũ ab infimo orditur, & terrã quæ cæteris elemẽtis inferior est, primo ornat. Ita enim solemus nõnunq̃ infirmis rebus aut mẽbris maiorẽ honorem impẽdere. Deinde hoc facto ostẽdit, sibi maximè placere humilia, seq; velle in humilibus & abiectis rebus operari. Iam q̃uis etiã tũc magnificè gloriã & potentiã suã ostẽdisset in terra: Primũ in eo, quod super maria eã fundauit. Secundò, quòd ab aquis eã repurgauit, ipsasq; aquas repagulis quibusdã coercuit, ne terrã denuò operirẽt. Tertiò quòd terrã nõ æqualẽ & planam, sed mõtibus & collibus distinctã fecit, ne in ipsa ventorũ tẽpestas regnaret, quẽadmodũ & in mari. (Si enim vbi paululũ vẽtis currere licet, tãtas vires breui colligunt, quid possent, si nullũ in toto mũdo haberẽt repagulũ?) Quartò, quod terra etsi ab aquis repurgata sit, alitur tamẽ intrinsecus dulcescẽtibus aquis rigatur, extrinsecus pluuiis. Itẽ in ea miro opi-
Psal. 103. ficio Dei scatẽt fontes, fluũt amnes, iuxta illud: Qui emittis fontes in cõuallibus. Hæc, inq̃, aliaq; diuinę bonitatis & potẽtiæ opera iã in terra cõspiciebãtur: nec tamẽ cessauit, sed insuper etiã eã ornare voluit, vt quos priora opa nõ mouissent ad laudẽ & admirationẽ Dei, saltem sequẽs ornatus eos moueret. Primò igitur cum dicit: Germinet terra. Videmus quare iusserit abire aquas, nimirũ vt terra possit germinare, hominibusq; & iumẽtis pabulũ præ-
Psal. 146 stare, iuxta illud: Qui pducit in mõtibus fœnũ, & herbã

seruituti hoīm,Qui dat iumētis escā ipsorū,&c. Deinde, quod Deus iussit ac præcepit terræ vt geminaret, videmus quod terra hoc nō habet ex natura, alioqui à principio ante illud præceptū germinasset. Itēq; si hoc haberet ex natura, vbiq; germinaret. Atqui videmus quod in plerisq; locis sterilis est & manet:nō igitur rerū naturæ tribuamus cōmoda. quibus in hoc mundo fruimur, sed naturæ domino & cōditori, à quo tanq̃ à prima causa pendet, quicquid naturaliter produci cernitur. Ipse est enim qui fruges multiplicat:ipse ecōtra famē, grādinem, pruinā, & alia incōmoda terræ nascentibus immittit suo arbitrio. Non ergo tam naturæ seminis, quàm gratiæ conditoris referamus acceptum, si quid terra nobis protulerit. meminerimusq; hæc Dei dona ad ipsius beneplacitū atq; legem tractanda, & in vsum debitum adsumenda:nisi tam pio prouisore irato, huiusmodi rebus carere volumus.

Ob eandem causam etiam ante constitutionem solis terram fecit germinare, ne solem putarent homines Deum esse, tot nobis cōmoda proferentem, sed omnia Deo ipsi attribuamus, qui operatur omnia in omnibus. Ideo tam potenter loquitur:Germinet, inquit, terra:per se scilicet, nullum alterius quærat auxilium. Antequam solis fiat luminare herba nascatur, antiquior eius sit prærogatiua, q̃ solis, ne error hominibus inualescat. Sciant omnes sole non esse authorem primarum nascentium, Dei clementia terram relaxat, & prorūpere facit fructus. Vides quod in solum Deum nos dirigat Moses. Cæterùm hac breui verborum congerie (Germinet terra herbā virentem & facientem semen & lignum, &c.) cuncta terræ nascentia quantumcunque parua cōprehendit. Omnis siquidem herba & omne lignū primo bifariam diuiditur: est enim herba solummodo virens, vt fœnū quod producitur iumentis: & est herba semen suū adferens, vt triticū cæteraq; species quas producit seruituti hominum. Item, est lignū afferens nullum fructum sed solùm semen, vt fagus aut pinus, cæteraq; ligna campi & cedri, in quibus passeres nidificant: & est lignū pomiferū quod fructū adfert, vt pyrus, pomus, &c. Nihil horum prætermittit verbum Dei, vt sciamus omnia etiam minutissima ab eo creata.

Vide autem Dei potentiam & sapientiam: non solùm herbas & arbores creauit, sed & semina sua dedit quibus continuari possent: non quòd seminis natura sit
Mat. 6 gignere, sed quòd Deus sic ordinauit, verbum Dei hoc agit. Vnde dicit: Pater pascit & vestit omnia. Creaturæ autem tantum sunt instrumēta in quibus Deus operatur.

Iam si res tantillas Deus administrat & saluat, quomodo non animas nostras etiam regeret & saluaret? Non igitur hæc parua contemnenda sunt, quandoquidem tantoperè confirmare possunt fidem nostram. Cæterùm quod Deus iussit ab initio, hoc etiam hodie operatur: sunt qui oculos tendunt in naturā, & Deum nō cogitant,
Act. 17. quasi non omnia in ipso fiant, sed hi longe errant: in ipso enim viuimus, mouemur & sumus: scimus nec passerem de arbore cadere sine voluntate patris. Ideò hæc benè meminerimus, quia quidam non putant omnem vim sibi datam â Deo, sed suas operationes solas habere, sicque Dei operationem seponunt: inde fit vt maior hominum
Ioan. 5. sit impietas & ingratitudo: nam si sciremus Deum vbiq;
Hebr. 1. præsentem suis donis, vtique maiorem illi exhiberemus reuerentiā. In Ioanne habemus: Pater meus vsq; modò operatur, & ego operor. Et Paulus: Portans omnia verbo virtutis suæ. Quod qui rectè secum expendit, certè cū magna gratitudine Deo seruiturus est. Hoc quidē verum est quod propter peccatum hoc Dei beneficium aliquando reuocatur, vt Moses dicit: Si non seruaueris mā-
Deut. 28. data Dei, maledicta erit terra, cælum super te erit æneū, & terra ferrea, &c. Sed cur, inquis, herbas & gramina, iumentorū scilicet cibum, prius creauit, quàm cibum hominum? Respondeo: Primò, ꝙ ante diluuiū etiam homines solis terræ nascentibus victitabant. Secundò, per hoc ostendere voluit, ꝑ etiā minima quæq; nō negligat, sicut in Euangelio dicit: Respicite volatilia cęli, nō serūt neq; metūt, & pater vester pascit illa. Præterea hoc facto frugalitatē & parcimoniam vel temperantiam docuit, quòd facilē illum & naturalem cibū prius creauit, hic enim sobrietatis cibus est, reliqui deliciarū & luxuriæ: hic cōmunis omnibus animantibus, ille paucorum. Deniq; hic cibus primo creatus, & salubrior & vtilior est. Oportebat

igitur

igitur hominé eo cibo contentũ esse qué natura obtulit, qué liberalitas Dei primo donauit. Huc pertinet quòd Boëtius ait: Fœlix nimium prior ætas, Contenta fidelibus aruis, Nec inerti prædita luxu, Facili quæ sera solebat Ieiunia soluere glande,&c. Demũ etiam ideo primũ gramina & herbas creauit, vt in primo statim aspectu terræ, expressam haberemus imaginé vitæ humanæ, & specu lum conditionis nostræ: Omnis enim caro fœnũ, & omnis gloria eius sicut flos fœni. Videmus quidem aliquos nunc sanos, diuites, potentes, lætos: paulo post, infirmos, pauperes, depressos, tristes, deniq; morientes. Hãc nostræ carnis cõditioné ipsam, terrę germina nos docét. *Isa.40.*

Et protulit terra herbam virentem.

Vide efficaciam verbi diuini, solo verbo omnia fecit, nondum erat homo qui operaretur, non aratrum, non boum cooperatio: sed solum audiuit præceptum, & statim quod suum erat fecit. Ex quo discimus, quod etiã nunc neque cura, neque labor noster fructuum prouentus nobis concedunt, sed verbum dei. quantumcunque enim homines operentur & cæli sit temperies, &c. frustra tamen omnia fiunt, nisi domini nutus accedat. Vt auté magis nobis innotescat dei magnificentia, considerenda nobis primo est herbarum & florum pulchritudo, odor, virtus: deinde seminũ efficacia: præterea arborum diuersitas, & fructuum vtilitas, &c. Quis hæc attendens nõ clamet cum Psal. Quàm magnificata sunt opera tua domine, &c Quocunq; igitur nos verterimus, vbiq; deũ videmus & sentimus: atq; hæc esset vera theologia, ex rebus creatis cognoscere & laudare creatoré, &c. vide Ambrosium in hexamero. Cæterũ ex hoc dei opere mul tipliciter arguitur nostra ingratitudo & oscitãtia. Primò enim terra ad vnũ Dei mandatũ obediuit, homo aũt nõ. Deinde, quælibet herba aut arbor fructũ ꝓfert, nõ alienũ, sed secundũ genus suũ: solus homo degenerat. Præterea, terra nõ defraudat credita sibi semina, sed cũ vsura reddit: ꝙ si aliquando frigore aut siccitate retardata. nõ satisfaciat hominũ expectationi, sequẽti anno cõpensat damna prioris anni: homo autem hominum fraudat, &c. *Psal. 103*

Et vidit Deus quòd bonum.

Placuit

Placuit hoc opus Deo: Si tibi parua res videtur quod Deus condidit, tamen Deo cuius sapientiæ nihil potest comparari, illa opera placuerunt: & nos igitur magna gratitudine ea suscipiamus. Verissimè auté dictum est, omnia terræ nascentia esse bona, adeò vt etiam herbæ venenosæ bonæ sint. Singula enim eorum quæ generantur è terris, specialem quandam rationé habent, quæ pro virili portione complent vniuersæ plenitudiné creaturæ. alia enim nascũtur esui, alia vsui. Nihil vacat, nihil inane germinat terra: quod tibi putas inutile, aliis vtile est: imò ipsi tibi frequenter in alio vsu est vtile. Quod escam non adiuuat, medicinã suggerit, & sæpe eadem quæ tibi noxia sunt, auibus aut feris innoxium ministrant pabulũ. Vidit igitur Deus quòd bonum. hæc igitur sunt quæ tertio die nobis cogitanda essent.

Et dixit Deus, Fiant luminaria, &c.

Nunc tandem hoc quarto die etiam cælum ornare incipit, nam nec aliunde habet suum ornatũ, quàm à Deo. Nec enim à natura habet vt sit stellis ornatum. Pulchrè autem quarto primum die solem & stellas formauit, cum iam & lux & dies esset, imò tres dies præcessissent, ne soli adscribatur lux & dies. Sic & terra prius germinasse dicitur quàm sol crearetur, ne terræ fertilitas soli aut influentiis adscriberetur: verum quidé est, quòd sol aliaq; astra nonnihil agunt & cooperantur ad fertilitaté terrę. experientia enim videmus, quòd sole à nobis rececedéte pigrescunt arua, constringuntur flumina, frondiflua moriuntur nemora, &c. eo auté appropinquante nobis omnia denuo virescunt: nõ tamen sol præcipuus author horum terræ nascentium est. Obserua quod in hoc opere, sicut & in aliis, tria illa verba repetuntur, dixit, fecit, vidit quod bonũ: quibus (vt & supra dixi) exprimitur personarum trinitas. Cæterùm in hoc opere quæri solet, quomodo, cùm antea lux creata sit & distinctus à nocte dies, iam hoc soli tribuatur? Basilius respondit ante conditam esse lucem, nunc lucernam & illius lucis velut candelam. Nazianzenus propè explicans quod à Basilio dictũ est, ait, primo die lucem esse conditá diffusam passim in totam vniuersitatem mundi, quæ postea ceu vndique

que collecta in solem coacta sit. Ambrosius aliam lucem putat esse quæ primo die condita est, & aliam quæ quarto. Verùm quicquid sit, palàm est primò die lucem conditam & diei noctisq; discrimina: deinde die quarto additum esse solem, lumen clarius & diei discriminatorem cognoscibiliorem. Iam cum dicit, fiant luminaria: constat sola vi verbi Dei creata esse astra cæli. Hoc autē Dei verbū, voluntas, & ordinatio, in hunc vsque diem perdurat: quòd enim sol lucet, & omni die percurrit cælum, non ipsius natura est, sed Dei voluntas & ordinatio, idē dicendum de aliis astris.

Et diuidant diem & noctem.

Quatuor per ordinē ponit cōmoditates astrorum, quarum prima est, quòd diuidunt diem & noctem: hoc est, faciunt vicissitudinem temporis apti ad operandū & quiescendum: nam homo etiā quiete opus habet. Huc pertinet, quod Dauid ait: Ortus est sol & cōgregati sunt, &c. Exibit homo ad opus suum vsque ad vesperam, &c. Vel *Psal.* 103 diuidant diem ac noctem, ea scilicet diuisione quæ infra apertius explicatur, vt sol quidē diem, luna autem & stellæ noctem illustrent. Hoc enim factis syderibus ad augmentū primariæ lucis accessit, vt etiā luminosa nox procederet: quę eatenus nihil præter tenebras nouerat antiquas.

Et sint in signa.

Non inquit, sint authores rerū, sed sint in signa. quo verbo palàm redarguuntur astrologi, qui nedū vim quādam syderibus tribuunt in hæc inferiora corpora, sed etiam in ipsas animas hominū. Qui sub hac, inquiunt, constellatione nascitur, talis futurus necessario est: talem vitam ducere, talem mortē subire cogitur: quod planè falsum & impiū est. Stellæ enim & astra non vt nobis dominentur creata sunt, sed vt ministrent. Hinc Ieremias: A signis cæli nolite metuere. Et Moses: Vide ne quando *Iere.* 10. adores solem & lunā, quæ Deus creauit ad ministerium *Deut.* 4. cunctis gentibus. Deinde videq; impia sit hæc persuasio. Hinc enim sequetur, quòd nemo tenetur mutare mores suos, & eniti vt melior fiat. Item in ea persuasione nec probū laudare potes, nec condemnare improbū, qui necessitati natiuitatis suæ respondere videatur. Et quomodo

modo dominus aut præmia propofuit bonis,aut improbis pœnã,fi conuerfationẽ ftellarũ curfus informat? Sed quid aliud eft quam hominẽ homine exuere,fi nihil mori b⁹,nihil inftitutioni,nihil ftudiis relinquitur? Quàm multos videmus è criminibus in meliorem ftatum tranfiiffe?
Matt.10. Luca.23. Act.12. Apoftolos ex pifcatoribus,non fanè natiuitatis hora,fed Chrifti fecit gratia. Latro ille dãnatus capitis,non natiuitatis fuæ beneficio,fed fidei cõfefsione ad paradifum peruenit. Petrum de carcere imminente morte perimẽdum, nõ ftellarũ feries,fed angelus liberauit,&c. Et quid opus pluribus hanc perfuafionẽ cõuellere,quæ nedum in fe vanifsima eft,fed etiã impofsibilis: vt pulchrè probat Ambrofius in hexamero lib.4.ca.4. Faceffant igitur philofophorũ opiniones,nos Mofen audiamus. Sint, inquit, in figna. Hæc eft fecũda vtilitas aftrorũ,quòd funt in figna huius vitę vfibus neceffaria,quę vel nautę in gubernãdo, vel in defertis Aethiopię arenofis quiq; viatores obferuant,vbi leuifsimo vẽti impulfu cuncta mox itinerantiũ veftigia complanantur. verè magna vtilitas & fummè neceffaria. Deinde funt figna fereni vel pluuiofi tẽporis: ex ipfis enim etiam aeris qualitas quæ fit futura præuidetur, quod & ipfum non parũ homini cõducit, vt fciat quãdo operandum fit,quando ceffandum. Hinc Chriftus: Faciem,inquit,cęli noftis diiudicare: vefperi enim cũ dicitis rubicundũ eft cælum,ferena erit dies,&c. Pręterea, funt in figna quib⁹ Deus nõnunq̃ futuras calamitates prędicit. Sic per Eclypfim folis in pafsione domini, Iudæorum excæcatio & perditio pręfigurata fuit: fic æterna impiorum mala præcedent figna in fole,luna,& ftellis.

Matt.16. Mat.17. Luca.21.

Et tempora, dies, & annos.

Tertia cõmoditas aftrorum,quòd diftinguunt tẽpora: Sic fol fuo ad nos acceffu vel receffu conftituit quatuor anni tẽpora, ver,æftatem,autumnum,hyemem: quotidiano fuo curfu conftituit dies: curfu fuo per zodiacũ conftituit annum. Luna curfu fuo facit duodecim menfes in anno: item cùm duodecies fpacia fui curfus peregerit,facit annũ lunarẽ,facit & lunationibus fuis Neomenias &, fefta Iudaica. Sic & ftellæ nedum funt in figna, fed & in tẽpora: quia hæ in cælo apparentes æftiua tempora, illæ defignant

designant hyberna. Sunt in annos: quia quæ, verbi gratiæ, in æquinoctio verno oriuntur, eædem ipsæ omnibus annis in eodem æquinoctio sic oriuntur.

Et luceant in firmamento, & illuminent terram.

Quarta commoditas astrorum, quòd deseruiunt homini ad visum, qui est directiuus in operibus. Duo autem dicit: vt & in cælo luceant, & terram illuminēt: quorum primum semper faciunt, secundum autem tempore opportuno. Hæc sunt quæ Moses de astris dicit, nullam autem mentionē facit de influentiis. Christianos enim instruit, non ad philosophiam, sed ad laudem Dei.

Et fecit Deus duo luminaria magna.

Magna dicũtur, nō tā aliorũ cōparatione, quàm suo munere, vt est cælũ magnũ & mare magnũ: nā & magnus sol qui cōplet orbē terrarum suo lumine & calore: itidem & luna suo lumine, quæ in quacunq; parte fuerint cæli, illuminant cuncta, & æquè spectantur à cunctis. Exemplum magnitudinis eorum euidens est, quòd omnibus hominibus idem videtur orbis ipsorum. nam si longè positis minor videretur, & propius constitutis maior refulgeret, proderet exiguitatis indicium.

Luminare maius, vt præesset diei.

Sol luminare maius dicitur: primò ratione corporis, quo, secundùm aliquos, octies excedit magnitudinem terræ: secundum alios autem centies sexagiessexies. Secundò, luminare maius dicitur propter magnitudinem luminis, quo longè alia astra excedit. Tertiò etiam ob id, quod propria luce lucet, non aliunde mutuata, vt luna, quæ lucē suam à sole mutuatur, secundum aliquos. Quartò, maius etiam est virtute ardoris, quia mundum calefacit, qui ante eius creationem nihil caloris habuit. Vt præesset, inquit, diei. Non inquit vt faciat diem, sed vt præsit diei, eum regat & illuminet.

Iam igitur si solis magnitudinē, splendorem, calorē, virtutem attendis, an non magnificè Dei opus vides? quod vel solum nos in admirationē & laudem Dei perducere potest. Huc pertinet quod Dauid ait: Cæli enarrant gloriā Dei, &c. In sole posuit tabernaculũ suũ, & ipse, scilicet sol (secundùm Chrysostomũ) tanq̃ spōsus procedēs, &c. *Psal.* 18.

Exultat

Exultat vt gigas,&c. A summo cælo,&c. Hic tamen videamus ne admirando solem in ipso hæreamus, alioqui etiam nobis continget quod gentilibus contigit, qui eũ pro Deo coluerunt. Sed quando solem videmus, authore eius consideremus: quando hunc miramur, laudemus prius ipsius creatoré. Si tam gratus est hic sol, tam admirabilis, tam velox,&c. quantus & qualis est Deus, qui soli hoc dedit? Denique si magnum damnũ iudicatur huius solis gratiam non videre, quantò maius damnum non videre Deum?

Et luminare minus vt præeßet nocti.

Luna dicitur luminare minus eisdem rationibus quibus sol dicitur luminare maius, per oppositum tamen.

Vt præsit nocti. Mera Dei bonitas etiam noctis horrore lunæ & stellarum splendoribus mitigat. Deinde quod interdiu sol exsiccat, luna rore, nocte cõpensat: quãuis autem & luna plerunq; videatur in die, certũ tamen est eam nõ die, sed nocte solummodo lucis solatium aliquod afferre. Quod si etiam hic lunæ splendoré, motum, instabilitatem, crebras eclypses, &c. attendas, an non insignia Dei opera vides? Signanter auté luna nos admonet instabilitatis nostræ. Iam quis stellarum numerum, diuersitatem, ordine, satis vel cogitare sufficit? Iustè igitur magnificandus earum conditor.

Et posuit eas in firmamento cæli.

Non sic intelligendum quòd prius eas fecit, postea autem in firmaméto posuit: sed simul hæc omnia facta sunt. Et quidem secundum philosophos omnes stellæ sunt in firmamento cæli, præter septé planetas, qui proprios circulos habent, & contrario motu voluuntur contra firmamentum, non cum firmento vt cæteræ stellæ. In fine repetit, vt lucerent, inquit, super terram, &c. ne quis alium vsum astrorum quærat, vel suspicetur. Ad hoc enim solum tendit Moses, vt Deus agnoscatur. Item vt curiosis omisis, necessaria & vtilia quæramus.

Et vidit Deus quòd bonum.

Singulis diebus ostendit scriptura, Deo placere creaturas, vt omnem amputet occasionem eorum qui accusare audent quæ ab eo facta sunt. Sufficiebat quidé semel de omni

de omnibus creaturis dicere, vidit Deus quod omnia essent bona: sed sciens quanta sit mentium nostrarum imbecillitas, particulatim hoc facit, vt discas quòd sapientia quadá omnipotenti & inenarrabili misericordia producta sint omnia. Hoc igitur exercitium nostrum sit in die quarta, vt cú viderim⁹ cælú eiusq; formositaté, stellarúq; varietaté admirati fuerimus, ad ipsum Deú tráscendam⁹.

Producant aquæ reptilia animæ viuentis.

Post ornatam quarta die faciem cæli luminaribus, ornantur nunc consequenter quinta die inferiores mundi partes, aer scilicet & aqua. Non enim mihi arridet opinio illorú, qui putant omnia simul in vno mométo facta esse: nó enim tam temerè ab expresso textu scripturæ recedendú est, maximè cùm nulla cogat necessitas hoc primum caput aliter intelligere, quàm quòd sex dieb⁹ creaturas perfecerit Deus. Simplicissimè igitur intelligamus verba vt iacét, népe ꝙ sex fuerint dies. Nec obstat quòd obiiciunt illud Mosi, Dei perfecta sunt opera: non enim hinc sequitur, quòd omnia in vno momëto perfecta sint, nam & homo perfectum opus Dei est, sed nouem mensibus in vtero formatur: imò etiam natus nondum perfectus est, sed plures annos requirit. Sic & redemptio humani generis, opus Dei perfectum est: & tamen Christus trigintatribus annis salutem nostram operatus est in terra, & adhuc operatur. Similiter nec illud obstat quod Sapiens dicit: Qui viuit in æternum creauit omnia simul. Nihil enim aliud vult, quàm quòd Deus est author omnium, qui solus etiam quæcunq; tandem sunt creauit. Sed ad propositum, pulchrè ornatum aeris & aquæ in vnum diem contulit, & statim post ornationem cæli, quia hæc duo elementa quadam quasi cognatione & sibi inuicé, & cælo copulantur. Sibi quidem, quia aquarum naturæ aeris qualitati proxima est: vnde exhalationibus aquarú aer pinguescere probatur, ita vt & nubila cótrahat, & possit volatus auium sustinere, atteståte scriptura: Quasi subito aer cogetur in nubes, &c. deniq; per noctes etiá serenas rorat. Cęlo auté hoc modo coniunguntur, quoniam adeo vicin⁹ est ei aer iste, vt & ipse nomen nonnunquam eius acceperit, sicut volatilia cæli cognominat

Deut. 32.

Iob. 37.

scriptura, quæ volare constat in aere. In huius igitur quintæ diei opere nonnihil quidem audimus, hactenus enim Deum potétem, sapienté, & bonum vidimus in operibus quatuor dierum, hic autem vidimus eum etiá autorem vitæ: hactenus enim nihil de vita dixit, & quamuis gramina & herbæ dicantur viuere, solam tamen habent vitam vegetatiuam. Producant, inquit, aquæ: Verbū Hebræū hic positū plus est quàm producere, significat enim cū multitudine reptificare (reurmblen) sicut videmus aceruum formicarū: sicque abundantiam hoc verbo commendauit. Verbum igitur Dei ex animantibus ex aqua
Ioan.1. productis, vitam, sensum, & motum dedit: in ipso enim vita erat. Et mirum quidem est è fluxo aquarum elemento, solida nasci vel produci corpora, sed mirabilius est quod de nihilo potens conditor iam ipsum aquarū elementum fecerat. Deus autē rerum species ex aquis produxit, natantia scilicet & volatilia, idque eodem die: habet enim aqua humorem & vaporem, quorum prius natantibus conuenit, posterius autem volatilibus. Deinde inter natantia & volatilia magna est cognatio, quod eodem modo in suo elemento vtraque ferantur: itemq; permultis auibus & natare & volare concessum est.

Signanter autem addit, animæ viuentis: videlicet vt animam reptilium distingueret ab anima germinantium & ab anima hominum. Habent enim reptilia plusquam germina, & minus quàm homines. germina solam habent animam vegetatiuam: reptilia autem præter vegetatiuam, etiam habent animam viuentem, sed non animam discernentem vt homo. Breue igitur hoc verbum domini quàm magna effecit. Eius enim virtute nedum maria & flumina, sed & exigui gurgites & cœnosæ paludes animalia producunt. Denique idem verbum communem minimis & maximis materiam infudit, eodem momento producitur balena quo rana: non laborat in maximis Deus, non fastidit in minimis. Quòd si consideres tot diuersas species auium, itemq; piscium, videbis virtutem diuini verbi. Certum enim est multò plura esse genera piscium marinorum, quàm animalium
Psal.130. terrenorum: verissimè enim dixit Dauid: Illic reptilia

sine

fine numero. Itemque magna Dei mirabilia in profundo esse & videri: super terram enim ferè non est genus animalis cui non respondeat marinum eiusdem ferè generis, vt lupus marinus, canis marinus, porcus marinus, & cæt.

Et creauit Deus cete grandia, &c.

Obseruandum hic, quòd quanquam aquis præcepit vt producerent, tamen postea subiicit: Creauit Deus: vt significet omnia nascentia, quanquam naturali modo gigni videantur, tamen diuina ope condi. Sic nobis accuratè inculcat Moses, omnia fieri arbitrio & virtute Dei, inter natantia autē nominatim recenset cete grandia: maximè enim mirabilis apparet Deus in huiusmodi tam magnis bestiis, id quod in Iob pulchrè describitur sub nomine Leuiathan. Vide autem hic Dei bonitatem, *Iob.* 41. non contentus fuit produxisse fructus terræ in necessarios cibos hominum, sed insuper & cibos deliciosos piscium & auiū homini præparauit, etiam antequam eum crearet, vt vel sic ad maiorem gratitudinem prouocaret. Non tamen sic sentiendum, huiusmodi animalia propter solum cibū hominis esse creata (id quod impii sentiunt, vnde & iisdem ad omnē luxuriā & voluptatem abutuntur) sed vt & Deus in eis agnoscatur & glorificetur, sumenda sunt hæc cum gratiarum actione.

Benedixit eis & dicit, Crescite, &c.

Hoc benedicere est, dare virtutē crescendi & multiplicandi, quod mox postea per verba, Crescite & multiplicamini. Et quàuis etiam herbæ & gramina crescant & multiplicentur, nihil tamen illis opus fuit expressa benedictione. Etenim herbam virentem seu lignum pomiferum eadem terra quæ germinat multiplicat, & semen illis ipsa importat, & cadentia semina recipit, etiamsi serentis manus fortè desit, & ideo multiplicandæ posteritati, solū ipsorū esse sufficit. verùm reptilibus siue volatilib⁹ si nullus fuisset appetitus, nō ipsa crescerent aut multiplicarentur, & non stetisset eorū genus. Cùm ergò initium existēdi accepissent, opportuit eiusdē creatoris imperio naturalē illis medullitus inseri amorē vel appetitum alterius ad alterū. Hoc illis bñdictio cōtulit, magnaq; huius

 bene-

benedictionis vis hæc animantia perpetuo amoris vincu lo tenet. Quamdiu enim emittentur fontes in côuallibus,
Psal. 103 tam diu super eas volucres cæli habitabunt, &c. Eodem amore vel desiderio gallina languida cum pullis vocem mutabit, & luscinia lætabunda paruulis ouis supersedens tota peruigil nocte decantabit, tanta cantilenę suauitate, vt videatur summa hæc eius esse intentio, quo possit non min⁹ dulcibus modis fœtus animare, quàm fotu corporis. Hinc educta ꝓgenies vespere & mane & meridie quo dammodo narrabit, & creatoris laudé nō ingrata creatura narrabit, & ei qui dat escam omni carni tanto concentu confitentur, vt erubescere debeat homo rationalis, si vnquam dona creatoris mutus ab eius laude acceperit. Sic & quàm diu stabit hoc mare magnum, tam diu perseuerante huius benedictionis virtute erũt ibi reptilia quorum non est numerus.

Et vidit Deus quod bonum.

Verissima sententia, in ipsis enim primò conspicitur authoris gloria, sapientia scilicet & bonitas. Deinde per huiusmodi ipsius authoris & potẽtia & potestas ꝓditur. Cùm enim videmus vilibus bestiolis interdum necari robustissima corpora, considerare debemus quàm horrendus sit aspectus autoris, si irascatur, &c. Præterea in singulis animantibus, præter alia cômoda, singula ferè vitæ exẽpla nobis expressa sunt. Sic quòd pisces nunquam à matre, id est, aqua recedunt, auulsi autẽ moriuntur: quid aliud nos docet, quàm vt cum matre Ecclesia permaneamus? Sic quod pisciũ aliqui boni aliqui mali, quid aliud
Mat. 13. significat, quàm diuersitatẽ hominũ? Hinc Christus regnũ cælorũ sagenæ cõparat. sic pisces illi raptores qui alios deuorant impios hoĩes exprimũt. Idẽ de volucribus dicendum: Primò enim, quod tanto studio natos fouẽt, docemur etiam nos pro filiis curare, &c. Sic hirũdo nidũ suum propè homines faciẽdo, quo aliæ aues prædatrices non audent accedere, prudentiam nos docet. Quòd eadem auis sine damno alicuius ędificat, impios illos arguit
Isa. 5. qui agrũ agro, domũ domui copulant, quasi ipsi soli sint super terram. Quòd grues sic obseruant noctis excubias, discere debemus vigilantiá. Turtur nos docet castitatẽ.

Et quid

& quid opus pluribus? Sola apis tantillum animal nos docet quid in repub.agendum sit,&c.De his latius vide Ambrosium in hexamero lib.5.per totum.

Producat terra animam viventem.

Non contentus piissimus Deus terram herbis & arboribus ornasse,nunc insuper hac sexta die eandem animalibus domesticis & syluestribus ornat: omnia in eum finem,vt homo postea creandus diuité & vndiquaq; ornatam domũ inueniret,sicq; magis ad laudandũ & diligendum creatoré accenderetur. Sic igitur Deus,etiam antequam essemus,nostri curam habuit, vt meritò cùm Dauide dicere possimus: Domine quid est homo ꝙ memor es eius, &c. Ité: Quis sum ego & domus patris mei? &c. Ité: Domine probasti me & cognouisti me,&c. per totũ. *Psal. 8.* *2.Reg.1.* *Psal.138.*

Ex hoc igitur textu primò videmus vnde initiũ & ortum habuerint animalia terrestria,nempe à Deo:Deinde, per quid creata sint, nempe per Verbum: Postremò nominatim ea recensentur: Iumenta, inquit, reptilia,& bestias terrę. his enim tribus nominibus omnia animalia terrestria comprehendit.Iumenta sunt animalia domestica, vt sunt oues, boues,equi,asini,&c. Reptilia,sunt serpentes & dracones. Bestiæ, sunt animalia immitia,leones,vrsi,lupi,&c.In his auté tribus animalium speciebus, tria iudicia Dei videmus. Ab vna namq; specie,id est, à reptili, homo seduci permissus est: ab altera,id est, à bestiis terræ,iusto iudicio peccator idem infestatur: à terra auté, id est,à iumentis,eiusdé miseri hoís debilitas misericordia Dei refouéte iuuatur. Atq; hoc tertiũ est indiciũ misericordiæ: poterat & hæc iuméta côtra nos irritare,sed ex misericordia noluit.Primo auté loco Moses ponit ea animantia quæ homini seruiunt,ostendere volens etiam alia nó nocitura fuisse, si homo in innocétia perstitisset, Obserua quòd non dicit,producat terra iumétum,reptile, bestiam, in singulari: sed omnia ponit in plurali, quia quodlibet illorum plures habet species.Significanter autem dicit, secundùm genus suũ:quod & adhuc videmus obseruari, quodlibet enim animal naturaliter non aliis quàm suæ speciei animalibus coniungitur. Quòd autem nunc sunt quędã naturarũ ex inęquali permixtióe adul-

teria, vt cum (verbi gratia) de equa & asino mulus nascitur, non naturæ est, sed hominum inuentum, quorũ primus fuit Ana filius Sebeon filii Esau, qui hoc inuenisse dicitur, vt infra patebit.

Gene.36.

Factumq; est ita.

Vide quàm facilè Deus opera sua perficit, nulla intercidit mora, nihil obstare potest vbi Deus loquitur. Attẽde deinde quantũ animalium numerum hoc vno verbo cõprehẽdat, nemo adhuc repertus est, qui vel oẽs animalium species enumerare potuerit. Quòd si quis attendat animalium varietatẽ & numerum, deinde singulorum naturam & conditionẽ, quomodo non exclamaret cũ Dauide? Quam magnificata sunt opera tua domine, &c. Itemq;: Laudate dominũ de cælis, &c. Et postea: Laudate dominum de terra, dracones & omnes abyssi, &c.

Psal.103. Psal.148

Et fecit Deus bestias terræ, &c.

Repetitio est familiaris admodum sacris literis, minimè tamen vitiosa: non enim in scriptura sacra sermonis ornatus, sed legentium fructus quæritur. Repetit autem vt fortius inculcet omnia à Deo creata esse. In hac autem repetitione primo ponit bestias terrę, ne quis propterea quod hominibus nocent non à Deo creatas esse putet. Ne quis autem hic causetur quid opus fuerit bestiis nociuis, sicq; reprehendat quod ignorat, subdit:

Et vidit Deus quod bonum esset, &c.

Quemadmodum infructuosæ arbores etsi ad cibum hominum inutiles sint, sunt tamẽ ad alia vtiles, vtpote ad ędificia & alia: sic nec feræ bestiæ sine causa creatæ sunt. Non igitur incredulitatis occasio nobis sit, si nõ omniũ creaturarum rationẽ cõprehendere possumus, sed magis glorificationis incitabulum. Quando enim deficit ratio, cogita quàm magnus est dominus tuus, & quanta virtus eius, cùm nec rationem eorum quæ ab ipso facta sunt scire queas. Hoc grati animi & sobriæ mentis est: quanquam si attendimus, verissimè dictum est de singulis creaturis: vidit Deus quòd bonũ. Primò enim animalia quæcunq; propter hoc bona sunt, quòd faciũt ad decorẽ vniuersi. Deinde animalia illa immitia faciũt ad exercitiũ hominũ: iustè enim nunc à creaturis infestatur, qui creatorẽ contem-

contempsit. Præterea in huiusmodi feris Deus nobis irã suam ob oculos ponit: si enim iratã bestiam times, quantò magis timendus est Deus iratus? Quod animalia domestica bona & vtilia sint, nemo est qui ignoret. Cæterùm in generali, bona etiam & vtilia sunt animalia quæcunq;, ad nostram doctrinam & admonitionẽ. Cũ enim bruta animalia illa in sua conditione permaneant, fœtus suos diligant & educent, sciant se cõtra inuadẽtes tueri, nouerintq; sibiipsis aliquando mederi: quid aliud faciũt q̃ quod docent nos similia facere? & arguunt nos si cõtrarium agamus? Vt interim taceam, quòd ferè singula animalia singulas doctrinas nobis ingerũt. Hinc est quod Sapiens nos ad formicã mittit, & Isaias improperat: Cognouit bos possessorẽ suum, &c. Sic formica nos docet sedulitatem & laborem, canis fidelitatem erga dominum nostrum. Sic vrsa informes fœtus ore & lingua formando, docet institutionem filiorum. Sic agnus etiam inter multa milia vocem matris agnoscens, docet nos agnoscere vocẽ Ecclesiæ, &c. Et sic per singula, de quibus latius Ambrosius vbi supra. Sũma: vidit Deus quod bonũ, &c. *Prou. 6.* *Isa. 1.*

Faciamus hominem ad imaginem, &c.

Hactenus artificem omnium, Dei sapientiam gyrũ cæli solam circumeuntẽ & in fluctibus maris solam ambulantem prosecuti sumus, quamuis à longè: nunc tandem ad eam quæ positi vel operis huius summa est peruenimus causam: scilicet ad nos homines, quos creator noster dignatus est facere ad imaginem & similitudinem suam.

Huius ergo creationis dignitateṁ, nõ per qualẽcunq; iudicẽ, sed per digitum Dei, cuius est scriptura hæc, diligenter expressam, reuerẽter, vt dignũ est, audiamus. Qui enim generositatem suam primæuam cõsiderat, diligentius Deo seruiet, cauebitq; summo studio, ne eandẽ deturpet impia vita. Deniq; si oculos etiam deflexerit ad miseriã in qua nunc sumus, videbit quòd verè amarũ sit, nos dereliquisse Deum. Pulchrè autẽ Moses hunc textũ præcedenti cõpulat per coniunctionẽ, çũ enim dixisset de creatione animalũ brutorũ: vidit Deus quia bonũ: statim subdit & ait: faciamus hominẽ. quasi dicat, nõ cõtentus fuit bestias creasse, nisi & hoĩes rationales crearet,

non enim beſtias habere vult, ſed homines ratione vtentes: quòd ſi nõ quieuit Deus creatis beſtiis, multo minus in cordibus beſtialibus quieſcet. Quòd autẽ homo vltimo loco creatus eſt, dignitatem eius indicat: ſicut enim regibus ciuitatẽ aliquam ingreſſuris, prius præparantur hoſpitia, ſic hic factum eſt. Deinde ideo etiã omnia alia ante hominem creauit, ne homini quicquam deeſſet: quo notatur immenſa Dei erga hominem dilectio. ſic enim ſolent patres filiis vel nondum natis, vel nondum adultis theſaurizare, ædificare, &c. vt filii bene habeant.

Præterea hoc facto inutilem illã & ſuperfluam ventris curam cordibus noſtris eximere voluit, quaſi dicat: En homo ſicut nũc antequam eſſes omnia tibi neceſſaria ad vitam præparaui, ſic nunquam tibi deerit victus, tantùm vt in vocatione tua perſeueres. Huc pertinet illud Chri-
Mat. 6. ſti: Quid ſolliciti eſtis animæ veſtræ. quærite primum regnum Dei, & hæc omnia adiicientur vobis. Obſerua quòd Deus in creatione hominis mutauit vocem, qui enim hactenus dixit, fiat lux, &c. producat terra, &c. nunc quaſi maiori conſilio & cura opus haberet dicit, Faciamus hominem; quo verbo indicatur, quod hominẽ ſingulari cura & diligentia facere voluerit, quod & ipſum ad dignitatem hominis pertinet. Et ſicut homo ſpeciale quiddam habet in ſua creatione præ aliis animalibus, ſic & ſpeciale quiddam habet in ſua morte. Alia ſiquidem animalia corpore & anima ſimul intereunt, homo autem non. Obſerua item quòd non dicit, Fiat homo ad imaginem, &c. ſed faciamus. non enim homo repentè conſummãdus erat, ſed cũ tempore: nemo enim à principio ſtatim perfectus eſt, ſed prius homo renouatur de die in diem, donec ſimilitudinẽ Dei recipiat. Obſeruandum etiam, quòd non dicit faciam, ſed faciamus: vbi expreſſè perſonarũ pluralitas innuitur in diuinis. Nec obſtat qđ aliqui dicũt, hoc verbũ ad angelos dictũ eſſe, quaſi Deus angelorum conſilio & auxilio opus habeat, aut quaſi eadem ſit imago Dei & angelorum. Non eſt angelorũ conſiliũ dare Deo, ſed aſsiſtere & adminiſtrare, vt eſt Iſa. 6. Is igitur cui dictũ eſt, faciamus hominẽ, &c. nõ alius eſt q̃
Iſa. 9. filius Dei, verbum Dei, ſapiẽtia Dei, vnde & Cõſiliarius

vel

vel Angelus magni cōsilii dicitur. Imò ipsa sancta trinitas hæc dicit:Faciamus,&c.Magnū planè consiliū in ipso sapientiæ concilio,in illo talium personarū patris & filii & spiritus sancti, non tam senatu,quàm soliloquio venerando, de nobis peccatoribus habitum est. An putas eorum quicquam quæ circa nos acta sunt, vel agenda erāt, illic defuisse?Planè ibi omnis nostra in medium causa posita est,mors vel perditio nostra quæ futura erat,illic perspecta est,& inde totum consiliū habitum:Vt vnaquæq; persona suam operis partem susciperet, vt scilicet pater conderet, postea in plenitudine tēporis filius perditum redimeret, spiritus sanctus remissionem peccatorum, & carnis resurrectionem perficeret,atq; ita contra, trinitatis consilio reædificarentur in homine deserta & fundamenta generationis & generationis suscitarentur. Quis hic non exclamet cum Psalmo: Domine quid est homo, quod memor es eius,&c.Item:Repleatur os meum laude,vt cantem hanc Dei gloriam. Laus igitur sit sapientiæ Creatoris, honor gratiæ liberatoris, gratiarum actio pietati illuminatoris, adoratio vni indiuisæ creatrici,liberatrici,& gubernatrici omnium Trinitati.

Quod autem subdit, Ad imaginem & similitudinē nostrā,variè exponitur: imò pleriq; circa hoc etiā errarūt.

Primo enim fuerant, qui hanc imaginem corpori humano attribuerunt, atque hinc etiā Deo os, oculos, manus,&c. adscripserunt. Vnde Antropomorphitæ dicti sunt, quòd Deo humanam formam affingerent. Hos refutat quod in Euangelio scriptū est: Spiritus est Deus,&c. *Ioan. 4.* Alii imaginem Dei animā quidem posuerunt,sed addiderunt eandē animā hominis ex substantia Dei esse, vt Manichæi,quod & ipsum falsum est. Si enim anima humana ex substantia Dei esset,impeccabilis esset,ac planè Deus esset,quod impossibile est. Alii dixerunt, imaginem Dei ex eo solùm,quòd sicut Deus omnia replet, inuisibilis est, viuificat,non dormit, non inquinatur sordibus externis, immortalis est:sic & anima,&c. Et hi quidem rectè:sed nondum satis est. Alii dixerunt hominem ad imaginem Dei factum ex eo solo, quod dominatur piscibus maris, & animantibus cæteris. Quemadmodum Paulus

1. Cor. 11. virum dicit imaginem dei, eo quòd mulieri præpositus est. Alii per imaginem intelligunt filium, per similitudinem autem spiritum sanctum. Erit igitur sensus: Faciamus hominem viuum, rationalem, bonum, ac per hoc similem Deo. Alii imaginem & similitudinem accipiunt pro vno, vt sit natura perfusa sapientia, iustitia, lumine & gloria Dei. In hunc modum de imagine loquitur Paulus: Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis.
Eph. 4.
Colos. 3. Et iterum: Renouatur in agnitione Dei, secundum imaginem eius qui creauit eũ.
1. Cor. 3. Et iterum: Nos omnes reuelata facie gloriam Domini
1. Cor. 15. speculantes in eandem imaginem transformamur. Et iterum: sicut portauimus imaginem terreni, portemus & imaginem cælestis. Homo enim quisque aut Dei aut diaboli imaginem in se habet. Alii autem, vt Augustinus, & post eum recentiores, imaginem Dei ponunt in mẽte vel anima, quæ memoriam, rationem & voluntatem habet, cũ tamen vna sit anima in se, quemadmodum in trinitate vna est essentia, & tamen tres personæ. Similitudinem autem aufert Augustinus & alii ad virtutes Deiformes.

Duplici igitur honore præcellit homo alia animalia. Primò, quòd rationalis est. Secundò, quia rectitudinis & iustitiæ particeps esse potest. Horum altero, id est, rationalitate carere non potest, alterum, id est, diuinæ rectitudinis vel iustitiæ similitudinem, nisi per gratiam, assequi non potest. Secundum hoc igitur etiam mali habent imaginem dei, quæ consistit in rationalitate. Similitudinem autem soli boni habent. Quanquam ipsa rationalitas instrumentum & quasi oculus quidam est ad quærendam similitudinem Dei. Est ergo homo inexcusabilis, cùm ad similitudem Dei non peruenerit, quia videlicet bono instrumento ad hoc propter quod sibi datum est vti noluit. Verùm cùm primum fecit Deus hominem, non solùm rationalem, sed etiam similitudinis
Eccl. 7. suæ fecit honore pollentem. Iuxta illud: Deus fecit hominem rectum, &c. Nunc autem seductus perdidit quidem honorem similitudinis, sed facultas rationis in eo permansit, per quam reuocantem audire, & ad restaurationem sui, ducem ac præceptorem valeat sequi. Obserua quod

quod Deus in creatione hominis vtrunq; ponit, imaginem & similitudinem suam, non enim vult vt tantùm rationales simus, sed vt boni & iusti, &c. Hæc eius finalis intentio fuit, vt homo iustus & sanctus esset: quod eius propositum diabolus quidé ad tempus impediuit, Christus aût per spiritum sanctum perfectè impleuit. Hic igitur videmus qui fuerit status primæ creationis, & qua gloria exciderimus. Videmus item hominem non ideo factum esse, vt indulgeat gulæ, voluptati, sed vt secundum rationem viuat, imò secundum Deum. Monemur præterea, vt studeamus in nobis reparare similitudinem Dei, cùm videamus Deum hoc ab exordio voluisse, vt eius similitudinem haberemus.

Et creauit Deus hominem ad imaginem suam, &c.

Videtis Mosen iterum atque iterum hanc summá hominis dignitatem in medium proferre, nimirum vt profundè inculcet in mẽtes nostras. Sic igitur Deus statuit, sic fecit, creauit, & nihil omisit. Et quamuis omniscius sciret peccaturum hominem, & futuram maximam ingratitudinem: nihilominus perrexit in creatione.

Obserua, quod supra quidem in plurali dixit: Faciamus hominem: hic autem non in plurali dicit: Et creauerunt, sed in singulari: Et creauit Deus hominem, ne putemus esse plures Deos, sicut sunt plures personæ in diuinitate. Tres igitur personæ sunt, sed vnus Deus, & trinitas personarum, in vnitate substantiæ.

Obserua item, quòd cùm supra dixisset: Faciamus hominem ad imaginem & similitudinem, hic tantùm ad imaginem eum factum dicit, de similitudine tacet, quia videlicet, quamuis Deus intendisset hominem facere ad imaginem & similitudinem suam, cùm tamen Moses hæc scriberet, homo per peccatum similitudinem Dei amiserat: Et quidem nouerat Moses, quòd illud propositum Dei nemo auertere posset. Veruntamen certa nondum persona surrexerat, in qua absque vlla contradictione recuperata monstraretur illa diuinæ similitudinis gloria, quæ in illa primi hominis persona deperierat.

Erant quidem etiam tunc sancti & iusti homines, sed

ſed non niſi ex fide & ſpe venturi hominis, qui ſic ad imaginem Dei & ſimilitudinem fieret, naſcendo ex virgine, vt in filios adæ perditam Dei ſimilitudinem refunderet. Proinde ergo, cùm ſcripſiſſet, dixiſſe Deum, faciamus hominem ad imaginem & ſimilitudinem noſtram, hoc ſolummodo ſubſcripſit: Et creauit Deus ad imaginem ſuam, vt ſubaudias, recreaturus aliquando ad ſimilitudinem ſuam. Nam illum quodammodo nondum fecerat ad imaginem & ſimilitudinem, ſed tantum ad imaginem ſuam, qui euanuerat, & perdiderat illius ſimilitudinis gloriam. Et quod iterum repetit: Ad imaginem dei fecit illum, ideo facit: Primo, vt ſciamus, hominem propter imaginem Dei eſſe mirabile & nobile animal, etiamſi deſit ſimilitudo. Secundò, ideo repetit, vt maior ſit culpa noſtra, ſi hoc non ſeruemus perpetuò in memoria noſtra. Quod autem ſubdit: Maſculum & fœminam creauit eos, non ſic intelligendum eſt, quòd ſimul creauerit eos. Nam mulier poſtea facta eſt, vt patebit infra.

Nec ſic intelligendum, quod in vtroque ſexu ipſum Adam primum creauerit & formauerit, vt ſtolidi Iudæi fabulantur, Sed mulieris meminit per anticipationem: Deinde vt oſtendat, etiam ipſam ad imaginem Dei creatam, & nullatenus fuiſſe excluſam ab hac dignitate, *Galat.* 3. quemadmodum etiam nunc in Chriſto non eſt vir, neq; fœmina, ſed omnes vnum ſunt. Iam igitur conſidera hoc opus Dei, hominem dico. Attende primo erectam ipſius figuram, quod nulli alii cõtigit. Attende ſecundò, corpus tanta varietate & pulchritudine diſtinctum, &c. Attende tertiò, ipſam animam cum ſuis viribus naturalibus, memoria, ratione, & voluntate. Attende quartò, ſuperinfuſam gratiam ſpiritus ſancti, quæ inter omnes creaturas corporales ſoli homini contigit, & ni fallor, excitaberis ad laudandum Deum.

Et benedixit eis, & dixit. Creſcite, &c.

Nondum ceſſat manus benigniſsima Creatoris, ſed inſuper benedicit, hoc eſt, maioribus beneficiis accumulat hominem. Benedicere enim Dei, eſt beneficia præſtare. Et quàmuis etiam malis præſtet beneficia, & maximè ea quæ ſtatim ſubnectuntur: Verè tamen benedictionis

nis Dei,soli pii participes sunt. Ea autem in his quatuor consistit,quæ Paulus enumerat ad Romanos: Quos, inquit,prædestinauit,hos & vocauit:& quos vocauit, hos & iustificauit:& quos iustificauit,hos & glorificauit. Rom. 8.

Crescite & multiplicamini, & replete terram, &c.

Hæc est benedictio Domini super hominem,quinque complectens:Primo,Crescite,inquit:quo verbo homini dedit,vt possit crescere non solùm corpore , sed & virtute & dignitate,& in tantam altitudinem, vt etiam cælum possit attingere,& Deum ipsum. Hoc etiam verbo hortatur nos,vt ad altiora contendamus:quasi dicat:magna fœlicitas vos manet, tantùm ne cessetis. Deinde: Multiplicamini,inquit,quo verbo homini datum est, vt se possit propagare.Magnum vtique donum Dei,si rectè vtamur. Item hoc verbo ostendit sibi non satis esse vni homini benefacere,sed plures habere vult,quibus benefaciat. Obseruandum autem,quòd hanc carnalem propagationem nominat benedictionem Domini, contra eos qui etiam matrimoniũ damnant, ac immundũ iudicant.

Item contra eos , qui nimium carnis luxuriæ seruiunt, quasi cogantur concupiscentiis suis satisfacere in omnibus,subinde iactantes,Deum præcepisse, Crescite & multiplicamini. Huc pertinent prædicatores illi , qui virtute huius verbi omnes absoluunt à quibuscunque votis , & ad coniugium hortantur , à cœlibatu absterrent, hocq; nunquam non rudi populo inculcant,quasi nõ per se proni sint homines ad lasciuiam , & non magis freno, quàm calcaribus opus habeant.Nihil horum fieret,si cogitaremus hanc propagationem esse benedictionem Domini,& ideo cum timore Dei exercẽdam.Nolite,inquit, fieri sicut equus & mulus. Si tantum nobis arridet verbum hoc,Crescite & multiplicamini:cur nõ placet quod Christus dicit: Sunt Eunuchi qui se castrauerunt propter regnum cælorum.Qui potest capere capiat. Item quod Paulus ait:De virginibus præceptum non habeo, consilium autem do, &c.Item: Hoc autem dico fratres, tempus breue est,&c.per totum. Psal. 30. Mat. 19. 1.Cor. 7.

Obserua item,quòd hanc generandi vim,& præceptũ homini etiam ante peccatum dedit,ne quis putet hoc ex

pecca-

peccato ortum esse, quod quidam suspicati sunt, sed falsò. Nam etiam in innocentia constitutus homo generasset, licet non cum tanta libidine & peruersitate vt nunc, Deniq; solos pios & electos generasset. Atq; hæc fuisset verè benedictio domini. Nunc autem carnalis illa generatio magis maledictio quàm benedictio est in pluribus, tum propter peruersitaté hominum, tum quod tam mali fructus inde oriuntur. Subdit: Et replete terram. & hoc verbum impletum videmus, vbicunq; enim terra est, illic homines sunt. vt patet in insulis nuper inuentis. Vbiq; e-
Psal. 102 nim vult agnosci Dñs. In omni, inquit, loco dominatiõis eius benedic anima mea Domino. Cęterum quãdo videmus huic verbo plenè satisfactũ, & terrã hominibus repletam, restat vt & cælũ repleamus hominib⁹. Ob hoc enim Christiani sumus. Iam quod dixit: Replete terrã, cõmune quidé est electis cũ reprobis, qui omnes eodé modo nascédo pariterq; viuendo replent terrã, sed in eo discernũtur, quod sequitur: Subiicite eã. Soli nanq; electi quorum est terra viuentium, hanc terram quam corporalib⁹ repleuerunt, libertate animorũ sibi subiiciũt: quippe qui solum Deum præponentes, terrena fortiter contẽnunt. Subiiciunt quidem terrã & reprobi, dum illam vel aratro vertũt, aut armis capiũt. Sed hic subiiciédi mod⁹ de bene
Gen. 3. dictione Dei nõ est: nã propter peccatũ dictũ est homini: In sudore vult⁹ tui vesceris pane tuo. Et arma nõ benedictiõis gratia, sed cupiditatis inuenit immanitas. Sequitur

Et dominamini piscibus maris, &c.

Et hęc benedictio soli homini data est, vtpote rationis capaci. Dominiũ enim creaturarũ non nisi ratione vtétibus cõmitti debuit & debet. Atq; vtinã verè dominaremur bestiis, hoc est, bestialib⁹ operibus & cogitationib⁹. Hoc igitur verbo plenũ dominium accepit super omnia animantia. Quod primo ex eo probatur, quòd oĩa animalia adduxit Deus ad Adam, vt ab ipso acciperet nomina. Deinde ex eo quod infra legitur, mulier intrepidè locuta esse cum serpente. Præterea ex eo quòd animantia etiam nunc conspectum hominis fugiunt & timent. Demum etiam ex eo, quòd homo etiam nunc mansuefacere potest animalia quantumcunque ferocia. Vtinam & seip-

seipsum mansuefaceret à ferocia sua. Quod autē nunc dominiū hoc amisimus, propter peccatū est. Et iustè quidē nunc creaturas cōtrarias experimur, qui creatori subditi esse noluimus. Iustè itē nunc bestias timere cogimur, qui Deū timere noluimus. Imò nedū iustè, sed & misericorditer nobis hoc dominiū abstulit, alioqui homo peccato infectus nimium superbiret. Nunc autem cogitur agnoscere impotentiam suam Experimur & in hoc Dei misericordiam, quòd non omnium animalium dominium abstulit, sed eorum tantùm, quibus carere facilè possumus, vt leonum, luporum, &c. Id ipsum tamē dominium Christus plenè restituit nobis. Credētī enim omnia obediūt, iuxta illud: Signa eos qui crediderint hæc sequentur: In nomine meo dęmonia eiicient, serpentes tollent. imò credētes dominantur super peccatū, mundū, diabolū, &c *Matt.16.* Igitur si dominari cupis, vide vt Christo per fidē incorporeris. Creaturarū aūt dominū esse, est omnibus creaturis ad salutem vti, nulli creaturæ subiici posse, sed soli *Roma.8.* Deo, Iuxta illud: Certus sum, quòd neq; mors, neq; vita, &c. nos separare potest à dilectione, &c. Cæterùm quæ hactenus dicta sunt de imagine & similitudine Dei, deq; imperio in creaturas, perfectissimè in Christo impleta sunt. Omnia, inquit, mihi tradita sunt à patre meo.

Ecce dedi vobis omnem herbam, &c.

Vide bonitatem Dei: statim condito homini prouidit de cibo. Ecce, inquit, iam dedit, iam ante paraui vobis cibum, &c. Omnem igitur diffidentiam nobis hoc verbo tollit. Deinde sicut suprà benefecit animæ hominis, sic nunc benefacit & corpori: vt sciamus eū & animæ & corporis nostri curam gerere. Obserua quod ipse cibū dat, nihil enim è terra crescit, sine Deo. Herbas aūt, & arborum fructus primò dat in cibum, vt doceat frugalitatem. Natura enim paucis est contenta. Non solùm autem homini prouidet de cibo, sed etiam aliis animalibus. Iuxta illud: Omnia à te expectāt: vt des illis cibū in tēpore, &c. *Psal.103* Hoc autem verbo non tantùm cibum animalibus dedit, sed & naturalem appetitum ad cibum ipsis indidit.

Vidit Deus cuncta quæ fecit, &c.

Approbauit De⁹ cūcta quæ fecerat, & ordinè ipsū rerū, & ideo

& ideo bona erant & vtilia. Nihil enim temerè & absque digna ratione factum est à Deo in toto mundo, etiamsi rationes causásque rerum pro fragilitate nostri intellectus ignoremus. Sic igitur opus habemus sex dierum, vnde facilè colligere possumus, quid qualibet die cogitandum sit, &c. Docet autem nos hoc caput, primùm fidem, in eo quod condi, seruari, ali, & regi omnia manu Dei ostendit. Deinde etiã in eo, quòd tam benignè Deus prouidit homini, etiam antequam crearet eum. Præterea etiam Christum ostendit caput hoc, qui est vera imago Dei. Docet insuper & charitatem in eo, quòd omnes creaturas vsui alicui destinat, & vult vt sibi inuicem seruiãt.

Caput secundum.

IGitur perfecti sunt cæli, & terra, & omnis ornatus eorũ. Compleuitque Deus die septimo opus suum quod fecerat: & requieuit die septimo ab vniuerso opere quod patrarat. Et benedixit diei septimo, & sanctificauit illum: quia in ipso cessauerat ab omni opere suo quod creauit Deus vt faceret. Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt, in quo die fecit Dominus Deus cælum & terram, & omne virgultum agri, antequam oriretur in terra, omnemque herbam regionis, priusquam germinaret: non enim pluerat Dominus Deus super terram, & homo non erat qui operaretur terram. sed fons ascendebat è terra, irrigãs vniuersam superficiem terræ. Formauit igitur Dominus Deus hominem de limo terræ, & inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viuẽtem. Plantauerat autem Dominus Deus paradisum voluptatis à principio: in quo posuit hominem quẽ formauerat. Produxitque Dominus Deus de humo omne lignum pulchrum visu, & ad vescendum suaue: lignum etiam vitæ in medio paradisi, lignumque scientiæ boni & mali. Et fluuius egrediebatur de loco voluptatis ad irrigandum paradisum, qui inde diuiditur in quatuor capita, nomen vni Phison: ipse est qui circuit omnem terram Henilath, vbi nascitur aurum, & aurum terræ illius optimum est, ibique inuenitur bdellium. & lapis onychinus. Et nomen fluuii secundi Gehon, ipse est qui circumit omnẽ terrã Aethiopiæ. Nomen verò fluminis tertii, Tigris, ipse vadit contra Assyrios: Fluuius autem quartus, ipse est Euphrates. Tulit ergo Dominus Deus hominem, & posuit eum in paradisum voluptatis, vt operaretur,

retur, & custodiret illum, praecepitq; ei, dicens. Ex omni ligno paradisi comede: de ligno autem scientiae boni & mali ne comedas. In quocunque enim die comederis ex eo, morte morieris. Dixit quoque Dominus Deus: Non est bonum, hominem esse solum: faciamus ei adiutorium simile sibi. Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terrae & vniuersis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, vt videret quid vocaret ea. omne enim quod vocauit Adam animae viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia caeli, & omnes bestias terrae: Adae verò non inueniebatur adiutor similis eius. Immisit ergo Dominus Deus soporem in Adam: cumq; obdormisset, tulit vnam de costis eius, & repleuit carnem pro ea. Et aedificauit Dominus Deus costam, quam tulerat de Adam, in mulierem & adduxit eam ad Adam. Dixitq; Adam: Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: haec vocabitur virago, quoniam de viro sumpta est. Quam ob rem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhaerebit vxori suae: & erunt duo in carne vna. Erat autem vterque nudus, Adam scilicet & vxor eius, & non erubescebant.

HACTENVS Moses primo capite per partes enarrauit creaturas omnes, & sex dierum opera. Quia autem propter hominem hoc scribere incepit, idcirco nunc in hoc capite omissis aliis creaturis, latius prosequitur hominis formationem, vbi iterum ineffabilem videbimus Dei bonitatē, & mirā hominis dignitatē, quae omnia, nisi planè lapides simus, ad dilectionē Dei, ac recuperationē primęuae dignitatis nostrę nos extimulabunt.

Igitur perfecti sunt caeli & terra, &c.

Epilogus est eorū quę primo capite scripsit. Quanquā autē repetitiones huiusmodi in sacris literis videantur superuacuę, nō tamen sunt. Indiget enim nostra paruitas, vt egregia Dei beneficia iterum atque iterum inculcentur, ne ingrati scilicet simus. Obserua autē, quod non dicit: Igitur facti vel creati sunt coeli & terra, sed perfecti, ne Deū arguamus in operibus suis, quasi dicat: perfectissimus artifex perfectissimū opus absoluit. Itaq; nihil est quod desideres. Quęcunq; in cęlo & terra consistunt, ea conditaa sunt tanta sapientia, vt nihil sit quod inde queraris.

Iam si cōdito vno mūdo Moses dicit, Deū opera sua perfecisse & terminasse, nō est quod alios quosdā mūdos nobis fingamus, de quibus vane disputāt Philosophi. Vnus enim tantū est mūdus, quē Moses hic perfectū esse dicit.

Perfecta est terra pro habitatiōe nostra in hoc tēpore, perfectum est cælū pro futura vita. præter hæc duo nihil est quod amplius expectes. Addit: & omnis ornatus eorū, quo verbo intelligit omnes creaturas. Corpori quidē ornatus cæli, sunt Sol, Luna, stellæ: Ornatus autē terræ, montes sunt cū vallibus & campis, amnium lapsus, & fontium scaturigines perennes, prata, fruges, arbores, genera seminum, diuersitas animalium. In Hebræo habetur: Et omnis exercitus eorum. Sic enim & alias creaturę dicuntur exercitus Dei. Vnde & in prophetis nominatur Dominus exercituum. Neque id abs re. Sicut enim reges mūdi exercitibus suis pugnāt cōtra hostes, & protegunt ciues. Sic Deus per creaturas suas impugnat impios, quemadmodū Pharaonē muscis & ranis, iuxta illud:
Exo. 8. Pugnabit pro eo orbis terrarū contra insensatos. Econ
Sapien. 5 tra aūt per easdē creaturas ministrat piis hominib⁹. Iuxta
Roma. 8. illud: Diligentibus Deum omnia cooperātur in bonum.

Compleuitq; Deus die septimo opus, &c.

De sex diebus auditū est, quid singulis Deus operatus sit, nūc de septimo agit, in quo dicit, Deum, compleuisse, quieuisse, benedixisse, & sanctificasse, horū nullū sine causa positū est. Per diem aūt septimum quidam intelligunt filiū Dei, qui splēdor est paternę gloriæ, lux lucis, & fons luminis, dies dierū illuminās, sol ipse ver⁹, dies nō factus, sed omnē diē efficiens. Ob eā causam factū putant, quod Moses nō hic dixit sicut supra de alijs: Et factū est vespere & mane dies septimus. Hic enim dies filius Dei nō est factus, sed genitus, nec vespere aut mane habet, hoc est, nec principiū nec finē. In hoc die compleuit Deus opus suū. Omnia enim per ipsum facta sunt. Signāter autē nō omne opus dicit, sed opus suū. Nō enim omne opus Dei quod fecerat, hoc fœlici & glorioso die cōpletur, sed solū rationalis creaturę op⁹ gloria eius impletur. Cōpletio aūt creaturæ rationalis est. Videre æternaliter claritatē
Ioan. 17. huius diei, iuxta illud: Volo pater, vt sint mecū, & videāt clari-

claritatē meā,&c.In hoc die pòtiſsimū & ſpirituali quodā modo requieſcit Deus. Habitat quidē etiā in nobis Deus,ſed oportet vt prius ſibimet in nobis manſionē paret.Nullꝰ enim angelorū vel hoīm aliter niſi per operoſam ipſius gratiā habitationi eius fit idoneꝰ. At verò hūc ſolū diē.i. vnicū filiū ſuū, ſicut nō creauit ſed genuit,ſic nec accidētali dono bonum fecit,ſed eſſentiali bonitate bonū ſemper habuit,ſolusq́; hic eſt,in quo iuſtificādo nihil omninò laborauit, aut profectū eius expectādo,patiētiā aliquādo habuit. Ad creandos angelos & homines ſapientię ſuæ impēſas cōtulit,id eſt, propter illos ſaluādos ſiue diſcernendos,miſericordiā &iudiciū hinc & & inde magnis impēdiis ædificauit, vt totus miretur orbis,& vniuerſa iamdudū magnificet curia cæli. In iſto ſolo nihil vnquam fuit quod reſiſteret ei,ſiue ille in ſinu eius pauſauit,ſiue militaturus iuſſu eius naturā noſtrę carnis induit. Igitur hic vnus eſt,in quo Deus requieuit,iuxta illud:In ipſo mihi complacui. Et pro quanto nos huic conformamur,pro tanto etiam ſuper nos requieſcit. *Matt. 3.*

Hunc quoq; diē Deus benedixit & ſanctificauit,iuxta illud:Quē pater ſanctificauit,& miſit in mūdū,vos dicitis blaſphemat,&c. Hęc pia quidē ſunt, ſed magis ad myſticū q̄ ad literalē ſenſum pertinēt. Ad literā aūt,Deꝰ opus ſuū ſeptimo die cōpleuit. Opus Dei eſt creare,gubernare,redimere,glorificare. Quodlibet iſtorū operū cōplet non niſi ſeptimo die. De opere creationis hic loquitur Moſes,quod ſeptimo die cōpleuit, quia tūc ceſſauit alia addere. Vel ſic,cōpleuit,quia bn̄dixit & ſāctificauit. Hoc enī eſt opus ſeptimi diei,bn̄dicere & ſanctificare. Sic & opus gubernationis non niſi ſeptimo die complebit. Sex dies,ſex ætates mūdi ſunt,quarū prima ab Adā vſq; ad diluuiū,hoc die hoīem lucidū fecit,& poſtea in Cain & Abel diuiſit lucē à tenebris. Secūda ætas à diluuio vſq; ad Abrahā,hoc die fecit firmamentū inter aquas:i.arcā,qua pii ab impiis ſegregati ſūt. Tertia,ab Abrahā vſq; ad Moſē,hoc die ſegregauit pios ab impiis,terrā ab aquis. Quarta à Moſe vſq; ad captiuitatē Babilonicā, hoc die fecit luminaria cęli,ꝓphetas mittēdo & illūinādo. Quīta à captiuitate vſq; ad Chriſtū:hoc die fecit piſces & aues,qa tūc

Iudęi inter gẽtes, quasi in mari viuere cœperũt, nec habebãt stabilẽ locũ quasi aues volãtes. Sexta ætas à Christo vsque ad finem mundi, hoc die Christus secundus homo natus est, sicut primus homo sexto die creatus. Et sicut sexta die mas & fœmina creati sunt, sic sexta ætate apparuit Christus & Ecclesia. Et sicut sexta die homo fuit præpositus omnibus animantibus, deniq; in cibum accepit omnes herbas terræ, sic sexta ętate Christus super oĩa exaltatus pascit suos spirituali cibo scripturæ & sacramentorũ, &c. Septima autem die, hoc est, futuro seculo accedente, complebit Deus hoc opus suum.

Eodem modo & Christus opus redemptionis cõpleuit die septimo, tunc enim in sepulchro requieuit. Sic & glorificatio nostra septimo primum die cõplebitur. Sex dies sunt, fides, spes, charitas, bona operatio, patientia, perseuerantia. Septima erit tempus futuri sæculi, in quo pleuè glorificabimur.

Et requieuit Deus die septimo, &c.

Non sic intelligendum, quòd quasi lassus ex nimio labore Deus instar humanæ fragilitatis completa mũdi fabrica quieuerit. Quomodo enim lassaretur qui verbo omnia condidit? Dixit enim & facta sunt. Non sic intelligendum, quòd creaturas semel factas nunc sua sponte ferri sinat, quemadmodum impii putant, Deũ se posuisse curã terrenorum, sed falsum est. Nam Christus dicit: Pa-
Ioan. 5. ter meus vsque modo operatur, & ego operor. Non igitur cessauit à gubernatione rerum, sed tantùm à creatione. quia non perrexit plura genera rerum condere, quàm enumerata sunt.

Hinc igitur certò sentimus, nõ plures esse aut futuros mundos: hunc solũm esse hominis ortum & lapsum: hoc solum esse hominum genus, ad quod Christus pertineat, quod expectet consummationem sæculi, & futuram glorificationem. Item ideo circumscripsit creaturas, & finiuit opus die septimo, cum iam omnia homini subiecisset, vt certò sciremus omnia nobis subiecta esse, siquidem nulla alia genera creaturarum erant condenda. Hoc dominium in Adam amissum, in Christo recuperauimus.

Obserua quod nõ dicit: Requieuit Deus in operibus, sed

ſed ab operibus ſuis. Deus enim, qui ante creationẽ mundi, æternaliter in ſeipſo perfectam habebat requiem, ipſe etiam creato mundo non in operibus, quæ fecit, ſed ab operibus requieuit, vtpote nihil habens neceſsitatis in creaturis requieſcere ſuis: quoniã potius creaturis rationalibus ipſe quietem præſtat, cum in ſeipſo perfectè ſemper requieſcat, eoque bono beatus ſit, quod ipſe ſibi eſt. Obſeruandum & hoc, quòd Deus nõ in ſex illis diebus, ſed in ſeptimo tantùm dicitur requieuiſſe, ſic quam diu ſex illæ ætates mundi durant, laborandum nobis eſt. Illis Apoc. 14
aũt cõpletis, & appropinquante ſeptimo die æternitatis, dicet nobis ſpiritus, vt requieſcam⁹ à laboribus noſtris.

Et benedixit diei ſeptimo, &c.

Meritò huic diei benedixit, quia in ſex illis diebus, hoc eſt, in creaturis nunquã ſatiatur appetitus hominis, ſed in ſolo Deo. Igitur ſi benedictionem deſideras, oportet vt tranſitis creaturis, in Deum te conijcias. Itẽ propter nos benedixit diẽ ſeptimum, quia ſi eum diem ſanctificamus, vt præceptum eſt, verè à Deo benedicimur. Præterea ſeptimũ diem benedixit, propter quietem Chriſti in ſepulchro. Sicut enĩ per crebras in lege victimas ſanguis Chriſti qui ſemel erat effundẽdus ſignabatur, ſic per requiem diei ſeptimi ſignificatur magn⁹ ille dies ſabbathi, in quo Chriſtus poſt conſummatũ opus redemptionis in ſepulchro erat quieturus. Ei, inquã, diei benedixit Deus: quia omnis hinc nobis benedictio profluxit. Cõmendatur etiã hac ſeptimi diei benedictione verũ Chriſtianorũ ſabbathũ, quo requieſcũt ab operibus ſuis, & cũ Chriſto ſepeliuntur, vt cũ ipſo & reſurgãt. Maximè autẽ diem ſeptimum benedixit, propter futuram quietẽ in patria, vbi plena erit benedictio. Nam hic omnia maledictionibus plena ſunt. Vnde Iob: Maledicta dies in qua natus ſum, &c. Iob. 3.

Et ſanctificauit eum, &c.

Sanctificare interdum idem eſt quod ſegregare ab aliis in vſum ſanctum, & ad cultum Dei.

Obſerua, quòd Deus ipſe ſex dies ad laborem noſtrum conceſsit: vnum ſibi ſegregauit. Deus, inquam, hoc fecit & tu quis es, qui hoc audes infringere? Atq; vtinam qui rudi popello toties inculcant illud; Creſcite & multipli

camini, etiam hoc inculcarent, quòd Deus sanctificauit diem septimum. Verùm hic nulla non suffragia quęrunt. Nihil, inquiunt, ad nos de sabbatho, Iudaicum est & cęre
Heb. 13. moniale, & ob id abrogatum. Nullum iam est discrimen
Ysa. 66. dierum, Christus nobis heri & hodie. Et perpetuum sabbathismum habent Christiani. Iuxta illud: Erit sabbathum ex sabbatho. Item Christiani spirituales sunt, nihil opus habent cæremoniis, &c. Sed vbi tales inuenies? Prius formandi erant Christiani, & tunc demum pronunciandi. Scimus Christũ heri & hodie esse, Scimus quæ sit conscientiarum libertas, sed interim attēdimus etiam infirmitatem populi. Vtinam omnis multitudo perpetuum sabbatismum obseruaret, & nemo inuideret. Sed quoniam illud nōdum assequi licet, saltem impetremus, vt aliquem diem infirmo populo concedant, quem Deo consecrent. Voluit igitur Deus ad minus vnũ dié sibi impēdi, ne quis dicere posset, se laboribus præpediri ab auditu verbi Dei, & sanctis operibus. Deinde vt probaret fidé nostrã. Putamus enim Deũ nos nutrire nō posse, nisi per singulos dies laboremus. Demũ vt charitatem nobis persuadeat, cōcedēdo vel vnũ diem ministris & iumétis à labore quietũ. Causa autē, quare signanter septimũ diem sanctificauit, in littera exprimitur, quia eo die Deus quieuit ab opere creationis. Ideo Iudæis præcipitur ea dies obseruari. Quia autē Deus in nouo testamēto aliud quoddam opus perfecit, nempe redēptionis, quo cōsummato, Christus requieuit in sepulchro, vnde octaua die quæ & prima est, resurrexit immortalis, congruē septima dies in octauã mutata est apud nos, vt iam non in sabbatho, sed in dominica die sabbathum euangelicum agamus.

Obseruandum igitur, quod Deus dicitur sanctificasse septimum diem: non enim simpliciter selegit eum, & ad pia & sancta opera destinauit. Sanctificare igitur diem sabbathi, est à vitiis cessare, & bonis operibus insistere.
Matt. 11. Proinde qui iuxta vocem Domini: Discite à me, quia mitis sum, &c. quasi modo geniti infantes deposuerunt omnem malitiam, ac superiores rebus humanis toto pectore rapiuntur ad illius supernæ quietis contemplationem: hi demum sentiunt quanta fœlicitas sit, quanti gaudii, quantę

quantæ quietis res sit, Euangelicum celebrare sabbathũ, hoc est, post dominicæ sepulturæ imitationem, eius exprimere resurrectionem. Hoc enim est verè sabbathum Dei. Nam habet mundus otia sua foris, sed intus labores longè seruiliores quàm Hebræi pertulerint seruientes Aegyptiis in luto & latere. *Exod. 1.*

Istæ sunt generationes cæli & terræ, quando creatæ sunt, &c.

Hunc locum aliqui legunt interrogatiuè, vt sit sensus: Quando creatæ sunt istæ generationes cæli & terræ? Et respondit: In die quo creauit Deus cælum & terram. Per hunc autem diem intelligunt Christum filium Dei, vt & supra dictum est: Per ipsum enim omnia facta sunt. *Ioan. 1.* Hæc quidem pia sunt, sed magis pertinent ad sensum mysticum, quàm literalem. Ad literam enim, totus hic locus nihil aliud est, quàm repetitio vel declaratio eorum quæ priori capite dixit. Repetitio inquam est, sed cum quadam additione.

Quinq; autem per ordinẽ repetit. Primum, quòd generationes cœli & terræ creatæ sunt, ne quis putet eas ab æterno fuisse. Secundò, quòd à Deo creatæ sunt, ne quis putet creaturas à seipsis esse, hunc siquidem primum articulum fidei, Deum esse autorem omnium, Moses sæpè inculcat, plurimum enim refert scire, vnde omnia & habeamus, & expectare debeamus. Obseruandũ autem, quod in hac repetitione, Primò ponitur sacrosanctũ Dei nomen, quod Græcis dicitur tetragrammaton, hoc est Hebræis nomen quatuor literarum. videlicet Ihvh, adiuncto alio nomine quo hactenus vsus est, nẽpe Elohim, quemadmodum & in nostra translatione hoc loco non simpliciter dicitur, Deus creauit, sicut hactenus, sed Dominus Deus. Ideo autẽ duo noĩa ponit Moses, vt ostendat, perfectiorẽ Dei cultũ requiri ab his, qui creaturarũ verã originem audierunt. Deum igitur nominat, quem colamus fide, spe, & charitate: Dominum quoque, cuius mandata obseruemus, & maiestatis suæ potentiam & iustitiam reuereamur.

Quod autem hic dicitur, in die quo creauit Deus, &c. non sic intelligendum, quasi vno die omnia creauerit & simul, quẽadmodum & supra admonui, cum scriptura

planè testetur, sex dies fuisse creationis, & infra dicatur, nondum fuisse hominem, cùm tamen iam esset cælum & terra, & omne virgultum, &c. Patet igitur, quod non oĩa simul creata sunt. Quod autem hic dicitur: In die quo creauit, accipitur singulare pro plurali: vel dies pro tempore, id quod frequens est in scripturis. Vt cùm dicitur:
Isa. 48. In die salutis adiuui te, id est, in tempore salutis. Item:
Isa. 29. In illa die audient surdi verba, &c. Sic & in hoc loco.

Et omne virgultum antequam oriretur, &c.

Locus hic variè exponitur, est enim admodum intricatus. Mihi tamen videtur hic esse sensus: Omne virgultum regionis iã cœperat esse in terra, & omnis herba germinabat, etiam si nondum pluuiam fecisset Dominus, & homo etiã nondũ esset, qui coleret terram. Hoc autem ideo repetit, vt occurrat incredulitati imò ingratitudini hominum, qui hæc omnia non Deo, sed secundis causis ascribunt, vt soli pluuiæ, & labori hominum. Et quanquam verum sit, quòd secundæ causæ aliquid cooperantur, nihil tamen possunt, sine prima causa. Non igitur ipsis, sed Deo omnia ascribenda sunt. Sic scriptura
Psal. 146 Deo omnia ascribit. Ipse, inquit, producit in montibus fœnum & herbam, &c. Ad eundem modum etiam infra dicit Moses: Nondum pluerat Dominus Deus, &c. Philosophi multum disputant de pluuia, & eius generatione, nec vsquam Dei meminerunt, sed naturæ omnia tribuunt. Moses autem dicit Dominum Deum pluere. Alioqui si natura ex se potest pluuiam generare, qui
3. Reg. 17 factum est, vt tempore Heliæ in tribus annis nulla fuerit pluuia? Deus igitur prima causa est omnium, qui quod nunc per secundas causas operatur, hoc potest etiam sine ipsis. Secundæ autem causæ nihil possunt sine prima. Hoc nos admonere voluit Moses. Addit: Et homo nondum erat, &c. Et hoc repetere voluit, hominem post alias creaturas factum: vt innuat, omnia cõdita esse propter hominem, & hominem esse præpositũ vniuersæ creaturæ. Quæ hominis prærogatiua describitur Psalmo 8. Hinc & Paulus de Christo: Omnia, inquit, per ipsum, & in ipso, & in ipsum, id est, vt in hæredem qui dominetur omnibus. Et iterum: Promissio Abrahæ

& semini eius, vt hæres esset mundi. Nam omnia quæ de hominis dignitate dicuntur, propter Christum dicũtur, in quo recuperauimus dignitatẽ amissam in Adam. Magnũ est aũt credere Christũ dominari, credere nobis sub iecta esse oĩa, ideo toties repetit & inculcat hoc Moses.

Fons autem ascendebat de terra, &c.

Hoc omninò omiserat in primo capite, nihil enim de fontibus è terra erumpentibus dixerat, cùm tamen sit opus Dei admirandum & nobis admodũ vtile, imò necessarium: ideo ne aliquid operum Dei omittat, hic inseruit de fontibus. Cæterùm quod nos legimus, fons ascendebat: alii legunt, vapor ascendebat vel nebula. Accipitur autẽ hic fons in singulari pro fontibus in plurali, qui etiã propter eandem originem dicuntur vnus fons: omnia enim ex Oceano per subterraneos meatus veniunt, vt qui dam putant. Considera igitur etiam hic Dei bonitatẽ & sapientiã in fontibus producendis, sic enim & Dauid fecit: Qui emittis, inquit, fontes in conuallibus, &c. *Psal. 103*

Formauit igitur Deus hominem de limo, &c.

Etiam hic repetit & declarat latius quod supra breuiter scripserat de formatione hominis: dixerat quidem quòd Deus creauit hominẽ, sed non dixerat quomodo & vnde fecit eum: dixerat quidẽ, Masculum & fœminã fecit eos, sed non dixerat quòd fœminã fecit de masculo: vtrumque igitur hic repetit. Primò igitur describit quomodo & vnde corpus hominis formatum sit: deinde etiam de anima dicit, & vtrobiq; aliis verbis vtitur, quã supra in creatione aliorum. Et primò formauit, inquit: quo verbo indicare vult, quòd Deus singulari diligentia etiam corpus hominis formauerit, id quod facilè apparet si attendamus humani corporis pulchritudinem, & rectitudinem, & dispositionem, &c. Duo aũt dicta sunt quæ diligenter aduertere operæpretiũ est, quia videlicet formauit, & non vndecunq;, sed de limo formauit. Verè mirabilis artifex & mirabile artificium. Hoc perpendentes sancti homines, pulchra plasmata in gloriam & honorem præparata, hunc ipsum creatorem suũ plasten, seipsos autem lutum appellauerunt elegãti cõfessione, lachrymosa declamatione: Et nunc domine, inquit Isaias, tu pater *Isa. 64.*

noster

noster es, nos lutum: tu fictor noster es, & opera manuum tuarum omnes nos. Et ad Ieremiam loquitur idem
Ier. 18. plastes Deus: Ecce sicut lutum in manu figuli, ita vos omnes in manu mea, & cæt. Et Dauid: Manus tuæ fe-
Psal. 118 cerunt me & plasmauerunt, &c. E luto autem corpus hominis formauit, vt homo non superbiret, considerans originem suam: deinde vt agnosceret fragilitatem suam, quàm facilè enim vas figuli cõfringitur, tam
Psal. 2. facilè etiam homo. Vnde Psalmus: Tanquam vas fi-
Isa. 45. guli confringet eos. Et Isaias: Væ qui contradicit factori suo, testa de Samiis terræ. Et Paulus: O homo tu quis es qui respondes Deo? nunquid potest figmentum dicere ei qui se finxit, quid me sic fecisti? &c. Cæterùm vbi nos legimus de limo terræ, Chrysostomus legit de puluere terræ. cui consonat illud Psalmi: Recordatus es quoniam puluis sumus, & cæt. verùm in idem redit vtraque lectio.

Et inspirauit in faciem eius spiraculum vitæ, &c.

Hic docet vnde anima hominis ortũ habeat, quæ dignior pars hominis est: corpus enim sine anima truncus est, nec tantùm venustatem nullam habet, sed horrorẽ & fœtorem. Obserua autem quòd de creatione animæ humanæ multo aliter loquitur, quàm de anima brutorum: in illis enim corpus & anima simul creata sunt, in homine autem corpus primò creatum fuit, postea anima.

Quod autem dicit, Inspirauit, non carnaliter intelligendum est, quasi flatum oris emiserit in faciem hominis: sicut nec hominem corporalibus manibus formauit, & cæt. nihil corporeum imaginandũ de Deo, Deus
Ioan. 4. enim spiritus est. Sed quod hic dicitur, inspirauit, nihil aliud est quàm si dixisset, voluit & imperauit vt hoc corpus haberet animam viuentẽ. Per spiraculum autem vitæ, vel ipsum anhelitum quo respiramus, vel ipsam animã qua viuimus intelligere possumus. In faciem autem inspirasse dicitur, quia in sola facie vitalis illa respiratio sentitur. Deinde quia in facie maximè vigent sensus. Quod autem Deus inspirasse dicitur animam, signum est, quòd animã non parẽtes sed solus Deus dat: & anima igitur, & inspiratio à solo Deo est. Sic Chri-

ftus infufflauit in Apoftolos, vt fcirent fpiritum fanctum non aliunde nifi ab ipfo hauriri & per ipfum. Tantò igitur anima dignior eft corpore, quantò nobiliorem ortum & originem habet: corpus enim è terra, anima ex Deo. non quòd fit ex fubftantia Dei (alioqui nunquam peccare poffet) fed quia fpirituali opere & à folo Deo creatur immediatè, corporique infunditur. Igitur animæ plus tribuendum quàm corpori: fic igitur homo è duobus admodum difsimilibus compactus eft, quorum alterum nos admonere debet noftræ infirmitatis: alterum autem, fcilicet anima, nos fubleuare debet ad diuina.

Et factus eft homo in animam viuentem, &c.

Hoc eft, Sic factus eft homo viuus vita naturali: anima enim in fcripturis fignificat vitam naturalem, qua videmus, audimus, edimus, bibimus, morimur, generamus, aliafque naturales actiones facimus, fic infra dicitur: Omnes animæ quæ egreffæ funt de fœmore Iacob erant feptuaginta. Sic Chriftus: Qui amat animam fuam, perdet eam:& econtra. Ex hoc autem verbo Paulus pulchrè differentiam facit inter primum & fecundum Adam. Primus, inquit, homo factus eft in animam viuentem, nouifsimus autem in fpiritum viuificantem: & qualis terrenus, tales & terreni: qualis cæleftis, tales & cæleftes. Quod viuimus vita naturali, ex Adam habemus; quod autem viuimus vita fpirituali, fpirituq; fancto viuificamur, non ex natura, fed ex Chrifto habemus. *Exodi 1.* *Ioan. 12.*

Plantauerat autem dominus Deus paradifum, &c.

Multa quidem bona iam fupra audiuimus, quæ Deus in hominem collocauit: incomparabile, quod ad imaginem fuam creauit illum, & in feipfo requiem ei fecit: ita vt quamuis omnia propter hominem condita funt, homo tamen non in creaturis, fed in ipfo creatore beatitudinē & verā quietē inueniat:& fic quidem internus nofter homo beatus eft. Quoniam autē conditi fumus ex corpore & anima, etiā Deus voluit corpori honeftifsimū locum & delicatifsimum afsignare, cui fimilis in vniuerfa terra non inuenitur. & hunc locum admodum magnificè

magnificè deſcribit. Cæterùm de paradiſo variæ fuerũt opiniones: Origeniſtę ſpiritualem tantùm intellexerunt paradiſum, propterea quòd hic dicuntur in paradiſo fuiſſe lignum vitæ & lignum ſcientiæ: quoniam autẽ nullam arborem videbant tantæ efficacię eſſe, vt homini tribuat vitam & ſcientiã, quæ à Deo propriè dantur, ideò putarunt hortum eſſe ſpiritualem, & ibi homini promiſſas ſpirituales delicias. Et hæc quidem ita ſuſtineri poterant, ſi cum ſpirituali intelligentia veritatem hiſtoriæ nõ negarent. Non enim ideo nõ potuit eſſe paradiſus corporalis, quia poteſt etiam ſpiritualis intelligi: ſicut non
Gal. 4. ideo nõ fuerant duæ mulieres Sara & Agar, & ex eis duo
1. Cor. 12. filii, quia duo teſtamenta in eis figurata dicit Apoſtolus: nec ideo de nulla petra Moſes eduxit aquam, quia Paulus dicit, Petra erat Chriſtus, non tam cito ab hiſtoria in allegorias tranſeundum. Certò igitur credamus fuiſſe etiam corporalem paradiſum, quamuis ſpiritualiter etiam aliud ſignificet. Quis autem & vbi fuerit paradiſus ille, variæ ſunt opiniones. Aliqui paradiſum intelligunt totã terram, quæ verè paradiſus hominum fuiſſet, ſi non peccaſſet: ſicut econtra nunc propter peccatum nihil aliud eſt quàm vallis lachrymarum: Quàm diu enim rectè Deo ſeruierimus, etiam elementa & terra & omnia nobis ſeruiunt: vbi autẽ inobedientes Deo facti fuerimus, omnia quoq; ſuum miniſterium iuſto Dei iudicio nobis negãt. Alii paradiſum intelligunt partẽ illã terræ quæ ad orientem eſt, quam Aſiam dicimus: ea enim etiã nunc præ aliis fertilis & amœna eſt, in ea etiam homines primò habitaſſe conſtat. Denique in ea terræ parte quatuor illa flumina conſpiciuntur quæ hic nominantur: quòd autẽ etiam ea terra aliqua ex parte amiſit benedictionẽ ſuam & gloriam, propter peccatum eſt. Alii paradiſum intelligunt, nec totam terram nec partem eius terræ, ſed locum quẽdam ſpecialem nũc omnibus hominibus incognitum, & longiſsimo interiacente ſpacio vel Oceani vel terrarum à cunctis regionibus quas nunc incolit genus humanum ſecretum. Alii paradiſum locant in ſublimibus quibuſdã locis, & nõ obnoxiis hiſce viciſcitudinibus & varietatibus quę ſub aere contingunt: in qua ſententia ſunt Beda & alij.

& alii. Quicquid aũt sic de loco paradisi, certum est fuisse paradisum, nec opus est anxiè perquirere vbi situs fuerit, maximè cum iam gratia & meritis Christi pro paradiso nobis cælum pateat: huc igitur adnitamur omnes, vt ad cælum perueniamus, quoniam quidem paradisum perdidimus. Iam igitur verba Mosi attendamus. Plantauerat, inquit. Hoc verbo subindicat locum hunc voluptatis speciali cura à Deo formatũ, quo iterum agnoscimus quanti fecit hominem, cui optima quæq; in vtilitatẽ condidit. Plantauerat autem dicit, vt sciamus repetitionẽ: ante hominem enim, non post eum creauit paradisum, vt homo creatus paratum inueniret habitationis locum. Non tamen quemcunque locum homini præparauit, sed hortum: in horto enim omnes hominis sensus reficiũtur, oculi viridariis pascuntur, aures volucrum cantu mulcentur, nares odoratu fragrantium herbarum opplentur, gustus quoque dulcedine fructuum magnam voluptatem affert: sunt & molles loci in quibus quiescere & lassa mẽbra refocillare lubet. Ideo non simpliciter dicit paradisum vel hortum, sed addit voluptatis: Prouiderat enim dominus, vt homo etiã secundùm corpus deliciis afflueret honestis, & secundùm animã iustitia, illustris esset ac propensissima ad optima voluntate, inq; summa innocentia morum ibi viueret, quæ certè res amœnissima voluptas esset & summa fidelium. Hic igitur videmus quantũ bonum sit seruire domino, & quàm malum sit relinquere dominum. verè enim bonus dominus timentibus se, terribilis autem super peccatores filios Adam. Cæterùm, quoniã paradisus oĩbus deliciis abundabat, factum est vt hoc nomine aliquando pro loco refrigerii & gaudii beatorum accipiatur. Hinc Christus volens latroni polliceri perfectum gaudium, dixit: Hodie mecum eris in paradiso Et Paulus dicit, se raptum in paradisum Dei, &c. 2. Cor. 12
Additur, à principio: cùm scilicet primò ornaret terram, quod factum fuit tertio die. vel, à principio, id est, antequam hominem creasset. Alii legunt ad orientem, vnde putant paradisum in ea parte terræ esse.

Produxitq; Deus omne lignum pulchrum, &c.

Hic planè videmus quare paradisus hortus voluptatis dicatur,

dicatur. Erant omnigenæ arbores illic plantatæ aspectu iucundissimæ, & fructus esui suaues & gratissimi saporis & hæc seruiunt humanis corporibus. Cęterùm quod hic dicit eo die factum, intelligitur quo & reliqua ligna fructifera Deo iubente terra produxit. Hic tamen necessario repetitur, vt qualis sit locus paradisi nosse possemus, maximè quia de ligno vitæ, lignoq; scientiæ specialiter referendum erat. Subdit igitur:

Lignumq; vitæ in medio paradisi, &c.

Huius ligni signanter meminit, vt desiderium excitet, imò vt ostėdat quantum bonum perdidimus: quid enim optabilius esse posset, quàm huiusmodi lignum vitæ? Dicitur autem lignum vitæ, quia hanc virtutem diuinitus accepit, vt qui ex eo manducaret, stabili sanitate firmaretur, neque vlla vnquam infirmitate vel ætate in deterius mutaretur. Verum hoc ita corporaliter factum est, vt sumenti quoque esset figura spiritualis Christi, scilicet domini nostri, de quo in laude sapientiæ dictum est: Lignū vitæ est his qui apprehenderint eam. Et Ioannes: Qui vicerit, inquit, dabo ei de ligno vitæ quod est in paradiso Dei mei. *Apoca. 2.*

Lignum enim scientiæ boni & mali, &c.

Prorsus & hoc lignum erat visibile & corporale, sicut & cæteræ arbores. Hoc autem nomen ideo accepit, quia in ea Deus probare voluit hominem, & quia in ea expertus est homo quid sit inter obedientiæ bonum & inobedientiæ malum. Rursum, quia serpens promisit per eius esum habendam scientiam boni & mali, & ita ex futuro euentu acceperat nomen.

Et fluuius egrediebatur de loco, &c.

Nec hoc tacere voluit, vt videamus nihil illic defuisse ad voluptatem hominis. Quia autem fluuius irrigabat paradisum, consequitur, quod non opus habuit pluuia, quemadmodum etiam nunc in terra Aegypti fieri constat. Quod autem quasi illa flumina in terra nostra oriri videntur, nihil obstat. Neque enim dicit Moses quatuor illa flumina fuisse in paradiso, sed vnum fluuium, qui deinde diuiditur in quatuor capita: & fieri potest vt eadem flumina verè è paradiso profluentia alicubi à

terra

terra absorbeantur, & postea aliis in locis erumpant, id quod aliquando fieri videmus. Singulorum autē fluminū cursum describit, præterquam Euphratis: is enim Iudæis propinquus erat, & ob id notus. Hactenus de paradiso corporali: Allegoricè autem, paradisus est Ecclesia, iuxta illud: Ortus conclusus soror mea, &c. ligna fructifera omnes sancti: fructus eorū, opera sunt: lignum vitæ, Christus vel Euangelium: lignum scientiæ boni & mali, lex est quæ vtrumque ostendit, bonum vt agatur, malum vt vitetur: fluuius irrigās, gratia spiritus sancti. Vel paradisus est ipsa beatorū patria, vbi torrente voluptatis diuinæ inebriabuntur, iuxta Psalmistam. *Psal. 35.*

Tulit ergo Dominus Deus hominem, &c.

Apostolus cum dixisset, O altitudo diuitiarum sapiētiæ & scientiæ Dei, &c. continuò subiunxit: Quis prior dedit illi & retribuetur ei? quoniam ex ipso, & in ipso, & per ipsum sunt omnia, &c. Ecce qui sunt quibus dedit Deus, angelus scilicet & homo, cùm cæteris creaturis Deus nullam dati aut accepti rationem habuit, quippe quibus præter naturalem essentiam nihil dedit, angelis autem cælum dedit: vtrique autem prior dedit, nullum enim adhuc eorum meritum erat. Eodem modo & Paulus alio loco dicit: Cum adhuc inimici essemus Christus pro nobis mortuus est. Et Ioannes: In hoc est charitas, non quòd nos eum dilexerimus, sed quia ipse prior dilexit nos, &c. Quod autem dicit, Tulit Deus hominem, patet quòd extra paradisum formatus est homo, & ex gratia illic collocatus, ne si in paradiso formatus fuisset, occasionem superbiendi haberet: sic enim vbique humilitatis nostræ admonemur. Posuit, inquit, eum in paradisum voluptatis. hic enim locus benedictione Dei plenus conueniebat statui innocentiæ, quemadmodum & nunc terra maledicto obnoxia conuenit peccatoribus, vt vel hinc discant verum esse illud psalmi: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.

Rom. 11. *Rom. 11.* *1. Ioan. 4* *Psal. 17.*

Vt operaretur & custodiret illum, &c.

Aliqui hoc referunt ad Deum, vt Deus scilicet operaretur & custodiret hominem: sicut enim homo operatur terram, non vt eam faciat esse terram, sed vt cultam & fructuo-

fructuosam. Sic Deus hominem quē creauit vt esset homo, eum ipse operatur vt iustus sit, & custodit vt ab illo per superbiam non abscedat. Posuit ergo hominē in paradiso vt operaretur illū, id est, vt bonus beatusq; esset: custodiret verò, vt tutus esset, ipsius se dominationi ac protectioni humiliter subdendo. Melius tamen verbum hoc ad hominem refertur, vt scilicet ipse homo operaretur & custodiret paradisum. Obserua quòd dominus etiam in paradiso voluptatis noluit vt homo ociaretur, quantò minus vult nos ociari in valle plorationis? Omnem siquidem maliciam docuit ociositas, & docet etiam nunc. Cæterum operatio hominis non fuisset cum tanta grauedine vt nunc, sed cum maxima voluptate: quemadmodum etiam nunc videmus quosdam cum tanta voluptate operari, vt eis magna pœna sit inde auocari. non igitur erat laboris afflictio, sed exhilaratio voluntatis, cū ea quæ Deus creauerat, humani operis adiutorio lætius feraciusq; peruenirent: unde creator ipse vberius laudaretur, qui animæ in corpore animali constitutę rationem dedisset, ac facultatem operandi quantum animo volenti satis esset, non quantum inuitum indigentia corporis cogeret. Addit autem, vt custodiret eum, non ab inuasoribus, sed ne negligentia sua amitteret quod tanta gratia susceperat, vel ne aliquid admitteret vnde expelli mereretur. Vides igitur quòd nec paradisum homini dedit, nisi sub conditione, quanto minus cælum? quamuis enim prior det Deus, vult tamen vt ei retribuatur. Duo igitur à nobis exigit: Primò, vt opere quæramus noua: secundò, vt parta custodiamus. Quod in terra operamur per agriculturam, hoc in nobisipsis operaremur per disciplinam, vt sicut ager obtemperat colenti, sic homo obediat Deo præcipienti, vt scilicet summo præcepto obedientiæ fructum, non spinas inobedientiæ reddat. Nec satis est operari, nisi & custodiamus, quia bona prodesse nequeunt, nisi caueantur mala: perit enim omne quod agitur, nisi in humilitate custodiatur. Operatur qui agit bonum quod pręcipitur, sed qui quod operatur non custodit, cum hoc surrepit quod prohibetur. Vnde oportet semper bona agere & in ipsis cautos esse, ne si

Eccles. 33

mentem

mentem eleuent, bona non sint, quæ non authori militãt, sed elationi. Sic in figura Eleazar elephantũ occidit, sed sub eo perit: sunt enim qui etsi vitia superant, tamen superbiendo succumbunt.

Præcepitq́; ei dicens: Ex omni ligno, &c.

Hoc iam secundo loquitur Deus ad hominẽ, nam & supra dixit: Crescite & multiplicamini, &c. Dupliciter autem loquitur Deus, vel per substantiã suam, vel per creaturas. Per substantiã suã loquitur cum creat: itemque ad spirituales creaturas, cũ possunt capere locutionẽ quę est in verbo Dei: aliis aũt per creaturas loquitur, vel in extasi vel in somno. Si ĩgitur Adam potuit capere loquelam Dei, miro modo mentẽ eius mouit: sin autem, fortè per creaturam aliquam hoc ei locutus est. *Gen. 1.*

Ex omni ligno paradisi comede, &c.

Hactenus nihil aliud quàm dedisse legitur Deus, nunc autem etiam exigit ab homine, ne quis putet se nihil debere Deo, nihilque ab eo exigi: quanquam etiam hic Dei bonitatem videmus. Multa enim & magna cũ dedisset, pauca tamen & leuia exigit. Obseruandum autem quod Moses expressè dicit Deum præcepisse, ne quis putet homini liberum fuisse si velit vel non velit seruare, imo tenebatur hoc seruare: quod enim Deus pręcipit, hoc vult seruari. Hoc inquam obseruandum est contra eos qui tam contemptim iudicant pręcepta Dei, quasi non magnoperè ad nos pertineant, vel nihil magni referat siue seruentur siue non. Sunt enim qui dicunt præcepta non ob id data vt ea impleamus, sed tantùm vt ostendant nobis peccatum & excitent ad gratiam quærendam. Alii dicunt præcepta Dei impossibilia esse homini, nec attendunt quòd Christianus plus est quàm homo, vt qui spiritum sanctum in baptismo receperit. Alii dicunt opera non necessaria ad salutem, cùm Christus expressè dicat: Omnis arbor quæ non facit fructum bonum excindetur & in ignem mittetur, &c. Alii causantur Christum pro nobis legi satisfecisse, nec vident scriptum esse, vobis relinquens exemplum vt sequamini vestigia eius, &c. Hinc igitur factũ est quod præcepta Dei nihil amplius curamus, tantùm, proh *Mat. 7.* *1. Pet. 2.*

E dolor

dolor, diabolus inualuit. Tu autem noli tam contemptim de præceptis Dei iudicare, sed certò scias Deum velle pręcepta sua seruari: id quod ex hoc loco videmus.

Quærunt autē hic quidam, cùm Deus præsciuerit Adā peccaturum, quare ei præceptū dederit. Alii item quærunt, cur eum non impeccabilem fecerit: atqui multò tutius esset huiusmodi quæstionibus abstinere, quàm diui-
Roma.9. næ maiestati oblatrare. neque enim est figmenti figulo dicere, quare sic me fecisti? Possumus tamen aliquas rationes assignare, quarum prima est, vt homo sciret se habere dominum: non autem esset vnde sę dominum habere cogitaret, nisi aliquid iuberetur. Secunda, vt homo fortius copularetur Deo: vnde enim Deo copularetur, si nō illi obligaretur obedientiæ iugo? si non acciperet commissum, in quo deberet existere fidelis Deo? vbi enim nullum est cōmissum, ibi & nulla apparet fides. porrò si-
Hebr. 11. ne fide impossibile est placere Deo. Præterea si homo absque omni lege mansisset, vel quasi absq; ratione coactus fuisset ad facienda bona, nec virtus eius declarata fuisset, nec ignauia manifestata, Acceperat siquidem arbitrii libertatem, ipsiusque erat, donis à Deo tam liberaliter concessis bene vti. Adhæc oportebat vt homo sub domino Deo positus alicunde prohiberetur, vt ei promerendi esset occasio apud dominū suū ipsa virtus obedientia, quam possumus verissimè dicere solam esse virtutem omni creaturę rationali agēti sub Dei potestate. Adiicere hoc possumus, quòd Deus voluit Adā sibiipsi notiorē reddere, vt cognosceret quidnam Deo deberet, vt etiam suam fragilitatem agnosceret: & ideo eius exemplo omnes moneamur, licet firmissimè stemus, tamen in timore domini ambulemus, & prouideamus ne labamur, iuxta
1.Cor.10. illud: Qui stat videat ne cadat. Vide autem Dei clementiam etiam in imponendo præcepto: Primò, antequam præceptum iniungat, concedit ei de omnibus lignis vesci, vt homo facilius obediret. Idem fecit & Israelitis, Antequam enim legem daret, prius eis multa beneficia præstitit: idem & nobis fecit. Deinde vnum tantùm dedit præceptum primo homini, idque adeò leue: Ex omni, inquit, ligno paradisi comede, ex

vno

vno tantùm ne comede. Leuis in tanta copia fuisset continentia, si non defuisset continentiæ dux beneuolentia. Præterea pœnam addidit & prædixit: In quacunque die comederis, morte morieris. non quòd cibus ille mortem inferret, sed quia inobedientia mortẽ meretur. Quod si quæris, cur tam magnam pœnam pro tam leui culpa (vt videtur) imposuerit Deus? Respondeo, In legibus diuinis non spectandum est quantum sit opus quod precipitur, sed spectanda est voluntas Dei præcipientis, qualecunque vel quantulumcunque sit opus: quia ratio semper disputat de lege diuina, & iudicat eam iniquam esse, cur hoc vel illud constituerit, & voluntatem Dei ex operis modo æstimat. Ita primum peccatum quotiescunque violatur est infidelitas: sic enim cogitamus, Quid ista curet Deus? non est tantum peccatum vt dicunt, & cæt.

Per geminationem autem dicit, morte morieris, id est, certissimè morieris: est enim Hebraismus. Et quamuis Adam eo die quo peccauit non statim corpore mortuus fuit, verissimè tamen dictum est, in quacunque die comederis morieris: statim enim mortuus est in anima, & statim mortalis factus, & morti adiudicatus. Denique eodẽ die mortuus est, nam mori in scriptura, est confundi à conspectu Dei. In Ioanne ait Christus: Qui credit in me non morietur. Et apud Isaiam; Omnis qui inuocauerit nomen domini non confundetur. Illa confusio ipsissima mors est: & extinctus planè fuisset Adam, nisi viuificatus fuisset iterum verbo gratiæ. Item tota natura sine spiritu Dei viuificante planè moritur, quanquam non semper sentiat mortem. *Ioan. 11.*

Moriemini autem dicit in plurali, quia præsciebat vtrunque peccaturum. Quòd autem viro præceptum dedit ante formationem mulieris, voluit vt à viro mulier Dei voluntatẽ disceret, quẽadmodũ Paulus etiã pręcipit, Mulieres si discere volunt, domi viros suos interrogẽt. *1. Cor. 14*

In hoc igitur præcepto tres virtutes ab homine exigit Deus, charitatem, spem, & fidem, quas nunc reciprocato ordine à nobis exigit eadem trinitas, fidem, spem, & charitatem: vt quia ille cadendo descendit, nos

resurgentes à fide, per spem ad charitatem ascendamus. Pro eo igitur quòd hominem gratis fecit, & gratis in locum posuit voluptatis, omnesq; ei fructus cōcessit, planè debitorem magnæ charitatis eundem sibi effecit hominem & valde suis beneficiis obligauit. Deinde in præcepto dicentis, de ligno scientiæ ne comedas, spem insignem exhibere debuit homo: spem, inquam, habere de bono Deo debuit, quod is qui gratis tanta iam sibi bona contulerat, perfecto subiectionem & obedientiā in præcepto custodientis. maiora quæ promittebat, id est, cælestem paradisum quandoque conferret. Præterea in cōminatione dicentis, Morte morieris. fidē habere debuit homo, firmiterq; credere, quòd non inuidendo diuinitatem homini Deus tale lignum interdixisset, sed ineuitabilem præuaricationis pœnam veraciter prænunciasset. Verùm homo nec fidem, nec spem, nec charitatem Deo exhibuit. Allegoricè, positi sumus in paradisum ecclesię, vt eum colamus & custodiamus, & ita fructibus spiritus & gratiæ fruamur, vt tamen de ligno scientiæ non edamus, hoc est, ne propriæ rationi aut sapientiæ innitamur, nec vana quæramus, sed vtilia, &c.

Non est bonum hominem esse solum, &c.

Etiam hic repetit ac latius exponit quod supra summatim tantùm dixerat, nempe de creatione mulieris: dixerat siquidem, Masculum & fœminā creauit eos, sed nondum expressit vnde & quare mulier creata sit, hoc igitur nunc repetit. Quòd autem tam diu distulit de formatione mulieris dicere, non ideò factum putant, quòd mulier tam diu post virum formata sit, & tum primum cum iam positus esset Adam in paradiso. sed ideo, vt singulas historiæ partes secundum proprias causas rationabiliter ordinaret: constat enim, quia non propter mulierem vir, sed mulier propter virum facta est. Idcirco bene prius cum formatione viri narrationem digessit, quòd tulerit eum Dominus & posuerit in paradiso, & ipsum paradisum descripsit. Item vir non est seductus, sed mulier. Etenim non per virum mulierem, sed per mulierē virum decepit diabolus: idcirco formationē mulieris nūc vsq; distulit, vt continuaret historiam infelicitatis, quæ per mulie-

mulierem ad virum peruenit.

Non est bonum hominem esse solum.] Vide etiam hic Dei bonitatem & sollicitudinem pro homine: multa bona contulerat homini, necdum cessat, sed sociam & consortem ei nunc addit, idque sponte, non rogatus: sciebat enim nihil dulce homini esse posse, si solus mansisset: homo enim sociale est animal. Hinc est quod etiam gentiles, inter præcipua bona huius mundi posuerunt amicitiam veram. Non igitur bonum est hominem esse solum, indiget enim solatio & auxilio aliorum, opus habet confabulatore: non enim hoc solatio Deus hominem carere voluit. His igitur expressa est lex charitatis, in eo quod Deus hominẽ solum esse noluit, & quod homo hominis causa conditus esse scribitur, ne quis sibi soli viuere velit: nam & ortus noster, nutritio, educatio, breuiter omnes vitæ necessitates ab alieno pendent præsidio. Et hanc societatem hominum magnificent Salomon: Melius, inquit, est duos esse simul, quàm vnum: si vnus ceciderit, ab altero fulcietur, &c. Et in corporalibus quidem satis patet, quis sit vsus hominũ inter se mutuus. In spiritualibus idem Christus expressit, cum dedit potestatẽ remittendi peccata. Item cum dicit: Quod fecistis vni ex minimis meis, mihi fecistis. Deinde: Non est bonum hominem esse solum, id est, non conducit ad propositum nostrum, non est vtile: proposuimus enim præscitos & prædestinatos de primo homine propagare sanctos imagini & similitudini nostræ conformes futuros: ergo vt propositum istud impleatur, faciamus ei adiutorium, &c. Adiutorium, inquam, ad multiplicandam prædestinatorum progeniem sanctorum. Præterea etiam spiritualiter: Non est bonum hominem esse solum, id est, sine Deo vel gratia spiritus sancti: alioqui si ceciderit non habet subleuantem: id quod videmus in Iuda traditore. Ecótra autem, qui secum habet Deum, etiamsi ceciderit non collidetur, sed statim resurgit Dei gratia adiutus, exemplo Dauid & Petri.

Eccle. 4. *Ioan. 20.* *Matt. 25.* *Psal. 36.*

Obseruandum autem, imò potius dolendum, quòd verbum hoc plerisque nihil aliud est quàm velamen malitiæ: hinc enim omnem lasciuiam votorumque transgres-

greſsionem excuſare moliuntur. Deus, inquiunt, dicit non eſt bonum hominem eſſe ſolum: & quis eius voluntati reſiſtet? Imò ex hoc verbo omnem cælibatum omniaque caſtitatis vota damnant ſine exceptione. Nec interim attendunt quod Paulus dixit: Volo omnes eſſe ſicut meipſum. Et iterum: Bonum eſt hominem mulierem non tangere, & cæt. Cur non hoc quoque ſimiliter attendis? ſed hæc non arrident. Alii ex hoc verbo nedum cælibatum damnant, ſed etiam obſeruatu impoſsibilem proclamant: intantum enim diabolus inualuit his nouiſsimis temporibus, vt quicquid cupiditatibus noſtris obſtat, id iudicemus impoſsibile. Sic enim & præcepta Dei impoſsibilia iudicamus. Atqui ſi impoſsibile eſt cælibem viuere, quid dicemus de his qui ante nos cælibes vixerunt? nunquid manus domini abbreuiata eſt? Vis ſcire vnde nobis durum & quaſi impoſsibile videatur, quod tamen aliis nedum poſsibile ſed & leue erat? Primò, quia vacamus otio: Omnes quærimus ex otio viuere, fugimus labores, & cæt. Atqui omnia mala docet otioſitas, id quod Sodomitis obiicitur in Ezechiele. Deinde plus æquo ſtudemus ebrietati & crapulæ, præterea nec occaſiones fugimus, denique ne tantillum reſiſtimus tentationibus. Quid igitur mirum, quòd impoſsibile nobis videatur ſeruare caſtitatem? Quòd ſi prædicatores illi cælibatus oſores, & ſe & alios exhortarentur ad labores, abſtinentiam, fugam occaſionum, & ad orationem: viderent cælibatum non adeò difficilem eſſe.

1. Cor. 7.

Eccle. 33.

Ezech. 16

Faciamus ei adiutorium ſimile ſibi, &c.

Vide quanta grauitate etiam hic loquitur Deus, ſingula verba emphaſim ſuam habent. Primò enim in formatione mulieris eadem loquitur pluralitas perſonarum diuinarum, quæ ſupra in creatione viri locuta eſt. Faciamus, inquit, vt ſciamus etiam mulierem ſingulari Dei cura formatam eſſe. Deinde non ſimpliciter dicit. Faciamus mulierem, ne quis putet mulierem propter ſolam carnis voluptatem formatam eſſe: ſed dicit, Faciamus ei adiutorium, Adiutorium, inquit, non aduer-

aduersatricem, non ad molestiam irrogandam viro: adiutorium, non impedimentum, id quod plerisque contingit: adiutorium, ad propagationem prolis, & ad curam domesticam. Denuò addit, simile sibi: nam etiam alia animalia homines adiuuant, vt equi & boues, & cæt. nullum tamen simile est homini præter mulierem. Addendo igitur simile sibi, cuncta comprehendit quæ in faciendo viro dixit: scilicet, ad imaginem & similitudinem nostram, & præsit piscibus maris, &c. Gen. 1

Præter sexum enim in nullo substantia mulieris differt à substantia viri: videlicet, quòd minus mulier quàm vir præsit animantibus dignitate conditionis, quia non minus est rationalis, nec minus illi aspirare licet ad similitudinem creatoris.

Formatis igitur dominus Deus de humo cunctis, &c.

Prius dixerat aues de aquis productas, hoc est, de humido aëre, hic de terra, sunt enim aues ex elementis productæ, quæ & vulgi more promiscuæ dicuntur: occulto autem nutu diuina potentia adduxit animalia ad Adam, non aliquo impulsu, non violenter capta. obediebant enim homini, quàm diu homo ipse obediebat Deo. Obserua, quod animalia ad hominem tanquam ipsis præpositum veniebant, non homo ad animalia: nunc econtra fit, quòd homo creaturis se subiicit ac sequitur eas, cùm oporteret ipsum esse dominum creaturarum. Adduxit autem Deus animalia ad Adam, vt videret se non habere simile: deinde vt seipsum intelligens potiorem bestiis, tantò magis conditorem suum amaret. Præterea etiam ideò adduxit, vt Adam videret in omni genere hunc esse ordinem Dei, vt per coniugia species conseruentur, & sic quoque humanum genus multiplicari debere per mulierem, vel mulieris adiutorio multiplicandum. Denique etiam ideò adducta sunt animalia, vt honore ipse videret se omnibus præpositum. Itemque vt ostenderetur quanta sapientia præditus esset homo, ne putetur postea ex ignorantia peccasse. Gen. 1

Appellauitq; Adam nominibus suis cuncta, &c.

Nec in paradiso ociosus fuit Adam, sed pro maxima sapientia illi concreata, rerum naturas solerter indagauit & secundum eas nomina imposuit. Hic igitur expendendum est, quam admirabile sit hoc animal, quam plenum sapientia: econtra etiam nunc post peccatum non exiguæ reliquiæ in nobis manserunt: hinc autem in laudem conditoris assurgamus. Cæterùm hæc nominum impositio ostendit & probat hominem dominum supra bestias: sicut enim Nabuchodonosor cum transtulisset tres Pueros in Babel, mutauit eorum nomina & sic mutatis nominibus in suam gentem transibant, vt ipse dominus eorum esse cognosceretur. Sic hoc loco & Adam dominum supra omnes creaturas habere comprobatur. Insinuatur etiam hic quanta cum securitate tunc temporis Adam vixerit: nam non lædebant illum bestiæ, alioqui natura feroces.

Daniel.1.

Adæ vero non inueniebatur adiutor similis, &c.

Hic sub finem videmus, quare omnia illa promissa sint, & quare animalia adduxerit. Videmus enim, non solùm pro impositione nominum adducta esse, sed hac occasione voluit Deus, vt Adam ab initio, antequam formaretur mulier, cognosceret sibi opus esse muliere, quam maiori gratitudine deberet in vxorem suscipere, si illa contingeret.

Cæterùm, ex eo quòd Adam vndique inter omnia animantia circumspexit, num aliquod sibi simile inueniret adiutorium ad prolem procreandam: habemus admonitionem non inutilem, sed necessariam, vt curemus ne ita temere coniugia fidelium conueniant, rebus non ante præmeditatis, quarénam ducenda sit vxor, & cæt.

Immisit igitur dominus soporem in Adam, &c.

Profundo somno obruit eum, ne vel terreretur, vel sentiret dolorẽ ex lateris apertione. Alii volunt quòd non fuit sopor corporis, sed extasis mentis: certè postmodũ experrectus à somno, ita loquitur quasi omnia plenè vidisset. Hic igitur videmus quàm occultè Deus opera sua perficiat, vt non sentiantur donec perfecta sint. Sic occultè

occultè admodum per Christum Diabolum deuicit, vt non sentiret, donec iam deuictus esset, &c.

Tulit vnam de costis eius, &c.

Mirabilis artifex Deus, sicut supra ex limo terræ fecit virum, sic nunc ex costa facit mulierem. Congruè autem non ex terra eam facit, sed ex costa viri, ne putaretur esse alterius naturæ à viro. Deinde isto miraculo voluit summam charitatē & amicitiam nobis cōmendare, quam coniuges inter se seruare debent. Deniqûe, docere, vt vnusquisque couiugem suam pro carne sua agnosceret.

Præterea hoc facto ostendit, firmam & indissolubilem esse debere coniugii charitatem. Non enim absque iniuria Creatoris, vir costā suam abiicere potest. Hinc Christus Pharisæis quærentibus, num liceret vxorem dimittere, dixit: Non legistis, quòd ab initio masculum & fœminam creauit, &c. Quod ergo Deus coniuxit, homo non separet. Idem dicit Paulus ad longum. Non ergo nouum mandatum est, ò coniuges, dum vel Dominus vel Apostolus præcipit, mulierem à viro non discedere, sed mandatum vetus est, quod ab initio audistis. Obseruandum, quòd mulier non è capite viri, nec è pedibus formata est, vt sciret se nec dominā viri, nec seruam esse, sed consortem, quod vtinam coniuges omnes considerarēt. *Mar. 10.* *1. Cor. 7.*

Quod autem vir in formatione mulieris costam amittit, & carnem pro ea recipit, indicium est, quòd ex coniunctione mulieris quasi aliquid & non parum soliditatis, constantiæ, & virilis fortitudinis amittit vir, pro qua carnis quandam molliciem induit, sitq; seipso fragilior atq; minor, blāditiis imbutus mulieris ac affectibus: quamlibet id ægrè profiteri sustineant mariti. Habemus insuper ex hoc loco magnum mysterium de Christo & Ecclesia: Quod enim hic de primo homine dictum est, hoc etiam in Christo impletum est. Ipso enim in cruce obdormiente, de latere ipsius ecclesia desumpta est, cùm exiret sanguis & aqua. His enim symbolis Ecclesia congregata est. Ad quod etiam Christus allusit, cùm diceret: Ego si exaltatus fuero à terra, omnia trahā ad meipsum. *Ioan. 19.* *Ioan. 12.*

Proinde Ecclesia quæ tanto pretio redempta est, iure grata debet esse sponso suo, & illum intēsiùs amare: non

1.Pet.1. enim auro & argento redempta est, sed pretioso sanguine Christi. Vel aliter: nos sumus costa à latere Christi execta, & pro costa lateri eius caro inserta, quo factũ est, vt ipse infirmus effectus sit, vt nos validi efficeremur.

Et adduxit eam ad Adam, &c.

Hoc breui verbo habes, Deum esse autorem & institorem coniugii. Hinc igitur possunt coniugati conscientias suas confirmare in omnibus aduersis, quandoquidem certi sunt, vitam illam coniugalem honestè auspicatam, sanctè & religiosè obseruatam, esse meritoriã, & Deo placitam. Hinc Paulus: Honorabile est connubium, & cubile impollutum. Et iterum: Mulier saluabitur per filiorum generationem, si permanserit in fide. Hinc etiam discant sanctè & honestè in matrimonio cõuersari, quandoquidem status ipse in se sanctus est. Cæterùm, quod Deus ipse mulierem adducit, signum est, quod ab ipso quærenda est vxor, & in ipso. Alioqui nisi ipse coniugem dederit, nihil prosperè continget.

Heb. 13. 1. Tim. 2.

Prou. 19. Domus, inquit, & diuitiæ dantur à parentibus: à Deo autem vxor honesta. Errant igitur, & seipsos miserè decipiunt, qui in coniugibus tantùm quærunt diuitias, amplam dotem, formam, lasciuiam, interim ne cogitant quidem Deum aut honestatem.

Patres olim spiritu Dei pleni, primo religionem in Gen. 24. coniuge animaduerterunt. Sic Abraham, infidelẽ & pompo sam Chananæorum gentem, inter quos habitabat, aspernatus: è sua progenie, Deum viuum colentem vxorem filio adsciuit. Sic Salomon princeps vxorem duxit Raab meretricem, propterea quod & Deo Israel fidelis Ruth. 4. erat, & in populum Dei bene merita. Sic Boos & ipse clarus Ruth viduam pauperem & aduenam duxit, propterea quód omnium testimonio mulier esset virtutis.

Per hoc autem quod Deus ipse primis nuptiis interIoan. 2. fuit, quemadmodum & Christus in terra cõuersans, quasi pollicitus est sese coniugibus adfuturum, dummodo aduocetur vel inuitetur, & non expellatur vel contẽnatur.

Obseruandum item, quòd in his primis nuptiis nullæ lasciuiæ vel leuitates fuerunt, quales nunc cernimus, sed omnia cum summa grauitate peracta sunt: quod exemplum

plum si imitaremur, non tanta mala videremus in matrimonio.

Hoc nunc os ex oßibus meis, &c.

Quamuis soporatus fuit Adam, tamen nō clam illo fuisse quod factum est, hæc eius dicta manifestè indicant. vnde patet, quòd non tam somnus fuit corporis, quàm extasis vel excessus mentis. Igitur Adam, qui prius inter omnia animalia sibi adducta nullum repererat sibi simile, hanc mulierem sibi adductam statim assumpsit, vt coniugem dilexit, denique agnouit eam & os suum & carnem suam esse. Atq; hoc est quod vel maximè amorem inter coniuges conciliare posset, si cogitaret vir, mulierem os & carnem suam esse, & è contra mulier, se è viro desumptam. Signanter autem dicit, Hoc nunc os, &c. quod alij transferunt: Hoc semel os de ossibus meis. vel: hac vice os de ossibus meis: semel enim tantùm sic factum est, nec vltra erit talis formatio mulierum. Nunc, inquit, facta est ex viro mulier, posthac non sic erit, sed ex muliere vir: imò non ex muliere, sed ex vtriusque cooperatione.

Hæc vocabitur virago, quia de viro sumpta est, &c.

Sicut aliis animalibus ad se adductis vocabula imposuit, sic restabat vt ei quam sibi similē, & de corpore suo creatam cognouit, nomen inderet. Emphasim autem habet, quod ait. Hæc vocabitur virago, hæc, inquā: nullū enim aliud dignū fuit denominari ab hominis vocabulo.

Sciendum autem, quòd in Hebræa lingua manifestam nominis etymologiam vel deriuationem literatura resonat. Vir namque Hebraicè Isch, & mulier Ischa dicitur. At verò Latinè vir & mulier, secundum vocem, vel literalem sonum nihil commune habent, sed pro muliere virago positum est, quod non à viro sumptum est, quanquam accommodatius esset vira, si sic liceret dicere. Nā virago plus aliquid significat, quàm hoc loco intenditur. Obseruandum autem, quòd vir in suo nomine habet literam Iod, quæ decem significat. In nomine autem mulieris aufertur Iod, & additur in fine litera He, quæ quinarium significat. Quinarius autem respectu denarij est numerus imperfectus, sic & mulier imperfectior est viro. A viro autę denominata est mulier, Deo sic ipsi inspirante,

ſpirante, vt edocta vxor, ſe deſumptam de corpore viri, non ſuperbiat, vel contemnat, ſed vt ſubſiſtentiæ ſuę cauſam ſuſpiciat, veneretur, diligat, & ſe regi ac inſtrui patiatur à viro, ac cooperetur ad auxilia neceſſaria occupationis domeſticæ, ſine ira & diſceptatione, viciſsimq; ametur à viro, tanquã alter ipſe, & velut eiuſdẽ corporis nobile membrum. In fine autem iterum repetit, quòd de viro ſumpta eſt, quaſi admirans Dei cõſilium & opificium.

Propter hoc relinquet homo patrem, &c.

Hic etiam prophetat de futuro. Nedum enim in illo exceſſu ſuo viderat prętérita, ſed & futura. Cęterũ quod Adam hic dicit, & Chriſtus & Paulùs dicunt Deum dixiſſe. Vnde claret, quod diuinitus inſpiratus hęc dixerit, & quod eo tempore Deo plenus fuit Adam.

Hoc autem verbum quidam eò trahũt, quaſi hic prohibeatur, ne parentes cũ liberis, vel liberi cum parẽtibus matrimonium contrahant. Simplicisſimè tamen intelligendo, nihil aliud quàm arctiſsimum vinculũ fore inter cõiuges: quaſi dicat: Nulla erit arctior familiaritas & glutinum amoris ſynceri & puri fortius, quàm viri & vxoris contubernium, vt parentes quoque citius ſint deſerturi vtrique, quàm ſe mutuo. Inter parẽtes igitur & filios magna quidem eſt neceſsitudo, arctior tamen eſt inter coniuges. Nam propter coniuges relinquendi ſunt etiam parentes: Non quòd illis iuſtus honor denegari debeat, id quod ſatis cauetur in lege per illud: Honora patrẽ tuum & matrem, vt ſis longæuus ſuper terram: ſed ſic relinquãt parentes, quoad cohabitationem ſcilicet, non quoad dilectionem. vel ſic, vt propter amorem parentum, coniugalem non diſperdat amorem. *Exo. 20.*

Obſeruandum, quod parentes quidẽ relinquendi ſunt propter coniugem: at non relinquendus Deus. Qui enim amat patrem vel matrem, vxorem, plus quàm me, inquit Chriſtus, non eſt me dignus. *Matt. 10.*

Et erunt duo in carne vna, &c.

Caro hoc loco ſignificat, quicquid ad externam carnalem vitam requiritur, vt ſunt domus, familia, filij, diuitiæ, honores, &c. Et è contra paupertas, infamia, &c. Erunt, inquit, duo in carne vna, hoc eſt, omnia hæc communia

munia ipsis erunt, & prospera & aduersa. vel vna caro di
citur, ideo quód ex duobus illis prodit vnº fructus, quasi
ex vna carne. Deinde vna caro sunt, quia vir non habet 1. Cor. 7.
potestaté corporis sui, sed mulier, & é contra. Vt interim
taceam de vnanimitate & concordia quę inter ipsos esse
debet, vt idem velint & nolint. Summa, hoc verbo planè
pronunciat coniugij copulam, omnium carnalium necessitudinum maximam atque fortissimá fore, adeò vt semel
copulati non sint duo, sed vna caro. Hactenus igitur de
institutione matrimonij, ad literam: Nunc etiam mysterium videamus. Magnum enim sacramentum Paulus in
his verbis latere asserit de Christo & Ecclesia. Primò igi Ephes. 5.
tur Ecclesiam è latere Christi dormientis formatam esse,
iam supra dictum est, vt verè dicere possit: Hoc nunc os
ex ossibus meis, &c. Quare ipse spiritum nobis communicauit, quo fortes efficimur, & econtra ipse carnem nostram assumpsit, qua ad tempus infirmus factus est, effecit
vt cùm illo vnum simus, vt in Ioanne dicit. Atque hæc Ioan. 17
summa est consolatio nostra. Deinde idé Christus sponsæ suæ etiam nomen suum & dignitatem communicauit.
Ab ipso enim dicimur filij Dei, sancti, reges, sacerdotes.
Præterea, propter Ecclesiam reliquit patrem. Cùm enim
in forma Dei esset, &c. exinaniuit seipsum, &c. Reliquit Philip. 2.
& matrem synagogam, & cognationem suam carnalem,
& adhæsit ecclesię, sicq; cum ipsa factus est vnum corpus
& vna caro, Ipse caput, nos membra. Natura non possumus vnum esse cum Deo, sed Christus vnius naturæ nobiscum est, quandoquidem naturam nostram assumpsit.

Quare igitur, cum ipse abundè quod decuit sponsum,
nobis præstitit, operæprecium & necessarium est, vt &
nos tanto ipsius amori & dignationi respondeamus, ipsi
adhærendo, & omnia propter ipsum relinquendo, &c.

Erat autem vterque nudus, Adam scilicet, &c.

Paucula verba sunt, sed admodum prægnantia. Quid
referebat Adam nudum dicere, nisi gloriam egregiá cótineret nuditas? Non erat ignominiæ, sed honoris, quòd
nudi erant. Non erat insipiétię, sed securitatis, quod nuditatem suam non erubescebant. Non opus habebant vestibus quos innocentia tegebat, optimum scilicet tegumentum,

mentum, sine quo malè vestiti sumus, etiam si purpura tegamur. Ob eam causam nec in beatitudine opus habebimus
Philip. 3. vestimentis: tunc enim saluator reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ:
Mat. 13. Et tunc fulgebunt iusti sicut sol in conspectu Dei. Nec erat quod primos parentes puderet nuditatis suæ. In opere enim Dei nihil inhonestũ erat. Omnes adhuc ignorabant turpitudinem, in tutō adhuc manebant, nondum
Rom. 7. libido improba extra arbitrium commouebat membra, nondum enim in membris suis senserant legẽ repugnantem legi mentis, nondum rebellionis in carne pœnã luebant: quia non rebelles se exhibuerant creatori.

Eccle. 7. Deus, inquit scriptura, condidit hominem rectum. Ea autem rectitudo in eo est, vt carni spiritus, vtpote inferiori superior, præsit & imperet, & hæc illi iussa adsit & obtemperet. Medius namque inter Deum & carnem suam rationalis spiritus hominis positus est. vt Deo pareret, & carni imperaret. Quia ordinem prior ille turbauit & rupit, abiiciendo præceptum Dei, etiam carnẽ rebellem inuenit. Atq; hinc est erubescẽtia nostra. Summa pudor ex peccato est, & mala conscientia: significat igitur, primos homines vacasse peccato, cùm eos non erubuisse dicit. Et tu igitur si non vis confundi corã Deo, sectare innocentiam & bonam conscientiam. Obseruandum in fine huius capitis, quòd cùm homo tanta à Deo beneficia iam tum acceperit, adhuc tamen ab omni laude & gratiarum actione hactenus abstinuit, nec vllum dilectionis vel gratiæ verbum in ore eius fuisse scriptura testatur. Qui ergo gratiam Dei non agnouit, non mirum, quòd ad hoc vt & peccaret, & peccatum suum nõ agnosceret, peruenit: quia res vicina est, Eodem quippe intuitu & suum malefactum, & diuinum erga se cognoscit homo beneficium. Nos igitur beneficia Dei crebro recolamus, sic enim fiet, vt grati simus, & ad pietatem extimulemur: denique etiam maiora accipiamus. Gratitudo enim meretur ampliora accipere, &c.

Caput

Caput Tertium.

SED & serpens erat callidior cunctis animãtibus terræ, quæ fecerat Dñs Deus. Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit vobis Deus, vt nõ comederetis ex omni ligno paradisi? Cui respõdit mulier: De fructu lignorũ quæ sunt in paradiso vescimur: de fructu vero ligni quod est in medio paradisi præcepit nobis Deus ne comederemus, & ne tãgeremus illud, ne fortè moriamur. Dixit aũt serpens ad mulierẽ: Nequaquã morte moriemini, scit enim Deus, quòd in quocunq; die comederitis ex eo, aperientur oculi vestri, & eritis sicut dij scientes bonũ & malum. Vidit igitur mulier quod bonũ esset lignũ ad vescendũ, & pulchrum oculis, aspectuq́; delectabile, & tulit de fructu illius, & comedit, deditq́; viro suo, qui comedit. Et aperti sunt oculi amborũ: cũq́; cognouissẽt se esse nudos, consuerũt folia ficus, et fecerũt sibi perizomata. Et cũ audissent vocẽ Dñi Dei deãbulantis in paradiso ad aurã post meridiẽ, abscõdit se Adã et vxor ei⁹ à facie Dñi Dei in medio ligni paradisi. Vocauitq́; Dñs Deus Adã, et dixit ei: Vbi es? Qui ait: Vocẽ tuã audiui in paradiso, & timui, eo quod nudus essem, & abscõdi me. Cui dixit Dñs: Quis enim indicauit tibi quòd nudus esses, nisi quòd ex ligno de quo præceperã tibi ne comederes, comedisti? Dixitq́; Adã: Mulier quam dedisti mihi sociã, dedit mihi de ligno, et comedi. Et dixit Dñs Deus ad mulierẽ: Quare hoc fecisti? Quæ respõdit: Serpẽs decepit me, et comedi. Et ait Dñs Deus ad serpentẽ: Quia fecisti hoc, maledictus es inter omnia animãtia & bestias terræ: super pectus tuũ gradieris, & terrã comedes cũctis diebus vitæ tuæ. Inimicitias ponã inter te & mulierem, & semẽ tuũ & semen illius: ipsa cõteret caput tuũ, & tu insidiaberis calcaneo eius: Mulieri quoq; dixit: Multiplicabo ærũnas tuas, & cõceptus tuos: in dolore paries filios, & sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Adæ vero dixit: Quia audisti vocẽ vxoris tuæ, & comedisti de ligno ex quo præceperã tibi ne comederes, maledicta terra in opere tuo: in laboribus comedes ex ea cũctis diebus vitæ tuæ: spinas et tribulos germinabit tibi, et comedes herbas terræ. In sudore vult⁹ tui vesceris pane tuo, donec reuertaris in terrã de qua sumptus es: quia puluis es, et in puluerẽ reuerteris. Et vocauit Adã nomẽ vxoris suæ Heua, eò quod mater esset cunctorũ viuentiũ. Fecit quoq; Dñs Deus Adæ & vxori eius tunicas pelliceas, & induit eos. Et ait: Ecce Adã quasi vnus ex nobis factus est, sciens bonũ & malum: nũc ergo ne forte mittat manũ suã,

& su-

& sumat etiam de ligno vitæ, & comedat, & viuat in æternum. Emisit eum Dominus Deus de paradiso voluptatis, vt operaretur terrā de qua sumptus est. Eiecitq; Adam, & collocauit ante paradisum voluptatis Cherubim, & flammeum gladium atque versatilem, ad custodiendam viam ligni vitæ.

HActenus nihil non magnum & egregium scripsit Moses de homine, eiusq; creatione & dignitate. Nunc in hoc capite ipsius casum & miseriam describit. In hoc igitur capite audiemus vnde ortū habuerit peccatum, quamq; graue sit, quāta mala inde profluxerint, & qualiter in nos affectus sit Diabolus. Videbimus item, quàm verè dixerit Dauid: Priusquam humiliarer ego deliqui. Summa: hoc caput pulchrè nobis ob oculos ponit & Diaboli malitiā, & hominis miseriam, & Dei iustitiam. Omnia tamen hæc cum timore legenda & audienda sunt, ne si curiositati plus æquo indulgeamus, in blasphemiam incidamus eorum qui dicere solét: Cur Deus hominem tentari permisit, cùm sciret peccaturum? Cur Diabolum non prohibuit? Cur hominem non fecit impeccabilem? &c. Huiusmodi, inquam, curiositatibus & oculi & aures claudendæ sunt. Si cui autem tale quid obrepserit, cogitet primo, quòd Deus nō coactum sed voluntarium ab homine voluit habere seruitium. hilarem enim datorem diligit Deus: coactū autem fuisset, si homo peccare non potuisset. Cogitet secundò, gloriosius esse, tentatum non consensisse, quàm tentari non potuisse. Cogitet tertiò, hanc esse Dei conditionem, vt res quas condidit sic administret, quòd tamen eas proprios motus agere sinat. Cogitet quartò, hominem habuisse liberum arbitrium, iuxta illud: Reliquit eum in manu consilii sui, &c. Cogitet quintò, hominem tunc facilè potuisse superare tentationem: vt interim taceam, quod Diabolus non potuit eum nisi externè tentare. Neque enim tunc poterat appetitum sensitiuum interne excitare ad illicita. vel per motum phantasiæ intellectui illicitum aliquid proponere: quia in viribus inferioribus nihil potuit inordinatum esse, nisi prius fuisset in ratione, Quid igitur Deum incusamus, cur hominem tētari permiserit?

Psal. 118.

2. Cor. 9.

Eccle. 15.

&

& non potius ipsum hominē, qui propria sua culpa cecidit? Imò ne Diabolo quidē omnis nostræ perditionis culpam asscribere possumus, id quod ex primo verbo huius capitis elici potest, vbi dicitur.

Sed & serpens erat callidior, &c.

Quid enim aliud sibi vult, quod non simpliciter dicit: Sed serpēs erat callidior, sed cōiunctionē interposuit: Sed & serpēs, &c. Quid, inquam, aliud per hoc ostēdit, nisi vt sciamus, initiū peccati vel tētationis nō cœpisse ab exteriori tentatione serpentis. Nisi enim homo intus per superbiā tumuisset, foris tentatus non tam facilè cessisset. Hoc igitur tacitè innuit, cum dicit: sed & serpens, &c. quasi dicat: Cùm homo iam sua sponte superbiret in animo, etiam serpens ab extra nō cessauit, sed statim adfuit. Cæterùm quanquam nōnulli dubitēt, verus ne fuerit serpens, an tantùm species serpentis: Videtur tamen litera id velle, quod verus fuit serpēs, in eo quod dicitur: Erat callidior cunctis animantibus terræ. Nam etiam nunc serpens à Christo nobis in exemplum prudentiæ proponitur: Estote, inquit, prudentes, sicut serpentes. Quod autē serpens hic cum muliere collocutus dicitur, patet quòd ab alio lingua eius mouebatur. Soli enim homini datum est, loqui posse. Quod autem idem serpens tam impiè de Deo eiusque verbo loquitur, patet quòd à Diabolo lingua eius mota est. *Mat. 10.*

Quod autē permissu Dei serpentem intrare potuit Diabolus, non est mirum, cum id etiam hominibus cōtigisse nemo nesciat. Quod autē non alio animali vsus est ad tētationē hominis, quàm serpente: non electionis suæ fuit, sed diuinæ potestatis, qui non permisit eum alio animali ad hoc vti. Quamuis enim nocendi volūtas semper adsit Diabolo, omnibusque impiis: potestas tamen non nisi à Deo permittente est. Quod autē non aliud animal ei permisit, nisi serpentem, ideo factū est, vt homo dedignaretur tam abiecto & deformi animali plus credere quàm Deo. Deinde, vt post casum, maiorem haberet occasionem seipsum arguendi, quòd tam vili animalculo contra apertissimū verbū Dei credidisset. Postremò, nō in alia eū specie apparere pmittit Deus, nisi serpētina, vt vel sic

cuius natura & conditiones nobis innotescerent. Nihil hactenus de diabolo dixit. Nunc autem cùm primò de ipso loquitur, introducit eum sub specie serpentis, vt sciamus eum lubricũ esse, astutũ, venenosum, homini contrariũ, sicque eum non minus, imò multo plus exhorrescamus, quàm serpentem terrenum. Cęterùm quod dicit, serpentem fuisse callidiorem cunctis animantibus, potissimùm refertur ad Diabolum, etsi enim deiectus sit, tamen etiam adhuc sapientior est omnibus animantibus terræ. Ad serpentem autem terrenum nõ referri potest verbũ hoc, nisi in quantum à Diabolo mouebatur: sicut dicim' linguam eruditam, quia prudẽter mouetur ab intellectu. Serpens enim externus nec intellexit quidem verba, quæ per eum locutus est diabolus, sicut nec Asina Balaam, & homines obsessi. Iam quod Diabolus statim ab initio homini fuit inimicus, causam præstitit inuidia, iuxta illud:
Sap.2. Inuidia Diaboli mors intrauit in orbem, &c. Inuidiæ autem causa fuit hominis fœlicitas: videbat se tam nobilem creaturam è cælo deiectum, hominem autem è luto formatum ad ea bona aspirare, quę ipse perdiderat. Hinc inuidiam concepit, nec cessauit, donec hominem quoq; ab ea fœlicitate deiiceret.

Qui dixit ad mulierem: Cur præcepit, &c.

In hac prima hominis tentatione, pulchrè perspicitur Dæmonis versutia. Primò enim, non qualis est, se ostendit, sed aliena se tegit specie, vt verum sit illud Pauli:
2. Cor.12. Transfigurat se in angelum lucis. Deinde signanter se tegit sub animali suapte natura callido. Sic adhuc se tegit sub sapientia & eloquentia mundana. Præterea, non aggreditur virum, qui mandatum à Domino audierat, sed mulierem, quæ à viro tantum audierat. Sic adhuc eos maximè aggreditur, qui in verbo Dei minus fundati sunt. Ad hæc, infirmiorem aggreditur. Sic adhuc vbi videt nos infirmos, & ex nobis inclinatos, ille nos aggreditur. Venenum autem infundit, non alio medio, quàm lingua, vt verum appareat quod Iacobus de mala lingua dicit: Nulla enim pestis peior mala lingua. Demum etiam in paradiso hominem aggreditur, ne nobis quicquam securitatis persuaderemus in hoc mundo.

Cur

Cur præcepit vobis Deus, vt non comederetis ex omni ligno, &c.

Non violenter aggreditur hominem, ſed dolo & fraudibus. Meritò igitur non in leonis ſpecie, ſed in ſerpentis apparuit. Nihil enim adhuc iuris in homine habebat: nec inuitum ad peccatum trahere poterat. Nondum enim erat illud, quod ingemiſcens Apoſtolus, video, inquit, aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, & cæt. Multò minus illud erat, quod nunc aperta quoque interdum perſequutione rugit. Proinde quia non impugnando coegit, ſed blandiendo primum hominem ad peccatum illexit, exinde ſerpens antiquus ſiue tortuoſus dicitur. Quia verò ſemel admiſſus, deinceps crudeliter & furioſè ſuper genus humanum tyrannizauit, leo dictus eſt. Vtrunque huius malignitatis & ſæuitiæ nomen. Vnde in Pſalmo dicitur: Conculcabis leonem & draconem.

Rom. 7. *Pſal. 90.*

Vide igitur in hoc ſerpentis verbo verè ſerpentinas verſutias.

Primo enim ſic ſe oſtendit, quaſi hominis curam agat & habeat. Sic enim ſemper fingit ſe amicum. Deinde ante omnia verbum Dei aggreditur, & ex conſequenti fidem. Sciebat enim tergiuerſationem, quòd ablato verbo Dei, fideque labefactata, homo conſiſtere non poſſet: ſic etiam nunc omnium maximè fidem impugnat, & verbum Dei labefactare nititur. Ideo nihil eſt quod toties admoneamur, quàm vt caueamus à falſis prophetis.

Cur, inquit, præcepit. His duobus nominibus, Quomodo & Cur, Diabolus omne Dei verbum labefactare nititur. In his enim quæ ad fidem pertinent, vtitur dictione hac, Quomodo. Vt cùm Iudæi dicerent: Quomodo poteſt hic nobis carnem ſuam dare ad manducandum? In præceptis autem, vtitur dictione hac, Cur, vt hic: Cur præcepit? Quaſi dicat: Quid opus erat? Inconueniens eſt, cùm ſitis liberi, & cæt. *Ioh. 6.*

Sic etiam nunc ſemper hoc Cur, nobis inſpirat, vnde factum eſt, vt fermè nihil amplius curemus præcepta, &c.

Per hoc enim nobis ingerit diſplicentiã præcepti, &c.

Item cur præcepit,&c.quaſi dicat, id ne præciperet aut curaret Dominus? Hoc enim agit, vt putemus Deum aut ſtultè aut iniquè præcipere. Ideo ſupra admonui, in omni præcepto non opus,ſed voluntatem diuinam ſpectandam. Si enim opus tantùm aſpicimus, facilè de Deo ſiniſtrè iudicabimus. Vide autem & alias Diaboli verſutias in corrumpendo verbo Dei. Primo enim, iuxta textum Hebræum, omiſit verbum præcipiendi, ſubſtituens dicere pro mandare, ne hominibus ipſis occaſionem præberet de præcepto cogitandi. Nec addit, Dominus Deus, ſed Deus tantùm, inuidiam quaſi ſubindicando in Deum, cui inuitus ſubeſſet, & maieſtatem Domini diſsimulando, cui æqualis eſſe non poterat, vt volebat. Omittit quoque, tibi vel vobis, in Hebræo, ne ad illos hoc tantopere pertinere arbitrarentur. Denique, cùm Dominus tria dixerit, Ex omni ligno,&c. De ligno aũt ſciẽtiæ,&c. In quocunq; die, &c. Hoc vltimum diſsimulat ſe ſcire, ideo dicit: Cur præcepit,&c. Superiora duo confundit, & permiſcet, & de duobus veris vnum falſum complet, dicendo: Ne comederetis de omni ligno paradiſi. Sic igitur etiam tunc ludere cœpit in verbis Dei veterator ille, & inuertere tam verba, quàm ſententias mandati do-
Ioan.8. minici. Verum igitur dixit veritas: Ille erat homicida ab initio, & in veritate non ſtetit, &c. quaſi dicat, in initio ſuæ locutionis inuentus eſt mendax, & homicidium intentaſſe. Huius ergo Diaboli filii ſunt, qui peruertunt verba Dei viuentis, qui à patre mendacii didicerunt nõ ſolùm mentiri, ſed etiam ipſiſsimam agnitam veritaté inuertere, perſequi & odire.

De fructu lignorum quæ ſunt in paradiſo veſcimur,&c.

Hic vides, quod homo verè habuit dominiũ ſuper oĩa animantia: hinc enim eſt, quòd mulier non timet aut horret ſerpenté. Deinde etiam ideo non timet animalia, quia adhuc in innocentia erat, & in gratia creatoris. Qui enim
Pſal.90. Deum habet, is verè ſecurus eſt, vt patet Pſalmo nonageſimo per totum, & Marci decimo ſexto, Serpentes tollent,&c. Præterea etiam ideo non timet, quia nihil aliud ſuſpicabatur eſſe, quàm ſerpentem: neſciebat Diabolum in ſerpente eſſe & loqui.

In

In hoc igitur primò peccat Eua, quòd nimiũ ſecura eſt, quaſi nihil periculi ipſi poſsit accidere. Sic & nobis plerunque contingit, vt vbi putamus ſummam eſſe ſecuritatem, & omnia ſalua, ibi præſentiſsimus eſt Diabolus. Et hoc vocatur in pſalmo Dæmonium meridianum, media enim luce apparet, dum ſcilicet nihil minus timemus, iudicamus omnia ſalua & ſancta, &c. hinc ſcriptura nos monet, vt ſemper timeamus, omnia etiam tuta, quaſi ſub omni lapide ſcorpius dormiat. Beatus homo, inquit Sapiens, qui ſemper eſt pauidus. Deinde etiam in hoc peccauit Eua, quòd ſtetit & audiuit à ſerpente, cùm Deus ſe doctorem hominis futurum oſtẽderit. Multum refert ſcire à quo diſcas. Non omnibus auſcultandum eſt, nec omnia audienda. Corrumpunt enim bonos mores colloquia mala. Hinc Sapiens: Sepi aures tuas ſpinis, &c. Nihil autem aliud perſuaſit mulieri, vt ſerpenti auſcultaret, quàm curioſitas. Sciebat ſerpentem eſſe animal irrationale, miratur tamen loquelam eius. Ex eadem radice curioſitatis poſtea factum eſt, quòd Gentiles tanta inſtantia, tamque dementi & ſtulta reuerentia voces articulatas aſtutia Dæmonum formatas per innumera quæ fierint ſimulachra, pro Deo Diabolum, pro veritate colentes mendacium. Eadem curioſitate etiam nos quicquid rarum eſt miramur, ſuſpicimus, acceptamus, & cæt. Tertiò peccauit Eua in hoc, quòd non auerſatur ſerpentem, cùm tamen audiret eum manifeſtè contraria Deo dicere & perſuadere. Hanc matris Euæ ſtultitiam, imò peruerſitatem nos quoque imitamur, quia ea vel maximè acceptamus, quæ peruerſiſsima ſunt, cùm oporteret nos auerſari & abominari huiuſmodi, quæ Deo contraria ſunt. Præterea etiam in hoc peccat Eua, quòd virum non interrogat, ſed ſibi ipſi ſatis videbatur ſapiens, &c. eam imitantur, qui diſcere ac audire ab aliis dedignantur. Non igitur mirum, ipſis contingere, quòd Euæ contigit. Denique etiam in hoc peccat, quòd diutius cum Diabolo confabulatur: cùm oporteret primam eius ſuggeſtionem ſtatim allidere ad petram. Nemo ſecurus loquitur cum diabolo, nihil hic ſecurius quàm fuga, alioqui certo præualebit, ſi ſemel locum ei dederis.

Pro.28. *1.Cor 15.* *Eccle.28.*

Demum etiam in hoc peccat Eua, quòd diabolo Dei mysteria pandit. Malum est quibusuis detegere mysteria Dei. Dixisse debuerat mulier: Quid ad te de præcepto nobis dato? &c. Hinc Christus: Nolite sanctum dare canibus, nec margaritas porcis, ne conuersi dirumpant vos, &c.

De fructu, inquit, lignorum, &c.

Inexcusabilis prorsus præuaricatio, quia memor adhuc erat præcepti, Nec enim potuit dicere, se ex ignorantia peccasse aut obliuione. Quanquam etiam obliuio vnius tantum, ac tam necessarii præcepti, culpa esset damnabilis negligentiæ: Inde autem maior transgresio, quia memor præcepti erat, & Deus in illo tanquam præsens con temnitur: hoc enim est Dei veritatem in iniustitia deti-
Rom. 1. nere. Denique hæc ipsa mulieris verba indicant eius mentem iam vitiatam fuisse. Nam quantum in se erat, deprauauit mulier verba præcipientis Domini tribus modis, quibus vsque hodie deprauare nititur sanctam scripturam omnis qui est ex parte Diaboli, addendo, scilicet, diminuendo, mutando. Apposuit nanque, dicendo: Ne tangeremus illud, hoc enim Deus non dixerat. Diminuit verò, cùm in dubium reuocat Dei asseuerationem, dicendo: Ne forte moriamur. cùm dixisset Deus: morte morieris, id est, sine dubio morieris. Mutauit item verbum Domini. Dixerat siquidem Dominus: *De ligno scientiæ non comedas.* hæc autem dicit de ligno quod est in medio paradisi, præcepit nobis: id quod falsum erat. Nam & lignũ vitæ erat in medio paradisi, quod Dominus non interdixit. Vide denique, quàm irreuerenter loquatur, Adiicere debuerat: Dominus Deus & creator noster præcepit nobis. sed nihil horum facit. Deinde non tam gratam se ostendit de tot concessis fructibus, quàm querulam de vno prohibito. Discunt hinc insolentiores fœminæ, exemplo primæ matris, multiloquiũ cũ exteris, inobedientiã, mendaciũ, ingratitudinem, perfidiam, gulam, superbiam, niti ad vetita, cupereq; negata. Ne tangeremus, inquit. Cui enim displicet præceptũ, aggrauat illud.

Nequaquam moriemini. scit enim Deus, &c.

Perpendens Diabolus se non parum profecisse apud mulierem

mulierem persuasam iam infidelitate circa Domini verbum, nunc apertius aggreditur. Non enim cessat, vbi semel admittitur. Primo igitur, quandoquidem videt mulierem vacillare, omnem ei timorem auferre conatur. Nequaquam, inquit, morieris. non est quod timeas: Timor siquidem est obstaculum quod peccare prohibet. Sublato autem timore, in omnia vitia ruimus. Sic impii secum dicunt: Exiguum & cum tædio est tempus vitæ nostræ, &c. venite ergo, fruamur bonis, &c. per totum. *Sap. 2.* Econtra autem, cui persuasum est Deum videre omnia, & iudicem esse, & sumpturum rationem de omnibus factis, siue bonis, siue malis, non facile peccat. Ideo primo omnium curat Diabolus auferre timorem Dei, ac vanam persuadet securitatem. Deinde cùm prius interrogatiuè tantum dixerit: Cur præcepit vobis Deus, &c. hic manifestè contraria Deo loquitur: sic enim semper ad maiora mendacia ducit, vbi semel admittitur: id quod nunc experimur. Ad hoc enim aliquos nostro tempore perduxit, vt negent Christum, negent Dei iustitiam, quasi etiam impii saluandi sint, &c. Præterea Deum mendacem facere intendit. Et aliàs quidem ipse *Isa. 14.* Deo similis esse volebat: quod quia fieri non potuit, nunc conatur Deum similem sibi facere, hoc est, mendacem. Quid enim aliud est, Nequaquam moriemini: quàm Deus mentitur. vt vel hinc videamus, quanto in Deum odio feratur. Hanc eius peruersitatem etiam impii imitantur. vellent enim & cuperent Deum ipsis similem esse, hoc est, iniustum, &c. Hinc in Psalmo: Existimasti inique, quòd ero tui similis, &c. *Psal. 49.* Quartò, & maximè omnium conatur Deum persuadere inuidũ, qui homini tanta bona inuideat. Ob eandem causam etiam nunc maximè quosdam angit & vexat circa prædestinationem: nimirum, vt persuadeat Deum quibusdam inuidere beatitudinem: vt hinc in desperationem & in odium Dei ducat. Atqui Deus satis superque ostendit, se non inuidum esse homini, sed beneuolentissimum.

Denique temporalia homini promittit, vt facilius alliciat, & à spiritualibus & æternis abducat. Aperientur, inquit, oculi vestri, & eritis sicut Dii, & cæt. Hu-

iusmodi enim illecebris nos ducit ad peccatum, quemadmodum agnus ramusculo ad mortem ducitur. Insuper videmus hic Diabolum omnium maximè hoc agere. vt gloriam Deo detrahat. Eritis, inquit, sicut Dii. Ad hæc iam statim in initiis ad idololatriam sollicitat, persuadere enim vult plures esse Deos, cùm dicit: Eritis sicut Dii. Signanter autem dicit: Eritis sicut Dii, non dicit: Eritis Dii. Non enim promisit diuinitatē, quod sciebat impossibile esse, sed similitudinem quandam, quæ consistit in non subiici obedientiæ alterius, & habere quandam excellentiam scientiæ in omnibus sibi expedientibus: sicut Deus nulli subest, & dirigit omnia per suam sapientiam. Obserua autem, quòd non ei promittit vitam, vel incitat ad vitam, sed ad scientiam. Sic enim semper eleuat, vt grauius deiiciat. Quid nobis scientia prodest ô impie, si desit vita? cur non ad vitam quærendam incitas? Deinde quid nobis de scientia mali, cum satis superq; nobis fuisset scire bonum? Sicut igitur tunc, sic & nunc, & semper diabolus suadet plus sapere quàm oportet sapere. Plus item quàm Deus vult nos scire, Cum satis nobis esset scire ea quæ Deus nobis manifestauit. Summa, eodem vitio diabolus hominem decepit, quo ipse cecidit de cælo.

Obseruandum autem, quòd sicut Apollo Delphicus fertur solitus fuisse incertis ludere ambagibus, vt etiam decepti ipsum arguere non possent: Sic hic quoque ludit Dei & hominis inimicus: singula enim verba æquiuocando corrumpit & perturbat, alio sensu loquens, & alio sua dicta intelligi volens, odibilium Sophistarum maximus. Qui enim sophisticè loquitur, odibilis est. Sic primo æquiuocatur de morte: vt etiam si Dei veritas impleta fuerit, nihilominus ipse veracem se esse, cum hostili cachinno confirmet. Nam cùm duæ mortes sint, vna corporis, alia animæ, quadam morte non statim moriturus erat homo. Sic cùm dicit: Aperientur oculi vestri, volebat intelligi, quòd claritatem omnis sapientiæ homo habiturus esset, si comederet, cùm tamen ipse Diabolus sentiret aliter euenturum, nempe oculos ipsorum aperiendos in agnitionem propriæ confusionis.

Eccl. 37.

Est

Eſt enim quædam infelix oculorum apertio, qua reuelabuntur olim oculi impiorum, quando turbabuntur timore horribili, dicentes: Hi ſunt quos aliquando habuimus in deriſum, &c. per totum. Sic cum dicit, Eritis ſicut dii. falſis vtiq; diis, id eſt, ſibi ſuisq; ſequacibus angelis apoſtaticis ſimiles illos facere intendebat, cũ tamẽ aliud intelligi vellet, vt ſupra dictum eſt. Sic addendo, Scientes bonum & malum: moliebatur vt eos habere faceret & boni perditi memoriam, & mali inuenti experientiam, cùm hoc aliud vellet intelligi, quòd omnium conſecuturi eſſent ſcientiam. Ex omnibus iam dictis patet, quod tripliciter primum hominem diabolus tentauit: primò ex gula, cùm cibum vetitum ſuaſit: ſecundò ex vana gloria cum dixit, Eritis ſicut dij: tertiò ex auaritia cùm dixit, Scientes bonum & malum. Econtrà à Christo in his tribus tentationibus deuictus eſt. *Sap. 5.* *Matt. 4.*

Vidit igitur mulier lignum, quòd eſſet, &c.

Hic videmus verè dictũ eſſe, Corrumpunt bonos mores colloquia praua: viderat mulier etiam antea lignum hoc, nihil tamen curabat: nunc autem poſtquam à diabolo laudatum erat, magis ad ipſum afficitur, ac ſpecioſius videtur lignũ hoc omnibus aliis. Sic enim ſemper nitimur in vetitum, & quod amamus videtur eſſe pulchrum etiã ſi ſit malum, & econtra. Deinde vides hic quàm malum ſit non refrenare ſenſus exteriores: nos nihil referre putamus ſi videamus, audiamus, &c. dummodo non conſentiamus. Atqui ſcimus non paucos hac occaſione in peccatum lapſos. Dina videre volens mulieres, corrupta fuit. Eua ſi oculos auertiſſet nunquam in tantam concupiſcentiam ligni huius veniſſet. Senſus exteriores feneſtræ ſunt per quas mors intrat ad animam, vt Hieremias dicit, vnde & alibi idem propheta dicit: Oculus meus deprędatus eſt animã meã. Quod ſciens Iob ait: Pepigi fœdus cũ oculis meis, &c. non enim debet videri quod non licet concupiſcere. Cæterùm quod hic dicitur, vidit mulier lignum, cum grauitate legendum eſt: vidit, id eſt, conſiderauit, diligenter intuita eſt, curioſius attendit, & iudex eorum quæ audierat ipſa eſſe voluit. Audierat Deum dixiſſe, morte morieris ſi comederis: audierat *Gene. 24.* *Ierem. 9.* *Iob. 31.*

 à ſer-

à ſerpente, Nequaquam moriemini. Inter hæc anceps naturam ligni propriis ſenſibus diiudicare voluit, vt ſciret cui potiſsimum credere deberet. Quòd ſi interioribus oculis lignũ aſpexiſſet, ſtatim vidiſſet Deo potius credẽdum, vidiſſetque quod mortem illatura eſſet non cura ligni, ſed tranſgreſsio præcepti: verùm interiores eius oculi iam præpediti erant concupiſcentia exteriorum. Solis igitur exterioribus oculis cõſiderauit hoc lignũ, & cum videret in ipſo fructu non eſſe venenũ mortis (erat enim lignũ pulchrum viſu, & fructus ad veſcendum ſuauis) idcirco iudicauit hoc ſermoni Dei repugnans eſſe, magiſque ſermoni ſerpentis concordare: ſic vidit, & ſacrilega temeritate magis credidit diabolo quàm Deo, & comedit. Sic adhuc nobis contingit, cùm apertum verbum Dei habemus, & tamen non credimus, ſed diſputamus num verum eſſe poſsit quod Deus dixit, ac ratione noſtra verbũ Dei diiudicare volumus: hinc cadimus in errores. Tria autem vidit mulier in ligno hoc: primò, quòd eſſet pulchrum oculis, quo notatur curioſitas: ſecundò, quod eſſet bonũ ad veſcendum, quo notatur voluptas: tertiò, quod eſſet delectabile, ꝙ doceret ſcientiã boni & mali, in quo notatur vanitas. Atq; hic eſt funiculus triplex quo diabolus nos ad peccatũ trahit, curioſitas, voluptas, vanitas, vel (vt Ioannes appellat) concupiſcentia oculorũ, concupiſcentia carnis, & ſuperbia vitæ. 1. Ioan. 2

Et tulit de fructu eius & comedit, &c.

Tribus modis peccatũ perpetratur in anima, ſuggeſtione, delectatione, cõſenſu. Suggeſtio fit per aduerſariũ, delectatio per carnẽ, conſenſus per ſpiritũ: ſuggeſtione peccatũ agnoſcimus, delectatione vincimur, conſenſu ligamur. Quatuor autẽ modis peccatum conſummatùr in opere: primo namq; culpa latens agitur, deinde etiã ante oculos hominũ ſine confuſione reatus aperitur, dehinc in conſuetudinẽ ducitur: ad extremum, vel falſæ ſpei ſeductionibus, vel obſtinatione miſerę deſperationis enutritur. omnia hæc videmus in primis parentibus.

Et dedit viro ſuo, &c.

Peccati ratio eſt, quòd niſi ſtatim pœnitẽtia aboleatur maiora ſumat incrementa. Non contenta eſt Eua quòd

ipsa mandatum Dei transgressa est,sed etiam in idem peccatum coniugem suum trahit: & quæ in adiutorium viri creata erat,iam virum seq; perdit.id quod etiam nũc plerumque fit. Non tamen credendum quòd viro persuaserit,vt in eo sibi crederet quo ipsa crediderat serpenti: vir namque,vt Paulus ait,non est seductus:sciebat diabolum mentiri:ideò enim comedit ne vxorem cõtristaret. Iam enim eo morbo laborabat, quo iam plerique laborant, quòd mulierem plus diligebat quàm Deum, & potius Deum offendere voluit,quàm vxorem. 1.Tim. 2.

Dedit,inquit,viro suo,nimirũ muliebri importunitate,non cessando donec vinceret: sic enim solent mulieres,& in hoc admodum efficaces sunt, vt patet de Samsone,&c.Non tamen propterea excusatur Adã,imò eo grauius peccauit:cùm enim à Deo positus esset doctor mulieris & caput,arguere eam debuerat. Nulla enim ratione excusabiles sunt qui aliorũ doctores sunt, si ob infirmitatem plebis quæ facilè seducitur,ipsi quoque eandem viam ingrediuntur: nec excusantur si propter importunitatem populi mali aliquid faciant.Sicut Aaron nõ fuit excusatus quòd à populo coactus fuerat deos facere.Sic nec hi excusantur qui in omnibus populo cedunt,& eius desideriis satisfaciunt,&c.nõ enim pastor oues sequi debet quocunque pergant,sed oues pastorem. Iud.16.

Qui comedit, &c.

Hic iam peccatũ consummatũ fuit,non nocuisset humano generi si Eua solùm peccasset,potuisset enim Deus aliam vxorem coedere,illa reiecta: vbi autẽ etiam Adam peccauit,peccatum in omne genus humanum descendit. Sic spiritualiter,si sola caro vel sensualitas peccati delectatione afficiatur,nihil obest:cùm autẽ etiam ratio quæ vir est consentit,tunc iure homo vita æterna priuatur.

Et aperti sunt oculi amborum,&c.

Hactenus peccatũ,nunc fructus peccati describuntur, qui sunt conscientia & mors:itemq; describũtur hic pœnæ peccatorũ,quæ sunt multiplices,internæ & externæ.

Quòd autem dicit oculos eorum nunc apertos esse, non sic intelligendum quòd antea cæci fuerint: nam & supra Adam vidit animalia adducta & Eua lignum.

Nec cum Iosepho sentiendū, qui dicit eos ante hoc non habuisse vsum rationis, quod tamen falsum est: quomodo enim Adam animalibus iuxta singulorum naturas nomina imponere potuisset, si rationis vsu caruisset? Sed nec illud tenendum est, quòd ante peccatum tantum habuerunt notitiam boni, nunc autem etiam mali notitiam adepti sunt, quod & ipsum falsum est: nam contrariorum eadem est disciplina. Aperti aūt dicuntur oculi eorum, quia viderunt vel experti sunt quod prius non viderūt.
Luc. 24. Sic in Luca dicitur de duobus discipulis euntibus in Emaus, quòd post fractionē panis aperti sunt oculi eorum.
Gene. 21. Sic de Agar dicitur, Aperuit dominus oculos eius, & vidit fontem aquæ. Eodem modo & hic post peccatum aperti sunt oculi prothoplastorum, tunc enim viderunt quod prius non viderant: Videbant Deum veracē & diabolum mendacem: videbant non tam leuiculam rem esse diuina præcepta, quemadmodum sibi persuaserant prius. Iam excitabantur eorum mentes ad agnoscendum peccatum, misera sanè scientia à diabolo promissa: iam videbant malum quod fuerat bonum, nuditatem sane suā, miseriam & turpitudinem, seque nihil de suo habere: & qui prius malum intellectualiter tantùm cognouerant, nunc experimentaliter cognouerūt. Hic igitur primus fructus est peccati, multa videre quę prius non videbas, sed nihil non malum.

Cumque cognouissent se esse nudos, &c.

Secundus fructus peccati, quòd hominē spoliat vestibus suis & omnibus bonis. hinc de Israëlitis in idololatriam prolapsis dicit scriptura: Vidēs ergo Moses popu-
Exod. 32 lum quòd nudatus esset, spoliauerat enim eū Aaron propter ignominiam sordis, & inter hostes nudū constituerat. Sic hoc loco protoplasti viderunt se nudos, id est, à Deo alienos & solos relictos. Videbant se eo honore in quo positi & conditi erant spoliatos, & iumentis cōpáratos, sine omni protectione Dei. Viderunt item, se ętiam corpore nudos, quod antea non aduerterant, tanta fiducia prius fruebantur. Viderunt etiam se originali iustitia priuatos, qua fiebat vt corpus spiritui obtemperaret. Deniq; viderūt nunc rebellionem in carne ac membris, non

non vno & altero,sed omnibus,tam externis quàm internis. Et quanquam hæc rebellio carnis & membrorum plerisq; nõ videatur esse pœna,sed magis in ipsa delectetur, pij tamen sentiũt verè pœnam esse: vnde Paulus: Infelix ego homo,quis me liberabit de corpore mortis huius? *Rom.7.*

Consuerunt folia ficus, &c.

Tertius fructus peccati,confusio vel erubescentia: verè enim confundit nos peccatum,& confusibiles facit coram Deo & omnibus creaturis: quòd si peccatũ quis rectè videret,corã seipso cõfunderetur. Hinc est quòd Adam se tegere festinat, plurimũ tamen circa hoc fallitur. Primũ in eo,quòd per seipsum tegere conatur peccatum suis viribus,sed fallitur: nisi enim è cælo tegantur peccata,imò deleantur,frustra fit quicquid adhibemus. Beati quidem quorũ tecta sunt peccata. verùm nemini teguntur nisi cui Dominus non imputat peccatum. Deinde etiam in hoc errat Adam,quòd folijs se tegi putat: misera planè permutatio,qui tanta gloria prius circundati erãt, nunc folia cõsuunt,verùm nihil agunt: nam etiã si quis se in terram abstruserit,à domino inuenietur. Folijs peccata sua seq; tegunt, qui peccata vel negant vel excusant, vel propriis viribus & operibus iustificari volũt, quemadmodum pharisæi,&c. Omnia hæc folia sunt, non permanent nec tegere possunt domino iudicante. Imò arbori nihil nisi folia habenti dominus legitur maledixisse. Igitur si nuditatis tuæ te pudet, alio operimento opus habes,nempe iustitia Christi,quæ per verbũ & sacrificiũ distribuitur,hoc perfectè tegit. Demũ etiam in hoc errauit Adam,quòd tantùm vnã partem corporis obtegit, quasi non vbique immundus esset,cùm iam verè de ipso dici potuisset: A vertice capitis vsque ad plantam pedis non est in eo sanitas. Sic nos quoque, si externa & crassa peccata tegamus,& nihil de internis curemus,&c. *Psal.31.* *Matt.21.* *Isa.1.*

Cumq; audissent vocem domini, &c.

Quartus fructus peccati,conscientia,quę statim adest, mordet,cruciat: vt etiam si nemo sit qui foris arguat,ipsa tamen conscientia accusat. Quid aũt est huiusmodi consciẽtiæ remorsus,nisi vox domini quam statim audimus? Magna autẽ gratia est quòd hunc conscientiæ stimulum

Deus

Deus cordibus nostris indidit, alioqui in plura peccata incideremus. Deinde & hic peccati fructus est, quod statim sequitur pœna, etsi non semper sentiatur: Si malè, inquit, egeris statim in foribus erit. Sic diabolo peccanti statim affuit dominus iudex: Videbã, inquit, sathanam sicut fulgur de cælo cadenté. Quanquam hoc loco Deus magis vt medicus, quàm vt iudex aduenit, id quod singularis gratiæ est erga homines. Quòd autē medicinam afferre venerit ex eo patet, quòd nō festinat ad puniendū, maximè autē quòd in fine paratam ostendit medicinam.

Gene. 4.

Luca. 10

Sed quid sibi vult, quòd cū hactenus nihil dixerit de Deo nū stet vel sedeat, hic dicit Deum deambulasse? &c. Exilia quidem secundum maiestatem Dei videntur hæc, quòd tanquam homo post curas vel laborē pransus dormiat, & sopori vel quieti suas deputatas habeat horas meridianas, ac deinde post somnum deābulando graue corpusculum recreat ac dulci releuat aura. Nihil tale de Deo cogitandum est, neque enim ambulat de loco ad locum qui vbique est, nec dormit qui custodit Israel. Alio tamen modo dormire dicitur Deus, cùm scilicet dissimulat se videre, & adiuuare tardat: vnde in psalmo: Exurge quare obdormis domine, &c. Sic hoc loco homini dormiuit Deus, alioqui quomodo tantum malum accidisset? Quòd autem Deus dissimulauit, nec hominem in tentatione adiuuit, non Dei sed hominis culpa fuit, qui ipsum orando non excitauit. Quia igitur Deum in tentatione positus homo non excitauit orando, idcirco ipse nunc venit vel pœna hominem excitaturus: sic etiam nunc nobiscum agit Deus. Satius igitur esset vt nos eum orationibus excitaremus, ne ipse cogeretur flagellis nos excitare. Quod autem additur, ad aurã post meridiem, vel locum significat, vnde vox illa prodire visa est, scilicet ventum inter meridiē & occidētem, vel tēpus significat quo facta est hæc vox: vel ad aurā, vt intelligamus præcessisse ventū ante hanc vocem, sicut in missione spiritus sancti.

Psal. 140

120.

Psal. 43.

Congruè autē nunc homini non stat Deus, sed ambulat, quia homo prius à Deo declinauit: Cum peruerso enim, inquit, peruerteris. & si derelinquimus eum, derelinquit nos. Interim tamen etiam ambulando nos arguit, quam-

quamdiu non reuertimur. Post meridiem autem ad vesperam apparet, quia serò cognoscitur culpa. Aliqui hoc referunt ad Christum, qui ad vesperam mundi primum apparuit: vnde & signanter dicitur, non dominũ ipsum, sed vocem eius auditam esse, vox autem & verbum Dei Christus. *Ioan. 1.*

Abscondit se Adam & vxor eius, &c.

Quintus fructus peccati timor à facie Dei, ad vnam vocem domini contremiscit, cum nondum sciret quid dominus agere vellet: verùm propria conscientia eum arguebat. Quantus igitur erit timor, vbi manifestè ad iudicium vocabit? Item qui prius probè tectus sibi videbatur, nunc veniẽte domino latibula quærit: iudicãte enim domino omnia cadunt. Per hoc autem quod se abscondit, pulchrè indicatur quanta formidine & angustia tunc fuerit, vt nusquam securus fuerit à facie domini: hinc igitur discamus quàm graue sit peccatum, &c. Cæterùm, quod se abscondit, signum est quòd & de Deo malè sensit, quasi non omnia videat, & sibi ipse malè consuluit: nõ enim à Deo fugiendum est, sed ad Deum. Iam quod Adam fecit omnes facimus: optaremus vt Deus nesciret peccata nostra, quod tamen est impossibile. interim autẽ non oramus aut petimus veniam, cùm hoc esset præsentissimum remedium.

Et vocauit Dominus Deus Adam, &c.

Cum timore & tremore locus hic legendus esset, hic enim primo sistitur homo iudicio Dei, & Deus qui hactenus nihil aliud quàm patrem se ostendit, nunc iudex esse incipit: & hic enim peccati quidam fructus est. Quia igitur Adam quantumuis se absconderat, ad lucem prodire cogitur, confirmat id quod Christus dicit: Nihil opertum quod non reueletur, &c. Item illud propheticum: Non erit eis fuga, & qui fugerit ex eis non saluabitur: Si descenderit vsque in infernum, inde manus mea educet eos, & cæt. Itemque, Scrutabor Hierusalem in lucernis, & cæt. Et illud Pauli: Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. Obseruandum tamen, quòd Deus hoc loco etiam in media ira misericordiam ostendit, quæ sicut & in aliis longe superexaltat iudicio, ita pro

Matt. 10 *Amos. 9.* *Soph. 1.* *2. Cor. 5.*

ita pro hoc tempore. Primò enim misericordiç est, quod non statim procedit ad pœnam, nec statim fert sententiã sicut diabolo fecerat, sed differt & locũ pœnitentiç dat, si fortè culpam agnoscere velit homo. Verè magna misericordia est, quod Deus non festinat cum pœna, sed expectat, nimirum patiẽs & longanimis, id quod & nos experimur. Deinde misericordiæ est, quòd proditorẽ suum nondum supplicẽ, sed peruicaciter adhuc fugientẽ prior vocat ad pœnitentiam. Præterea misericordiæ est, quod respondendi locum homini concedit, si forte confiteretur peccatũ, & veniam peteret, cùm diabolo nullam respondendi potestatem permiserit. Denique & illud non vulgaris misericordiæ est, quòd primo non asperis verbis, sed admodum lenibus hominẽ aggreditur, vt vel sic homini nimio terrore correpto fiduciam loquendi, & orandi daret: omnia hæc indicant verissimè dictũ esse, No

Ezech. 18 lo mortẽ peccatoris, &c. Qualis autẽ fuit Deus erga primos homines, talem se etiam nunc nobis exhibet. Discãt ex hoc loco iudices, ne veloces sint ad condemnandũ, ne quenquam inauditum & non citatum damnent, ne miseros duris verbis terreant, quo minus pro se loqui audeant: vt deniq; proniores sint ad misericordiam, quàm ad iustitiam: quòd si omnino iudicandũ est, vt cum compassione iudicium exequantur.

Adam vbi es, &c.

Quamuis à muliere peccatũ inceperit, primo tamen virum interrogat, ipsi enim mandatum dederat: quo enim maiorem scientiam & cognitionẽ diuinæ volũtatis quis acceperit, eo districtiorẽ reddet rationẽ, iuxta illud: Ser-

Luc. 12. uus sciens voluntatem domini & non faciens, vapulabit multum. Deinde hoc verbo sic hominẽ alloquitur Deus, quasi eum amplius non agnoscat. Vbi es, inquit, quasi dicat, in alio locò aliterq; te ornatũ reliquerã, aliter nunc te inuenio. Durissima planè res, vbi Deus se quodammodo alienum ostendit, hoc enim nihil aliud est quàm ipsissimus infernus. Rectè autem homini dicitur, vbi es? quia videlicet mouit pedem suum & in loco suo non est: locus enim hominis Deus est, extra quẽ nusquam benè est. Quia igitur homo nolebat vltro agnoscere vbinã esset,

id est,

id est, in quantum malum decidisset, hac saltem percunctatione Deus ipsum excitare voluit, vt consideraret vbi esset. Est enim sensus quasi dicat, cogita vbi fueris & vbi iam sis, vnde tibi hic tātus timor qui pri⁹ securè agebas? vbi pristina tua securitas, innocentia, gratia?&c. Hoc inquam benignitas quærentis intendebat, vt is qui quærebatur, seipsū inueniret, & sciret quid perdidisset, quid cōmeruisset. Aliter siquidem nos Deus admonet peccatorum, aliter diabolus: Deus admonet vt pœnitentia deleamus peccata, Sic per Nathan Dauidem ad pœnitentiā 2.Reg.12.
excitauit: sic ad Isaiam dicit: Clama ne cesses, annuncia Isaiæ.58.
populo mea peccata ipsorum. Diabolus autem peccatorū nos admonet vt irrideat, & eos quos antea seducendo in peccatū iniecerat, omnino perdat per desperationem.

Vocem tuam audiui & timui, &c.

Non dicit, ecce assum domine creatura tua, &c. mala enim hominis conscientia nihil boni amplius à Deo sperare audebat. Hinc est quòd non veniam petit: qui enim Deum fingit sibi iratū, non audet veniam petere. Deinde tardus est ad agnoscendum peccatū, & quiduis poti⁹ loquitur, quàm vt se reum esse dicat. Est autem sensus: Iam præter morem solitum te duriorem inuenio, & longè aliam vocem audio quàm hactenus, hinc factum est quòd præ timore me sic abscondo: non est amplius mihi talis fiducia, vt sic comparere possim coram te: audiui iram tuam quam ferre non possum, &c. Sic nimirum peccator in conscientia sua confusus, non audet oculos ad cælum leuare. Cæterùm Adam causam tanti ti- Lucæ.18
moris & confusionis non adscribit peccato suo, sed nuditati corporis, quasi Deo displiceret nuditas, cùm melius illi placuisset, si homo sic permansisset vt creatus erat. Sic & nos adhuc externam nuditatem erubescimus, non autem internam: de externis malis querimur, nec cogitamus quòd è peccato sint.

Quis indicauit tibi quòd nudus esses, &c.

Quia suæ nuditatis causam homo confiteri noluit, idcirco Deum loqui, & eandem in homine causam arguere
oportuit. Hæc est enim regula diuinæ æquitatis, vt ho- Prou.18.
mo si iustificari velit, id est, si seipsum accuset (iustus enim

 in prin

in principio accusator est sui) tunc mitius & mansuetius cum illo agat misericordia Dei. Si autem homine tardante priorem Deum loqui oporteat, & narrare quid homo fecerit, tunc districtius arguat & corripiat, non in mansuetudine & misericordia, sed in furore & ira. Sic contigit primis parentibus, sic & impiis Deus comminatur: Arguam te & statuam contra faciem tuam. Et in Ieremia: Ecce iudicio contendam tecum, quia dicis munda sum, &c. Quartò, securius igitur esset, vt nos ipsi faciem domini & iudicium eius præueniremus confessione peccatorum nostrorum: nihil enim horribilius accidere poterit, quàm vbi dominus inceperit in furore arguere & peccata ob oculos nobis ponere: illic enim nullum patebit effugium. vnde Dauid precatur: Domine ne in furore tuo arguas me, &c.

Psal. 49. *Iere. 2.* *Psal. 6.*

Mulier quam dedisti mihi sociam, &c.

Vide quàm inuitus peccatũ confitetur: palam iam illi Deus obiecerat peccatũ, vt ad confessioné illum adduceret, necdũ tamen confiteri vult: Superbia enim nunquam dicit, peccaui. habet quidé deformitaté confusionis, sed non habet confessionis humilitatem. Multipliciter autẽ Adã hoc verbo peccat: Primò, quòd tam irreuerenter & superbè cũ Deo loquitur, Mulier, inquit, quã dedisti mihi, &c. Deinde quòd seipsum excusare nititur, cùm nulla sit excusatio homini obtẽperare, cùm scias Deũ aliter pręcepisse. Sic impiorũ dominorũ serui excusatos se putãt, si à dominis iussi fuerint malũ aliquid facere, sed errant.

Peccauit etiã Adam in hoc, quod culpam omné in mulieré cóiicere voluit sine omni misericordia, & qui prius nimium misericors fuerat, consentiendo mulieri ne eam offenderet, hic nimiũ crudelis est. Veræ charitatis fuisset, vxoré excusare vt infirmioré & minus instructam: verùm contrariũ facit, impietas enim leue ducit aliorũ suppliciũ, dummodo ipsa impunis euadat. Omnium maximè auté peccauit Adam, quòd peccatũ suum in Deũ quodã modo retorquere nititur, quasi dicat: Quare non dedisti aliam mulieré quę honestiora suasisset? tu autor illius peccati es, quare tu dedisti illam? O blasphemia, quæ tamen hodie proch dolor frequens est. sunt enim pleriq; qui audent

dēt dicere, Quare domin⁹ mihi dedit corpus tā infirmū, tamq; propensum ad peccandū? neq; interim illi perpendunt Deū etiā promisisse gratiā. Non est igitur vt culpā in Deum reiicias, cuius est omnis honor & gloria.

Serpens decepit me, &c.

Etiam mulierē interrogauit, si fortè vel ipsa confiteretur: verùm pari fastu nec ipsa peccatum confitetur, sed in serpentem reiicit. Sic enim solemus peccata nostra aut in Deū, aut in diabolum reiicere: verùm suo ipsius verbo mulier seipsam damnat. Non enim dicere potuit serpentem ipsi vim fecisse aut coegisse, id quod videretur excusabile: sed tantùm dicit, serpens decepit me. Ergo non coacta, sed voluntariè peccasti ex mera curiositate & superbia. Sic ergo dum reatū suum defendere moliuntur, addiderunt vt culpa eorū atrocior fieret discussa, quàm fuerat perpetrata. sic qui à domino se abscōdere vult, nō se domino, sed dominū sibi abscōdit: agit quippe ne oīa videntē videat, non autē ne ipse videatur. Ecōtra autem cuiq; peccatorū exordium illuminationis est humilitas confessionis, quia sibimet iam parcere renuit, qui malum non erubescit confiteri quod fecit: & qui defendendo excusare potuit, accusando se celerrimè defendit: vnde mortuo Lazaro, qui magna mole premebatur, nequaquam dicitur reuiuisce, sed veni foras: vt scilicet ab excusatione & occultatione peccati ad accusationem sui ore proprio exire prouocetur. Adam igitur etiam peccatum suum defendendo in summo gradu peccati erat: quarto nanque peccati incremento fit, vt nullus veniæ locus sit, scilicet cum cogitationi opus, operi consuetudo, & consuetudini additur defensio. vnde in propheta dicitur: Super tribus sceleribus Damasci, & super quatuor non conuertam eum, &c. quo verbo significat, peccatori tertiò peccāti se posse dare veniam, non autē quartò peccāti. Hæc peccati quatuor incremēta beatus Iob mysticè deplorās in istis primis hominibus adimpleta dicit in persona generis humani: Quare non in vulua mortuus sum? egressus ex vtero nō statim perii? cur exceptus genibus? cur lactatus vberibus? Sic enim peccatū hominis, primò latuit in cogitatione, deinde prodiit in opere, demum

Ioan. 11.

Amos. 1.

lactatum & fotum eſt defenſione.

Et ait dominus Deus ad ſerpentem, &c.

Hic incipit ferre ſententiam damnationis in præuaricatores, tam hominem quàm ſerpentem. Et quanquam hæc admodum dura & crudelia eſſe videantur, reuera tamen ſunt miſericordiæ Dei plena. Primò autem condemnat ſerpentem, quamuis hominem prius ad iudicium citauerit: imò hominem primò ſic perterrefecerat, vt videretur omnem iram in hominem effuſurus, ſerpente interim ſecuro. Nunc autem contrarium videtur, eum enim qui videbatur impunè euaſurus, omnium maximè damnat: eum autem quem primo ferme exanimauerat, mitius tractat. Sic Deus etiam nobiſcum agit, eos quibus nunc videtur durus, finaliter mitius tractabit. Hinc Petrus: Iu-
1. Pet. 4 dicium incipit quidem à domo Dei, ſed in impiis deſi-
Pſa. 74. nit. Et Dauid: Calix in manu Dei plenus mero, hunc bibunt iuſti primo, fecem autem eius bibent omnes peccatores terræ.

Obſeruandum autem, quòd in his tribus ſententiis, ſuper ſerpentem ſcilicet, mulierem, & ſuper virum, cuilibet eorum pœnam iniungit iuxta demeritum culpæ. Diabolus ex ſuperbia peccauerat, ei imponit omnimodam humiliationem & contritionem: mulier ex voluptate peccauerat, ei imponit dolores: vir ex ignauia, ideo ei laborem imponit.

Quia feciſti hoc, &c.

Hic longè aliter loquitur, quàm ſuprà: hominē ſi quidem primo citauit, locum & tempus reſpondendi dedit, imò & pœnitentiæ. Hic autem nihil horum facit ſerpenti vel potius diabolo: primò enim non citat ipſum, quia iam iudicatus & damnatus erat. Nec tempus ei dat pœnitentiæ, qui ſciebat eum non poſſe peccatum ſuum confiteri præ ſuperbia & odio. Nec excuſationis locum ei permittit, quia mendax eſt ab initio diabolus, Nec ſaltem loqui ei permiſit, ſed confeſtim ſententiam damnationis in eum protulit: longè enim aliud & maius fuit peccatum diaboli, quàm hominis: homo enim ſeductus fuit, diabolus autē per malitiam & inuidiā peccauit, ad obſcurandam diuinam gloriam: quod genus peccati grauius

grauius est, quàm vt veniam mereatur. Expediebat enim homini, & addebat nonnihil consolationis, videre inimicum suũ grauiter à Deo tractari & puniri. solemus enim nonnunquam consolationẽ accipere, quando videmus eos qui nos afflixerunt ante oculos nostros puniri. Emphasim aũt habet quod dicit, Quia fecisti hoc, id est, tantã rem, illam creaturã meam propter quã omnia creaueram, abduxisti. Non enim apertè peccatũ serpentis manifestat, vtpotè rem perquam inuisam & abominabilem.

Maledictus tu inter omnia animantia, &c.

Hæc potissimũ dicuntur in diabolum, quáuis non inconcinnè etiam ad serpentem terrestrem referri possint. Etsi enim serpens non peccauit, vtpote animal irrationale, nihilominus tamen in horrorem peccati maledicitur. *Leuit.* 20
Sic & in alio loco in horrorem peccati iubetur etiam animal occidi, cum quo quis coierit, quamuis animal peccare non potuerit. Ob eandem causam iubentur & homines & pecora occidi in ciuitate, quæ se à cultu Dei auertit. *Deut.* 13.
Consimile præceptum etiam Saul accepit contra *1. Reg.* 15
Amalechitas. Deinde maledicitur serpens in terrorem nostri, ne quis fiat instrumentum diaboli quemadmodum serpens. Præterea, quòd etiam serpens maledicitur, signum est ineffabilis misericordiæ & charitatis: nam sicut clementissimus pater, puniens eum qui filium suum occidit, etiam gladium quo filius suus occisus est destruit: sic Deus hic facit. quippe serpens quasi gladius quidam diabolicæ seruiuit malitiæ, vnde & ipsi non immeritò irascitur Deus. Demum etiam ideò serpentem puniuit, vt per visibilem pœnam serpentis intelligamus in quanta ignominia sit diabolus, & quanta ei pœna parata sit: Ignis æternus (inquit Christus) paratus est diabolo & *Matt.* 25.
angelis eius. Maledictus igitur dicitur serpens, quia hoc genus animantis supra omnia alia odibile factum est. Quod autem subditur: Super pectus tuum gradieris. volunt quidam, serpentem prius erectum incedisse, id quod non videtur verisimile. Nam & in prima creatione legimus creata esse reptilia: ad diabolum igitur ea *Gen.* 1.
verba referenda sunt.

Cæterùm quod sequitur, Inimicitias ponam inter te &

mulierem,&c. optimè etiam in ſerpentem competit:naturaliter enim homo horret ſerpentē, & contritum cupit: naturaliter etiam ſerpens horret hominē, nullaque amicitia inter hominem & ſerpentem eſſe poteſt, ſicut tamē videmus inter cætera animantia. Deinde etſi mulier non ſemper actu, tamen ſemper poteſtate quadam conterit caput ſerpentis.nam ſi nuda mulieris planta dentem ſerpentis præuenerit, & viuaciſsimum caput eius vel leuiter preſſerit, ſtatim totum cum capite corpus interit, ita vt nullus omnino motus, nullus ſenſus in aliqua parte reſiduus ſit, quod nec malleis aut fuſtibus aut gladiis concidentibus,cito & leuiter fieri poteſt. Econtrà ille, quamuis exiguus ſit,ſi vel extremæ plantulæ dentem infixerit,occidit:morſu nanque infuſa peſtis, per venas vegetatione corporis aucta diſcurrit, animamque eximit. Hactenus de ſerpente textum expoſuimus, nunc videamus quomodo in diabolum competat,quempotiſsimum hæc ſententia tangit.

Maledictus tu,&c.

Mirabili myſterio ſerpenti hic maledicitur,cùm homini non maledicatur:ad hominem enim non dicitur, Maledictus tu,ſed maledicta terra in opere tuo. vnde ſtatim patet,homini ſpem recuperandæ ſalutis relictam eſſe, non diabolo. Et ſicut hic Diabolus maledicitur,ſic infra impius Cain maledicitur: eadem enim eſt ſententia diaboli & membrorū eius. Sicut igitur ſupra potentiam ſathanæ vidimus, ſic hic econtra eius imbecillitatem videmus. Præterea hoc quoque ſpectandum eſt, quia male dicitur ſathan,non poteſt viciſsim non maledicere:ergo voluntas eius eſt omnia velle perdita & peſſum ire quæ Dei ſunt,non tamen præualet,vt patebit.

Super pectus tuum gradieris,&c.

Super pectus ambulare,eſt omninò humiliari & deprimi:vel ſupra pectus ambulare, eſt pauere: vel ſupra pectus ambulare,eſt ſeipſum premere,ſuis conſiliis in ſe recidentibus. Omnia hæc in diabolum cōpetunt. Eſt igitur ſenſus:Super pectus ambulabis,id eſt, omninò humiliaberis,vel ſemper pauebis. Denique & omnia tua conſilia in diuerſum,atque adeò in teipſum recident. Sic

modò

modò inuidendo homini, priuasti eum felicitate, sed per hoc gratiæ Dei locũ aperuisti. Mysticè autẽ super pectus suum graditur diabolus, quia omnes gressus eius nequitiæ sunt & fraudes: in pectore enim calliditas & versutiæ cogitationum significantur.

Et terram comedes omnibus diebus, &c.

Terram, inquit, comedes & non cælum, id est, nõ quorum conuersatio in cælis est, sed qui terrena sapiunt, hi cibus tuus erunt. Eadem sententia etiam in membra diaboli, id est, impios homines competit: perpetuo enim terrenis hærent, pectore suo pauent, horrent, desperant, terrena sapiunt & quærunt, nunquam ad spiritualia pertingunt aut se erigunt: id quod magna pœna est, priuari cælestibus & tantum terram vorare, quamuis non sentiatur esse pœna. olim tamen sentietur cum impii dicent: Quid profuit nobis iactantia? &c. Qui vero Christi sunt, in cælum intendunt erecti, quæ sursum sunt sapiunt & quærunt, auersantur terram. *Sapien. 5*

Inimicitias ponam inter te & mulierem, &c.

Homo iam tibi consensit, veniet tempus cùm tibi summis viribus repugnabit: victus iam à te est homo, veniet tempus cùm sub pedibus eius cades. Signanter autem dicit, inimicitias, non fraudes. Hoc enim à fraudibus inimicitiæ differunt, quod frades pactum sermonis vel cuiuslibet rei prætendunt superficiem: inimicitiæ vero manifestam habent contrarietatem. Constat autem quòd subdolus diabolus in serpente mulieri non tanquam armatus aduersarius occurrit, sed tanquam fidus consiliarius lateri eius in via se coniunxit. Cùm igitur dicit Deus: Inimicitiam ponam, &c. profecto magnum gratiæ suæ opus promittit. quod victorem diabolum qui vicerat fraude, victa nunc mulier vincere quandoque debeat fortitudine.

Obseruandum quod hæ inimicitiæ non tantum dicuntur futuræ inter serpentem & hominem, sed etiam inter vtriusque semen. Sic enim videmus, quòd inter pios & impios nulla pax est, quemadmodum & olim inter ciues Hierusalem & Babylonis. Impii enim

ſemper perſequuntur pios,pii autem eorum cōſortia vitant, ne peccatorum eorum participes fiant. Monemur hoc verbo, vt nunquam conſentiamus diabolo,ſed perpetuam inimicitiam ad ipſum habeamus, cum audiamus eum eſſe inimicum noſtrum.

Ipſa conteret caput tuum,&c.

Per caput ſerpentis,potentiam, poteſtatem,& omnem vim intelligimus diaboli. Hoc igitur verbo nihil aliud vult,quàm diabolum aliquando à muliere & ſemine eius, id eſt, humano genere conculcandum , atque adeò hoc verbo homini promittit auxilium contra hoſtem ſuum.
Pſal. 90 Dat enim Deus filiis ſuis vt poſsint draconem & baſiliſcum conculcare, id quod & Chriſtus ſuis diſcipulis
Luc. 10. promittit: Ecce, inquit, dedi vobis poteſtatem calcandi ſuper ſerpentes & ſcorpiones, & ſuper omnem vim
Marci.16 inimici. Et iterum: Qui crediderunt,in nomine meo dæmonia eiicient,&c. Ingens igitur conſolatio nobis hoc verbo datur,quid enim magis conſolatur, quàm cognoſcere Deum bene nobis velle,& dare virtutem vt hoſtem vincamus.

Tu inſidiaberis calcaneo eius,&c.

Ne quis putet diabolum ita ſupprimendum,vt omnino tentare non poſsit,hoc additur quaſi dicat,Non ceſſabit etiam victus te impetere,non putes eum mortuum, ſed non præualebit piis. In impiis totus adhuc viuit etiam cum capite, in piis autem caput eius contritum eſt, ſed tantum cauda viuit: nec eos vi & potentia deiicere poteſt, ſed tantùm inſidiis agit quod poteſt. Nec capiti hominis nocere poteſt, animæ ſcilicet aut fidei, ſed tan-
Iob.1. tùm calcaneo, hoc eſt,corpori & bonis externis: imò ne his quidem nocere poteſt, niſi à Deo permittatur. Vel ideo dicitur inſidiari calcaneo hominis, quia in fine vitæ,tempore mortis maximè inſidiatur. Summa: inſidiæ quidem erunt diaboli, victoria autem noſtra. Hanc autem victoriam contra diabolum Chriſtus nobis contulit, vnde Paulus: Deo, inquit, gratia, qui dedit nobis
1.Cor.15. victoriam per Ieſum Chriſtum dominum noſtrum.

Idcirco textus hic principaliter refertur nō ad primā illam mulierem, ſed ad virginem glorioſam,& Chriſtum

eius

eius filium, vt sit sensus: Per hanc mulierem decepisti, & virus in totum genus humanum transfudisti, per aliam quandam mulierem eiusq; semen iterum vinceris & corrues. Quod autem Christus dicitur semen mulieris, ideo fit vt ostendatur naturalis filius mulieris. hoc enim in scriptura dicitur semen mulieris. Quod autem non dicitur semen viri, clarè innuitur, Christum è virgine nasciturum fuisse. Inter hunc Christum & diabolum fuerunt perpetuæ inimicitiæ. Hinc Christus prælium cum ipso initurus dicebat: Venit princeps huius mundi, & in me nō habet quicquam. Iterum: Nunc iudiciū est mūdi: *Ioan. 14.* nunc eiicietur princeps eius. Christus autem caput eius *Ioan. 12.* contriuit, hoc est, regnum peccati & mortis. Econtra Diabolus insidiatus est humanitati Christi, quę quasi calcaneū eius erat. Caput enim, id est, diuinitatē, tangere nō potuit: imò nec animam eius tangere potuit. Impugnat etiā nunc calcaneū Christi, hoc est, fideles, qui Christi mēbra sunt, sed non præualebit, quandoquidē caput eius contritū est. Hoc igitur primum fuit Euangelium de saluatore futuro, per quod Adam animum recepit, alioqui desperaturus. In hanc venturi saluatoris promissionem credens saluatus est ipse, & quotquot electi erant. Vbi vides, eandem fuisse fidem antiquorum & nostram, vides Christū iam tunc etiā fuisse prædicatum, licet obscurius quàm nunc, vides non per alium, quàm per Christū, promissam esse salutē. Vide autē Dei bonitatē: antequam hominem puniat, iam medicū futurum promittit. Promisit autem, non propter merita Adæ, quæ nulla erant, sed ex mera misericordia, cùm iure potuisset hominem damnare. Discamus & nos hoc exemplo Dei, etiam ingratis charitatē ac misericordiam ostendere, &c. Summa, in hac prima promissione pulchrè indicatur Christi aduentus, natiuitas, passio, resurrectio, regnum, &c.

Mulieri quoque dixit, &c.

Post examinationē hominis, Deus se ad serpentē conuerterat, quasi omnē iram suam in eū effusurus: Imò quod maius est, iam maledictus erat diabolus, iam promissum erat Euangeliū de Christo futuro, atque adeo iam homo cōsolationē acceperat de remissione peccatorū: nihilominus

minus tamen hic pœnam homini etiam imponit, vt vel hinc videamus, non semper cum culpa remitti pœnam, id quod etiam in Dauide videmus, qui tametsi audisset à
2.Reg.12. Propheta: Dominus transtulit peccatum tuum: nihilominus tamen postea punitus est, &c. Ideo autem non semper remittit omnem pœnam cum culpa, ne leue putemus esse peccatum. Quanquam autem quæ hic homini à Deo imponũtur admodum dura videantur: Multipliciter tamen in hoc Dei iudicio eius misericordia relucet, vt ve-
Abac. 3. rum appareat illud Prophetæ. Cùm iratus fueris, misericordiæ recordaberis. Primò enim misericordia est insignis, quòd animam consolatur spe futuri Christi, & tantùm corpus subiicit cruci. Deinde, quod æternam pœnam quam meruerat homo, mutat in tẽporalem, quæ enim hic vel mulieri vel viro infliguntur, tantum corporalia sunt, & temporalia. Non igitur est quod inde conqueramur: sed est vnde gratias agamus, quòd tam misericorditer hominem puniuit, cùm potuisset eum & anima & corpore æternaliter punire. Verè igitur dixit
Psal. 102 Dauid: Quomodo miseretur pater filiorum, misertus est Dominus timentibus se, &c. Præterea etiam in hoc apparet misericordia Dei, quòd tum primum aduersa homini imposuit, cùm vidisset eum rebus prosperis insolentiorem fieri. Omninò enim videmus hic Deum cum homine egisse, tanquam patrem cum dilecto filio, quem inuitus durè tractat, & non nisi cum viderit se beneficiis nihil proficere. Sic Deus primò obtulit homini bona: quia autem homo abusus est deliciis paradisi, & nihil ei profuit omnium rerum abundantia, alia nunc via eum erudire voluit Deus, nimirum per calamitates & aduersitates. Omnes autem pœnæ quæ hic primis parentibus inflictæ leguntur, etiam in nobis manent: quia etiam nobis vtiles sunt & necessariæ: nisi enim hoc nobis frœnum impositum esset, in nulla non vitia præcipitaremur.

Et quamuis hæ pœnæ & piis & impiis communes sint. Magna tamẽ est differentia: Impiis enim nihil aliud sunt, quàm maledictiones: piis autem sunt probationes & instrumenta virtutum.

Mul-

Multiplicabo ærumnas tuas, &c.

Primò mulierem punit, quia prima peccauerat. Pulchrè autem iuxta exigentiam & numerum peccatorum, etiam pœnas imponit, ne quid conqueri posſimus. Quadrupliciter peccauit mulier, quadruplicem etiam accepit pœnam. Primo peccauerat ſuperbia, concupiſcendo ſimilitudinẽ Dei. Eam ſuperbiã pulchrè reprimit Deus per impoſitionem ærumnarũ. Niſi enim hoc frœno etiã nũc retineretur ſexus muliebris, intolerabilis eſſet ſuperbia eius, quæ tamen etiam nunc vix tolerari poteſt.

Et conceptus tuos, &c.

Secundum peccatũ mulieris fuit, quod diabolo homicidæ potius credidit quàm Deo viuenti. Ob hoc peccatum meritò hanc pœnam habet, quod etiam eorũ mater eſt, qui nunquam ſpiritualiter viuunt. Hęc enim multiplicatio conceptuum, non benedictionis, ſed damnationis eſt, non gratiæ, ſed iræ, non clementiæ, ſed vindictæ. Verè enim magna ira & vindicta eſt, concipi vel naſci tot homines, qui numerum excedant, qui ad Dominum vel vitam æternam non pertineãt, quibus proinde melius erat, ſi nati non fuiſſent. Nempe ſi incorrupta naturæ noſtræ terra permanſiſſet, ſolas bonas arbores, id eſt, ſolos bonos homines germinaſſet, & nullũ agreſtiũ lignorum, quæ ad hoc nata ſunt, vt exſcindantur, & in ignem mittantur, ſucci eius abundantia produxiſſet.

In dolore paries filios, &c.

Tertium mulieris peccatum fuit voluptas, quam in ligno vetito quæſiuit. Eam voluptatem punit per dolorẽ in partu, idq; cõgruẽtiſſimè, vt vel ſic ex doloribus perpetuis memoriã haberet, quantum fuiſſet peccatũ ſuum:

Et ſub viri poteſtate eris, &c.

Quartum mulieris peccatum, quòd etiam viro peccatum perſuaſit. In huius peccati pœnã congruè viro ſubiicitur, vt quæ dominari neſciebat, diſceret ſubeſſe. Hãc autẽ pœnam nouiſsimã caſtis & fidelibus mulieribus beneuolentia nullam aut leuiſsimam efficit. Et non ſolùm non obeſt, ſed etiam laudi eſt. Hinc petrus mulieres ad ſubiectionem ſpontaneam adhortatur. Sic & Sara obediebat Abrahæ, dominum eum vocans. *1. Pet. 3.*

Aliqui

Aliqui hic legunt:& ad virum tuum cõuersio tua, quod Chrysostomus sic interpretatur: Quamuis cruciatus sis habitura in partu, tamen post partum iterum conuerteris ad virum tuũ, & alios pueros paries. Alii autẽ sic interpretantur: Eris sub viro tuo, illi honorem dabis, illi adhærebis, non eris propriæ voluntatis, ab illo pendebis, nihil sine ipso incipere poteris, quocunq; se conuerteт, sequeris, &c. Aliqui hunc locum exponunt allegoricè de Ecclesia, quæ & multos concipit quotidie, & in dolore parit, & Christo omnibus modis subiecta est. Alii per mulierem intelligunt carnẽ, quę & multis ærumnis & miseriis plena est, & viro, id est, rationi subiici debet.

Adæ quoque dixit, &c.

Etiam hæc sententia in virũ lata id probat quod supra ostendi, nempe Deũ animæ propitiũ se ostendisse, & omnem pœnam ab anima in corpus transtulisse. Pulchrè autẽ mulieri dolores imponit, viro labores, vt ipsa molestetur filios pariendo, vir autẽ mulierẽ & filios nutriẽdo. Antequam autẽ virum puniat, primò improperat ei ignauiam & negligentiam suam, quòd vxori obedierit potius quàm Deo. Deinde ingratitudinẽ, quòd ab vno tantum ligno aut fructu abstinere nõ potuerit, vel noluerit.

Et quanquam Adam se excusasset, nihilominus tamen punitur, vt certò sciamus, nullam esse coram Deo excusationem, si propter quemcunq; hominẽ, siue sit parens, siue vxor, siue filius, siue princeps, &c. Dei mandatũ transf
Act. 4. grediamur. Obedire enim oportet Deo magis quàm hominibus.

Maledicta terra in opere tuo, &c.

Non dicit: maledictus tu, quemadmodum serpenti dixerat, vt vel hinc videamus, Deum mitius egisse cum homine, quàm cum Diabolo, ac tantùm corporaliter ac temporaliter punire voluisse. Iusto autem iudicio quod homini prius in innocentia adhuc posito ex gratia dederat, vltroneum scilicet terræ prouentum, nunc aufert. Quia enim ipse Deo seruire noluit, meritò etiam terra ipsi non seruit. Non simpliciter autem dicit: maledicta terra, sed addit: In opere tuo, id est, propter opus tuum, quod est peccatum. Maledicta enim est terra, non vt ipsa pœnas senti-

ſentiret, ſed vt peccati humani crimen ſemper hominibus ob oculos poneret: quo admonerentur aliquando auerti à peccatis,& ad Dei præcepta conuerti.

In labore comedes ex ea omnibus diebus, &c.

Non ſolum ex ſeipſa non proferet fructus terra, ſicut antea fecit, ſed inſuper laborioſa erit cultori ſuo. Congruè autem laborem impoſuit homini, qui ocio abuſus fuit. Hoc autem verbo generaliter omnibus hominibus præcipitur labor & opus, otium autem omnium malorũ ſentina prohibetur. Saturitas enim panis & otium omnia mala abundare faciunt. Non ſolũ autem de labore agricolarum hic locus intelligendus eſt, ſed quicquid agit homo quod honeſtum eſt, in ſcriptura dicitur laborare. Ezech. 16

Spinas & tribulos germinabit tibi, &c.

Alia pœna. Etiam ſi labores, & ſtrennuus ſis, tamen terra non dabit fructum ſuum, non ſemper reſpondebit labori tuo. Erunt interdum anni ſteriles. Hoc autem ideo permittit Deus, ne fructus terræ noſtro labori adſcribamus, ſed ſoli Deo. Ante peccatum hominis non ſcriptum eſt, quòd terra protulerit niſi herbam pabuli, & ligna fructuoſa. Poſt peccatum autem videmus multa horrida & infructuoſa naſci, propter cauſam ſupra dictam, nẽpe vt homini peccatum ſuum ſemper ante oculos poneretur. Nam & herbæ venenoſæ ad pœnam vel exercitationes hominum creatę ſunt. Per infructuoſas autem arbores videmus quàm erubeſcendum ſit, ſine fructu bonorũ operum eſſe in agro Dei, vt timeant ne illos deſerat Deus, ſicut & ipſi in agris ſuis infructuoſas arbores deſerũt, imò potius exſcindunt. Hanc maledictionem nedum in terra externa videmus, ſed etiam in ipſa carne noſtra, quæ fermè nihil aliud niſi ſpinas profert, &c.

Et comedes herbas terræ, &c.

Alia pœna: Non ſolum terra non dabit tam abundantem fructũ, ſicut prius, ſed nec tam bonum. Prius habuiſti fructus dulciſsimos paradiſi, nunc comedes herbas terræ maledictæ, iam mutabitur tibi paradiſus, & pro optimis fructibus nunc habebis fœnũ terræ, id eſt, vilem fructũ, & cibum. Vide quid fecit ignauia tua.

In ſudore vultus tui veſceris pane, &c.

Vide

Vide quid egeris. Deliciæ fuissent tibi, seruare paradisum, nunc laborabis vsque ad sudorem. Et qui cœlesti cibo frui poteras, qui verè viuificat, nunc tuo pane contẽtus eris, qui vitam tibi nequaquã perpetuabit: sed infirmitatẽ tuæ mortalitatis aliquãdiu sustentabit. Vnde subdit:

Donec reuertaris in terram de qua sumptus es: quia puluis es, & in puluerem reuerteris, &c.

Vltima percussio carnis, mors est. Saltem hæc plaga superbiam hominis damnare, & redigendas in lutum ceruices quandoque flectere debebat. Alias quidem supradictas quidem plagas plerique effugiunt, vt qui in labore hominis non sunt, & cum hominibus non flagellantur. Propter quod & tenet eos superbia. hac tamen vltima plaga tandem humiliabuntur. Hæc autem mortis sententia tam ad virum quàm ad mulierem pertinet.

Psal. 72.

Quanquam autem dura videatur sententia mortis in hominem, re vera tamen, non iratæ iustitiæ, sed miserantis est gratiæ, quod vitiatum hominem Deus mortalem esse voluit. Primo enim nisi mors esset, nunquam terminaretur peccatum: quãdiu enim hic sumus, à peccato infestamur. Deinde nunquam cessaret labor & dolor, semperq; & in æternum miseri essemus. Præterea si mortem non inflixisset, quomodo animæ mortem & futurum in fine seculi iudiciũ surdis auribus præteriremus, qui cras morituri, hodie superbimus, & cum iam multos quotidie carne quoque morientes videamus, tamen iocamur & ridemus, iamq; gaudiis æternis priuati, & mox temporalibus quoque priuandi, tamen læti sumus. Bene ergo bonus Deus, ne malam mòrtem animæ suæ nesciret homo, & securus vsq; ad vltimũ iudicium in suis voluptatibus dormiret, morte carnis illum percutit, vt vel saltem eius instantis metu aliqui euigilarent. Vide autem, quàm terribiliter hominem, qui existimauit iniquè quod esset, vel esse posset Deo similis, arguat & statuat eũ contra faciẽ suam dicendo, Quia puluis es & in puluerem reuerteris.

Pulchrè item hoc verbo nos cõditionis nostræ admonet, vt vel sic humiliemur, nec alios contẽnamus. Emphasim autẽ habet, quod saltem non dicit: terra es, sed puluis es. Quid enim leuius, & mobilius, abiectiusque puluere?

Vnde

Vnde & in Pſalmo dicuntur impij eſſe ſicut puluis quem proijcit ventus à facie terræ. Emphaſim etiā habet, quod dicit: In terram reuerteris vel ibis. Primus ſiquidē homo ſic conditus fuit, vt manente illo decederent tempora, nec cum temporibus ipſe tranſiret. Stabat enim tāto robuſtior, quanto ſemper ſtanti Deo arctius inhærebat. At vbi vetitum contigit, mox offenſo creatore, cœpit ire cum tempore: ſtatu enim immortalitatis amiſſo, curſus eum mortalitatis abſorbuit: & dum à iuuentute ad ſenium, ſenio traheretur ad mortem, tranſeundo didicit, quid ſtando fuit. Cuius nos quia de progenie naſcimur, radicis amaritudinem quaſi in virgulto retinemus. Fixū enim ſtatum hic habere non poſſumus, vbi tranſitoriè viuimus, atque hoc ipſum noſtrum viuere quotidiè à vita tranſire eſt. Pſal. 1.

Obſeruandum etiam hic, quòd quāuis certam hic homini mortem denunciet, eiuſdem tamen mortis diem & horam tacuit, vt dum neſcitur, quādo ſit, quæ ſine dubio futura eſt, ſemper ſollicitum reddat hominem, ſemperq́; ſuſpectum ſuperbire non ſinat. Ita ergo viuere voluit hominem, quaſi altera die iudicandum: & rationem de propriis factis redditurum.

Illorum igitur qui nec tantum paternæ diſciplinæ verberibus afflicti reſipiſcunt, damnatio iuſta eſt, quia culpa inexcuſabilis eſt. Quid enim vltra faciat Deus, vt eos à malis coerceat? In eos igitur concepit illud Iſaiæ: Super quo percutiam vos vltra addentes præuaricationem? Terra veſtra deſerta eſt, &c. Iſa. 1.

Et vocauit Adam nomen vxoris ſuæ Euam, &c.

Quòd Adam poſt peccatum mulieri nomen imponit, confirmat illud quod Deus dixerat: Sub viri poteſtate eris, &c. Nomina enim imponere ſymbolum eſt Dominij. Vnde & ſupra dictum eſt, quòd Adam quaſi dominus etiam animalibus nomina impoſuit. Poſt peccatum igitur, vir caput mulieris factus eſt, quæ ante peccatum conſors erat, & eiuſdem dignitatis. Cæterùm quòd Adam reus & conuictus, pendens adhuc ſub iudicis manu, & antequam ſententia tantæ calamitatis terminata eſſet, apud ſe cogitat, quo nomine vxorem ſuam appel-

appellet, reprehensibilem eius surditaté superbęq; mentis duritiam planè ostendit, ex eo vel maximè, quòd Euá eam nominat, id est, vitá & matrem omnium viuentium, quam iustius nominasset matré omnium morientiũ. Quádoquidem iam audierat Dominũ dicenté: puluis es, & in puluere ibis. Hanc surditatem & duritiam primi parentis imitantur omnes filij Adæ. Quantũcunq; enim audierint Dominũ comminantem, nihil tamé mouetur: sed interim alia curant, nec seriá rem agi putant, donec ipsam Dei irá ac flagella sentiant, &c. Potest tamen hoc Adæ factum, quod scilicet vxoré suam Euá nominauit, etiá in bonam accipi parté: quod scilicet in medio iræ Dei, memor fuerit promissionis sibi factæ de semine mulieris, conterendum caput serpentis, atq; vt ostenderet se eidé promissioni credere, vxoré suam Euá, id est, vitá nominarit: quasi dicat, quáuis nũc meritò ac iustè morti adiudicati simus, non dubito tamé, aliquando vitá rediturá per partũ mulieris, &c. Secundum hunc igitur sensum, hæc appellatio mulieris, indiciũ est, ipsum Adamũ magna fide promissionem de Christo apprehendisse, nec aliud solatiũ in miseriis suis habuisse: id quod & nos facere oportet, alioqui desperandum nobis est, &c. Summa, hæc appellatio mulieris testimonium est fidei Adá, & recordatio gratiæ Dei promissæ per semen mulieris, & breuiter, signũ fidei, credentis mortem nó esse morté, sed vitam per Christũ. Mater igitur viuentium dicitur Eua, propter Christũ ex semine eius oriundum. Deinde etiam ideo, quia nullus sine muliere, sed bene sine viro natus est, quamuis Ecclesia mater, iustius mater viuentium dicitur.

Fecit quoque Dominus Adæ & vxori eius tunicas, &c.

Hic iterum se prodit diuina bonitas. Supra homini etiam peccatori modũ ostenderat victus acquirendi. In sudore, inquit, vultus tui vesceris pane tuo. Nũc ad cumulum bonitatis etiá vestit eos: nimirum id nos docere volens, quod Christus in Euágelio docuit. Nolite solliciti
Matth. 6. esse, dicentes: quid manducabimus, aut quo operiemur? Scit enim pater vester, quòd his opus habetis. Si enim peccatoribus hæc non negauit, sed sua sponte, etiam non rogatus concesit, multo minus piis & credentibus ea ne-

ea negabit. Obſeruandum autem, quòd non ſericas ipſis aut purpureas, vel auro textas, aut etiam molliciem præ ſe ferentes veſtes dedit, ſed pelliceas, vt ſciamus, veſtium vſum nō ad voluptatem, ſed neceſsitatem datum eſſe, ad contegenda ſcilicet membra, & arcendum frigus. Veſtibus igitur abutuntur, qui aliud in ipſis quærunt. Deinde veſtes ipſis dedit ex pellibus animalium mortuorum, vt vel ſic homo agnoſceret, ſe propter peccatum amiſſa gloria ſua iam iumentis comparatum. Itemq́; vt per hoc admoneretur mortalitatis ſuæ. Sic vndique Deus hominem ad ſui cognitionem pellicere conatus eſt, licet apud nos nihil minus attendatur. Poteſt tamen verbum hoc etiam ſic exponi: Fecit Dominus eis tunicas, id eſt, neceſsitatem faciendi ipſis impoſuit, non tantum propter contegenda membra, ſed & propter arcendum frigus. Vel ſic: Fecit eis tunicas, id eſt, ingenium faciendi, & induſtriam dedit veſtimenta conficiendi. Inſigne etiam myſterium habet, quod Deus hominem veſtit. Idipſum enim ſupra Adam facere conatus eſt, ſed fruſtra. Nihil enim habebat, niſi folia: hic autem Deus eum veſtit, nec partem tantùm corporis tegit, ſed totum corpus, quo facto clarè oſtenditur, peccata noſtra nullis operibus & viribus noſtris poſſe tegi, niſi ſupernè è cælis tegantur. Solus Deus turpitudinem noſtram tegit. Vnde pſalmus: Beatus cui non imputauit Dominus peccatum, &c. Interim autem dum hic ſumus, pelliceis veſtibus & aſperis nos veſtit, id eſt, cruce. Tunica enim pellicea pœnitentiam & crucem nobis inſinuat. In futuro autem aliter nos veſtiet, nempe gloria & immortalitate. In hunc modum & Paulus loquitur, de veſtiendo & ſuperueſtiendo.

Pſal. 48. *Pſal. 31.* *2. Cor. 5.*

Ecce Adam quaſi vnus ex nobis factus eſt, &c.

Eodem modo loquendi hic vtitur Deus, quò & ſupra, cùm dixit: Faciamus hominem, &c. vt oſtendatur pluralitas perſonarum in diuinitate. *Gen. 1.*

Dupliciter autem poteſt hoc verbum intelligi. Primo, vt ſit Ironia, qua Adæ improperat ſtultitiam & temeritatem ſuam. Sic enim contemptoribus comminatur ſapientia diuina: Ego quoque in interitu veſtro ridebo, &c. *Prou. 1.*

bo,&c.Est igitur sensus verbi,quasi dicat:Vide quàm bene successit tibi sic præuaricari præceptum nostrum. Vide,quàm particeps sis diuinitatis. Agnoscis ne iam quid diabolus voluerit?Non potuisses longius à nobis recedere,quàm sic transgrediendo præceptum . Non solum enim non factus es qualis fieri volebas,sed & illud quod factus fueras,perdidisti.Vbi nunc sunt illæ formæ Dei,sapientia,vita,iustitia,&c.quas diabolus tibi promisit.

Hac autem superba ironia Deus nedum Adæ insultauit,sed etiam nos ne similiter præceptum Dei transgrediamur admonuit,ac deterrere voluit. Quomodocunq; autem Deus hoc verbum locutus sit,siue per Angelum,siue per seipsum,certum est quòd Adam hæc in conscientia senserit. Imò & nos quoque eadem sentimus. Semper enim hominem huiusmodi stultitiæ pœnitet, vt sæpissimè secum cogitet : O quàm miserabiles facti sumus, O vtinam nunquam Diaboli suggestionibus obtemperassemus,&c. Potest hoc verbum etiam assertiuè legi: vt sit promissio de consequenda diuina similitudine, quasi dicat Deus:Iam quidem ò homo, omnino dissimilis factus es nobis:Erit tamen , cùm sicut vnus ex nobis fias,non hac via qua volebat serpens : sed hac via quam ego nunc propono tibi,nempe via crucis,mortis, & pœ-

1.Ioan. 3 nitentiæ.In hac via si incesseris,ad gloriam & similitudinem Dei peruenies,de qua Ioannes ait:Cùm,inquit, apparuerit,similes erimus.

Hanc viam ad gloriam conscendendi Christus vbiq;

Matt.16. docet,vt cum dicit : Qui vult venire post me, abneget

Ioan. 12. semetipsum,&cæt. Item: Qui amat animam suam, per-

Matth.11 det eam,&c. Et iterum:Discite à me,quia mitis sum, & humilis.

Nunc ergo ne forte mittat manum,&c.

Hactenus sententiam iudicis in hominem audiuimus, hic nunc incipit sententiæ executio:cuius initium est eiectio hominis è paradiso. Ergo,inquit,quia Adã quasi vnus ex nobis factus est , imò quia similitudinis nostræ gratia priuatus est,quia comedit& mortuus est:iam nunc illum de hoc paradiso emitti opus est,& illi expedit:quia talis factus est,quem iam saturitas & otium nihil iuuet.

Addit

Addit autem causam eiectionis: Ne fortè mittat, & cæt. Nam si acciperet de ligno vitæ, poterat immortalitate potiri: hæc autem immortalitas post peccatum nihil profuisset homini, nisi vt æternaliter miser esset. Iam enim miser factus, si æternus quoque sit, quid nisi miseriam æternam haberet? Non igitur iræ, sed misericordiæ est, quòd Deus hominem à ligno vitæ post peccatum prohibuit. Nos multum horremus mortem, cùm sit finis malorum. Non esset optandum, vt perpetuò in hoc exilio viueremus. Vult igitur dicere Deus: hoc homini longè satius est, vt quàm remotissimè remoueatur ab hoc ligno.

Obseruandum autem, quòd non simpliciter dicit: Ne fortè comedat, sed: Ne fortè manum mittat, id est, cum consideratione quadam, & dedita opera comedat, quasi dicat: Non cessabit deinceps diabolus etiam huius ligni esum homini persuadere, vt sic perpetuò miser permaneat, quemadmodum diabolus ipse. Deinde etiam homo cogitabit, quomodo possit perpetuò viuere, non quàm miser sit. Et quamuis summa bona amiserit, nihilominus placebit sibi sua miseria. Non agnoscet se tam miserum, si permiserimus eum in paradiso. Eiiciendus igitur. Non est igitur quod conqueramur, breue nobis concedi tempus vitæ præsentis: sed est vnde gratias agamus. Quo enim citiùs morimur, eo citiùs miseriis liberamur, si tamen piè hic vixerimus, &c.

Emisit eum Dominus Deus de loco voluptatis, &c.

Nedum emisisse eum dicit, sed etiam eiecisse, quasi inuitum & reluctantem. Nec simpliciter dicit è paradiso, sed addidit, voluptatis, ad exaggerationem rei. Eodem pertinet, quod subdit: vt operaretur terram de qua sumptus est.

Et posuit ante paradisum Cherubin, &c.

Picturatus videtur esse sermo, significans idem quod firmissimè muniuit paradisum contra homines, id est, facultatem & spem omnem ademit fœliciter & perpetuò viuendi, & mortem euadendi in hoc seculo. Non secus ac si angelus gladio versatili custodiret, & inaccessam faceret viam vitæ, donec veniret Christus, qui factus

est nobis via vitæ, per quem saluabuntur electi, & cum latrone inducentur in paradisum cælestem. Certum est enim, hæc ideo scripta esse, vt sciamus ad vitam nullis humanis viribus redire posse, iuxta illud: Nemo ascendit in cælum, nisi qui descendit, &c. Atque hic obserua miram contractionem, antea dictum est, futurum vt semen Euæ conterat caput serpentis: hic autem negat ad vitam hominibus esse reditum. Ergo necesse est è cælo venire, qui viam faceret ad vitam. Huc pertinet, quod gladius dicitur esse nedum flammeus, sed versatilis: ab omni scilicet parte percutiens & prohibens. Allegoricè autem per Cherubin, qui interpretatur plenitudo scientiæ, & per flammam nobis redeundum est ad paradisum, id est, per fidem, quæ plena scientia est in hac vita, & per ignem tribulationis redeundum nobis est ad patriam. Iuxta illud: Transiuimus per ignem & aquam, & posuisti nos in refrigerium. Vel aliter: Angelus armatus gladio, legem significat, quæ instrumentum est mortis, & omnes nos damnat, & damnatione dignos iudicat, atque adeò à vita excludit. Versatilis tamen esse dicitur gladius ille, vt ostenderetur aliquando remouendum, per Christum scilicet. Aliqui per ignem hunc purgatorium intelligũt, per quem transire oportet, qui hic igne tribulationis nõ excoquuntur, &c.

Ioh. 3.

Caput quartum.

ADAM verò cognouit vxorem suam Heuam: quæ concepit, & peperit Cain, dicens: Poßedi hominem per Deum. Rursumque peperit fratrem eius Abel. Fuit autem Abel pastor ouium, & Cain agricola. Factũ est aũt post multos dies, vt offerret Cain de fructib⁹ terræ munera domino. Abel quoque obtulit de primogenitis gregis sui, & de adipibus eorũ: & respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Ad Cain autem, & ad munera illius non respexit: iratusq; est Cain vehemẽter, & cõcidit vultus eius. Dixitque Dominus ad eum: Quare iratus es? & cur concidit facies tua? Nonne si bene egeris, recipies: sin autem malè, statim in foribus peccatum tuum aderit? sed sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis illius. Dixitq; Cain ad Abel fratrẽ suũ: Egrediamur foras. Cumq; essent in agro, cõsurrexit Cain aduersus

uersus fratrē suū Abel, & interfecit eū. Et ait Dominus ad Cain: Vbi est Abel frater tuus? Qui respondit: Nescio: nunquid custos fratris mei sum ego? Dixitq; ad eum: Quid fecisti? vox sanguinis fratris tui clamat ad me de terra. Nunc igitur maledictus eris super terram: quæ aperuit os suum, & suscepit sanguinē fratris tui de manu tua. Cùm operatus fueris eam, non dabit tibi fructus suos: vagus & profugus eris super terram. Dixitq; Cain ad Dominum: Maior est iniquitas mea, quā vt veniā merear. Ecce eiicis me hodie à facie terræ, & à facie tua abscondar, & ero vagus & profugus in terra: omnis igitur qui inueneril me, occidet me. Dixitq; ei Dominus: Nequaquam ita fiet: sed omnis qui occiderit Cain, septuplum punietur. Posuitq; Dominus in Cain signum, vt non interficeret eum omnis qui inuenisset eum. Egressusq; Cain à facie Domini, habitauit profugus in terra ad orientalē plagā Edē. Cognouit autem Cain vxorem suam, quæ concepit, & peperit Henoch: & ædificauit ciuitatem, vocauitq; nomen eius ex nomine filij sui, Henoch. Porrò Henoch genuit Irad, & Irad genuit Mauiael, et Mauiael genuit Mathusael, et Mathusael genuit Lamech. Qui accepit duas vxores, nomen vni Ada, & nomen alteri Sella. Genuitq; Ada Iabel, qui fuit pater habitantium in tentoriis, atq; pastorum, & nomen fratris eius Iubal, ipse fuit pater canentium cithara & organo. Sella quoque genuit Tubalcain, qui fuit malleator & faber in cūcta opera æris & ferri. Soror verò Tubalcain, Noema. Dixitq; Lamech vxoribus suis Adæ & Sellæ: Audite vocem meam vxores Lamech, auscultate sermonem meum: quoniam occidi virum in vulnus meum, & adolescentulum in liuorem meum, septuplum vltio dabitur de Cain: de Lamech verò septuagies septies. Cognouit quoq; adhuc Adam vxorem suam, & peperit filium, vocauitque nomen eius Seth, dicēs: Posuit mihi Deus semen aliud pro Abel quem occidit Cain. Sed & Seth natus est filius, quem vocauit Enos: iste cœpit inuocare nomen Domini.

HActenus autem sanctæ scripturæ verticem repen-do potius quàm gradiendo transegimus. Audiuimus enim, qualiter Deus pater per verbū suum, quod est eius filius, & propter bonitatē suam, quæ est spiritus sanctus, sex diebus omnia condidit, & septima die requieuit, hominis quoq; quem in paradiso posuit peccatū qualiter sentētia iudiciali percussit, eūq; de paradiso

eiecit. Nunc deinceps lucidi atque amœni campi fessis sese aperiunt pedibus, & ingerunt obtutibus. Ab hinc enim audiemus, qualiter vel quo ordine verbum ipsum per quod facta sunt omnia, eidem eiecto atque captiuo homini paulatim innotuit, per septem ætates mundi adeò creaturæ suæ appropinquans, vt carnem de carne nostra assumeret, quam pro salute mundi Deo patri offerret, sicque & ipse in requiem suam introiret, & hominem liberatum secum introduceret.

In hoc autem capite, primò videmus conflictationem fidei. Vnico verbo, vt supra audiuimus, subleuatus erat Adam, nempe: Semen conteret caput serpẽtis, &c. è quo verbo spes salutis concepta est. Statim autem postea eiicitur è paradiso, iterque ad vitam intercluditur per Angelũ. Vnde Adã suspicari potuisset priorẽ promissionẽ reuocatã & irritam esse. Nunc autem in hoc capite denuò confirmatur fides eius genito Cain, quod iam cerneret se non tantum victurum, sed & posteritatem fore, atque adeò semen etiam promissum venturum. Verùm eadem fides iterum commissa est, vbi vidit Abel occisum, Cain à Domino abiectum. Hæc est conflictatio fidei, sic semper fidẽ nostram Deus exercet & probat, nunc per prospera, nunc per aduersa: finaliter tamen non fallit. Expecta igitur Dominum, viriliter age, & sustine Dominum. Si moram fecerit, expecta: quia veniens veniet.

Psal. 36. *Abac. 2.*

Deinde sicut in duobus præcedentibus capitibus, Moses descripsit ipsius primi parentis naturam & conditionem, & ante & post peccatum, sic nunc Adæ filios describit, quo ingenio & ipsi præditi sint. Proinde in hac historia non tantum respiciendũ est in istud par fratrum, qui hic exprimuntur, sed ad totum genus humanum. Liquet enim in his duobus fratribus, duo esse genera hominum. Sunt enim vsque hodie, fuerunt & erunt vsque ad consummationẽ seculi Abeles & Caini, erunt semper filii lucis, & fuerunt, erunt & filii huius seculi, homicidæ & mẽdaces, qui bonos persequuntur. Ob hanc etiam causam, cum Adam multos, vt infra dicetur, genuerit filios & filias, Moses tamen horum duorum tantum historiam describit, quia hi duo sufficiunt, in quibus videmus, vt sese

homines

homines habeant, tam boni quàm mali. Habebimus autem hic, primò, vt esse cœperunt: secundò, quomodo vixerint, & vitam instituerint: tertiò, quæ præmia receperint. Vnum fuit initium amborum, non tamen vna vitæ institutio, nec idem finis amborum.

Cognouit autem Adam vxorem suam, &c.

Coniugium quidem, vt supra dictum est, in paradiso institutum est. Porrò opera coniugalia, vt hic audis, extra paradisum cœperunt. In paradiso igitur virgines permanserunt, eiecti autem generare cœperunt. In paradisum cœlestem resumendi iterum virgines permanebunt, iuxta illud: In futuro seculo neque nubent, neque nubentur: sed erunt sicut angeli Dei. Virginitas enim magis angelica, quàm humana vita est. Vnde nec Christus, nec Paulus eam præcipere voluerunt, quamuis vterque eam summo studio suaserint. Matth. 19. 1. Corinth. 7.

Gen. 2. *Matt. 22.*

Concepit, & peperit Cain, &c.

Hic est primus homo, qui super terram natus est. Primi enim parentes non nati, sed formati sunt, Adam è terra, Eua è costa. Cæterùm quod Eua dicit: possedi hominem per Deum, gratiarum actio est: propterea quòd à periculo partus liberata fuit, & quòd filius ei natus erat in mundum. Vtrunque exigit gratiarum actionem. Hinc in lege iubentur mulieres post partum ad templum pergere, ac certas hostias offerre, pro gratiarum scilicet actione. *Leuit. 12.* Obseruandum item, quòd Eua filium natum non adscribit sibi nec viro, imò nec naturę, sed Deo. possedi, inquit, hominē per Deum, id est, donante Deo. Quamuis enim tantùm naturæ opus videatur, hominem nasci, nec quisq; iā propter hoc miretur, eo quòd frequens est: verò tamen mirabile Dei opus est, non minus, quàm cùm hominem è terra formauit, aut mulierem è costa. Potest etiam verbū hoc sic accipi: quod Eua, quæ promissionem de Christo acceperat, nato puero & masculo, putauerit per illum (quasi semen illud promissum) contundendū caput serpentis: vnde & gratulabunda exclamat: Possedi hominem per Deū: quasi dicat, iam habeo illum, qui iuxta promissionem Dei restituet nobis quod per serpentē

amisimus. Ob eam causam etiam nominauit eum Cain, quod interpretatur possessio vel acquisitio. Sic enim ferè in scripturis nomina propria, ob singularem rationé imposita legimus, vt patet de Ismaele, Isaac, Iacob, & aliis.

Et Eua quidem putabat Cain esse semen illud promissum: sed longè fallitur, longè aliũ Deus ad hoc elegerat. Verum igitur est illud tritũ: Homo proponit, Deus disponit. & illud Sapientis: Hominis est præparare cor, & Domini gubernare linguam. Promittit quidem Dominus, se subuenturum, non tamen semper indicat quomodo, vbi, quãdo, & per quem modum: vt omnis gloria ipsi permaneat. Sic Adam sciebat per semen mulieris conterendũ Diabolum: nesciebat tamen veram personam, tempus aut modum quo id fieri debebat.

Prou. 16.

Et adiecit, & peperit fratrem eius Abel, &c.

Quia grata fuit pro primo filio, nunc secundum etiam accipit. Gratitudo enim Deum ad plus dandum prouocat. Sicut è contra ingratitudo omnibus Dei donis indignos nos reddit. Cur autem secundus hic filius dictus sit Abel (quod interpretatur luctus vel vanitas) non exprimitur in textu. Fortè tamé ideo sic dictus est, quòd magno dolore matris effusus sit, vel quod tã Adæ quàm Euæ causa luctus fuit, cùm à Cain occisus esset, vel quòd primus fuit verè in hoc mundo lugentium, de quibus Christus dicit: Beati qui lugent, &c. Iam in his duobus fratribus, vt diximus, genus humanum statim ab initio diuisum est in duas ciuitates, inter se minimè conuenientes. Cain primus fuit inter ciues Babilonis: Abel autem primus inter ciues Hierusalem.

Matt. 5.

Quod si horum duorum fratrum nomina, vitam, & mores consideremus, pulchrè præfiguratum esse videbimus, quales vtriusque ciuitatis ciues futuri erant, tam boni scilicet, quàm mali. Cain enim, qui interpretatur possessio vel acquisitio, eorum typus est, qui hæreditaté suã habent in hoc seculo. Et quod primus malus homo ab acquisitione nomé accepit, signũ fuit, omnes impios hoc tantũ conaturos, vt multa in hoc seculo acquirãt & corradant. Econtra auté, quòd primus iustus nomen accipit à luctu, Abel enim luctus interpretatur, præfigurauit

quòd

quòd iusti in hoc mundo lugebunt, tanquã aduenę & peregrini, aliam quærẽtes patriam: vt ad Hebræos dicitur. *Hebr. 11.*
Quòd ad vitã horum fratrũ attinet, Cain impius primò nascitur, atque hinc primò videmus bonitatẽ morũ non adscribendam naturæ, sed soli Deo. Si enim natura bonos nos procrearet, Cain malus non primo prodiisset: imò hic planè ostensum est, quòd omnes natura mali nascimur, maliq; manemus, nisi per spiritum regeneremur. Deinde per hoc quòd Cain malus primo prodit, præostensum fuit, semper plures malos futuros, quàm bonos. Nec solũ prior natus est Cain malus, sed & iure primogenituræ, & regimen & sacerdotiũ duplexq; hæreditas ipsi præ aliis fratribus obuenerat: quo præostensum est malos vt plurimũ in hoc mundo fortunatiores, ditiores, potentiores, honoratioresque futuros, id quod videmus.

Adde quod Cain etiam parentũ fauorem habuit, ipso enim nato exclamauit mater, Possedi hominẽ per Deũ: de Abele autẽ nihil tale dixisse legitur. sic impii etiã fauorem habent in hoc mundo. Econtrà autẽ Abel posterior nascitur, denique inferior fratre est diuitiis, honore, fauore, &c. Sic pii in hoc seculo sunt quasi peripsema mundi, ab omnibus contempti, cùm tamen eorũ non *1. Cor. 4.* sit dignus mundus. Et boni igitur & mali idem habent *Hebr. 11.* principium, cæterùm quòd mali simus, naturæ est: quod autem boni, gratiæ.

Et fuit Abel pastor ouium: Cain autem, &c.

Hinc videmus, quòd Adam filios ad laborem instituit statim ab ineunte ætate, nec tamen ad eundem laborem: non enim omnibus idem labor conuenit, veruntàmen omnibus laborandum est, ne ocio peiores fiamus.

Obserua quod prima artificia fuerunt colere terrã, & pascere greges: vtrunq; bonũ erat & benè fieri poterat: nec minus Cain colendo agrum placere potuisset Deo, quàm Abel pascendo oues, si eandem fidem & deuotionem habuissent. Obserua item, quod Abel hoc loco prius nominatur, quàm Cain: etsi enim pii posteriores sint & inferiores in mundo, tamen primo vitã instituunt. denique vel ex ipsis artificiis videre licet qualis vterque fuerit. Abel siquidẽ quia simplex erat, ideo animal simplicissi-

cissimum & innocentissimum amabat, scilicet oues. Deinde ideo ouium pasturam elegit, quia minori labore pascuntur quàm colantur agri, non quod fugeret laborem, sed ne à contemplatione rerum diuinarum auocaretur. Præterea vt pascendo oues etiam seipsum moderare assuefaceret, & eodem modo suas affectiones & pecuinos motus refrenaret. Ob has causas etiam patres alii vt plurimum fuerunt pastores ouium. Tale autem studium non fuit ipsi Cain, ideo magnis se & perpetuis laboribus addixit, ac terram fodere cœpit, tantum vt accumularet diuitias. Sic impii solam terram quærunt, & interim si attendatur, plures labores habent quàm pij. Pii autem ita laborant, vt tamen Dei non obliuiscantur, & non propter auaritiam laborant, sed propter necessitaté: habentes enim victum & vestitũ, his contenti sunt. Et quia etiam in labore externo spiritualia cogitant, fit vt molestiam laborum minus sentiant, non sic impii, &c.

Factum autem est post multos dies vt offerret, &c.

Patet ex hoc loco, quòd Adam filios suos nedũ ad laboré externum instruxit, sed etiam ad diuinum cultum, cuius vel præcipua pars est oblatio vel sacrificium. Vtinam auté Christiani parentes sic instruerent filios suos.

Obseruandum autem, quòd quamuis vterque filiorũ Adæ, id est, tam Cain quàm Abel obtulerunt, non tamen vtriusque munus acceptum fuit Deo, vt vel hinc videamus Deum plus quiddã à nobis exigere, quàm externa sacrificia: alioqui etiam Cain acceptus fuisset. Imò quãuis Cain qui iure primogenituræ sacerdos erat, & primus obtulisse scribatur, tamen eius sacrificium reiectum fuit. Econtra autem eius qui contemptior erat & secũdo loco offerebat, gratũ fuisse refertur sacrificiũ. Vnde discimus Deũ non curare quis honoratior sit, & maiori pompa offerat: Item discimus Deum etiam contẽptos exaudire, imò vel maximè: id quod & in publicano vide-
Luce.18. mus euangelico, qui præ pharisæo iustificatus in domum suam descendit. Cæterùm quòd sacrificium vel oblatio impii Cain non fuit Deo grata, plures rationes assignãtur, quarum tres ex textu colligi possunt. Prima, quòd nimis tardè obtulit & diu distulit, vnde dicitur post

multos

multos dies obtulisse, cum scriptura vbique dicat sacrificium celeritate commendari: vnde Sapiens: Si quid vo- *Eccle. 4.*
ueris non tardes reddere. Sic Abraham immolaturus filium mane surrexit: Idem videns tres angelos cucurrit *Gene. 18.*
ad suscipiendum eos, eisq; ministrandum. Hinc & Christus Zachæum iubet festinanter descendere, & Moses
Iudæis præcipit vt agnum festinanter comedant. Econ- *Exod. 12.*
tra autem Pharao constituens Mosi tempus pro se orandi, Cras, inquit, orabis pro me: cùm potuisset dicere, *Exod. 8.*
iam ora pro me. Sic impij semper differunt & tardant, propter quod ingrata sunt sacrificia eorum. Deinde etiam ideo oblatio ipsius Cain accepta non fuit, quòd parcè & sine delectu, imo viliora quæ habuit Deo obtulit, id quod textus innuere videtur, cum dicit eum obtulisse de fructibus terræ, non de melioribus, sicut de Abel postea dicit. Sic enim impij mundo optima quæque & copiosissimè impendunt: Deo autem vix viliora, & admodum parcè. Omnium autem maximè oblatio ipsius Cain eiecta est, quòd caruit fide & vera dilectione, quæ sola attendit Deus: vnde Paulus: Sine fide impossibile est *Hebr. 11.*
placere Deo. &, Si charitatem non habuero, nihil sum. *1. Cor. 13.*
Cain autem corde arido ex sola consuetudine obtulit, sine omni deuotione, quemadmodum hypocritæ faciũt, putantes per sola externa placari Deum.

Abel quoque obtulit de primogenitis, &c.

Huius sacrificium longè diligentius describit, quàm prioris: non solum inquit, obtulit, sed eximia quæq; & primogenita, optimeq; habita, & ex his adipem quoque. quibus verbis indicat, eum summa diligentia & deuotione obtulisse: imò his verbis declarat qualis fuerit Abel, nempe paratus & se & sua in Dei sacrificium impendere: sic enim cogitabat, En piissime pater, omnia quæ habeo tua sunt, imò ego ipse quoque, quare paratissimus sum omnia ad honorem tuum impendere, & cæt. Sic igitur oblatio ipsius exterior nihil aliud fuit, quàm confessio fidei & dilectionis, & gratitudinis erga Deum.

Et respexit Dominus ad Abel & ad munera eius, &c.

Respicere hoc loco nõ significat videre tãtũ, sed ꝓbare: nam

nam & sacrificium ipsius Cain vidit quidẽ Deus, sed non probauit. Vide autem ordinem diuini respectus: Primò, inquit, respexit ad Abel, postea ad munera eius: prius attendit cor, postea opera. Non eget Deus nostris muneribus, sed omnino amat corda nostra, in quibus vult habitare, videt primo an quis sit fidelis, pius in animo & iustus: nisi arbor bona fuerit, nullos fructus bonos faciet. Neq; Abelis munera Deus aspexisset, nisi ipse prius Deo placuisset. Econtra etiã impij Cain munera placere potuissent, si ipse pius & fidelis fuisset. Hic igitur videmus quid Deus in operibus primum cõsideret, nempe cor & animũ. Itemq; videmus vnde opera nostra grata vel ingrata reddantur, nempe propter fidẽ vel incredulitatem.
Hebr. 11. Hinc Paulus ait: Fide Abel meliores hostias obtulit, &c. Hoc autẽ iudicium domini vtrisq; innotuit, vel intus in conscientia, vel externo aliquo signo, nẽpe fœcunditate vel sterilitate, aut igne de cælo oblationẽ Abelis consumẽte. Hoc enim signũ erat diuinæ acceptationis, si ignis è cęlo cõsumeret hostias, vt patet Iud. 6. 3. Reg. 8. & 18.

Et iratus est Cain vehementer, &c.

Hic se aperit peccatũ cum fructibus, hic videmus sacrificium Cain nihil aliud fuisse quàm hypocrisim. Sicut enim Cain primo impius fuit in Deũ, sic nunc crudelis efficitur in fratrem. hæc est natura impiorum. Congruè autem de Cain dicitur quòd fuerit iratus, quia cum peccatum iræ quatuor modis cõmittatur, corde (scilicet) ore, signis, & opere, omnia hæc in ipso Cain conspiciuntur.

Primò inquit, iratus fuit: quo verbo peccatum cordis innuit. Quod autẽ subdit eum vehementer iratũ, significat iram eius malam fuisse, imo iam in odiũ versam: moueri quidem & irasci humanũ est, dummodo ira prius residat quàm peccati opus generet: quapropter in psalmo
Psal. 4. dicitur: Irascimini & nolite peccare, &c. quasi dicat: Et si ad iram vt homines mouemini, nihil tamẽ per iram mali faciatis: & de hoc ipso quod moti vel irati fuistis cito pœnitemini. Hanc autem iram qua iratus fuit Cain nusquam concedit scriptura: est enim verè diabolicum peccatum, quia diabolum imitantur, qui alterius iustitiæ inuident. Quòd autẽ ira Cain non humana, sed diabolica fuerit,

fuerit, ex ipsis statim claruit signis & effectis. Sequitur enim, Et concidit vultus eius. Terram nãq; aspiciunt qui crudelia meditantur: vnde in psalmo dicitur: Proijcientes me nunc circundederunt me, oculos suos statuerunt declinare in terram. Vide autem insaniam hominis istius, & quantum malum sit inuidia. Irascitur Cain Deo, quòd sacrificium suum non acceptasset, cũ magis sibiipsi irasci debuisset, qui non syncero corde obtulerat. Deinde debuerat multum gratulari fratri suo qui Deo tam charus esset, & petere vt frater pro se oraret: sed ecce inuidet & molitur ei necem. *Psal. 16.*

Dixitq; Dominus ad eum: Quare iratus es? &c.

Vtrum hæc in corde & conscientia tantum senserit Cain, an externa voce audierit, incertũ est: quamuis non incongruè dici posit, per Adamum hæc ipsi dicta esse, quemadmodum & supra per os Adami dixit: Relinquet homo patrem & matrẽ, & adhærebit vxori suæ, &c. quod tamen Christus dicit, non hominis sed Dei esse verbũ. Vide autem Dei misericordiã etiã erga impios: Antequã condemnet Cain, primò arguit, monet & docet eum, vt vel hinc videamus, Deum non velle mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Verum obstinatis animis (quod dolendũ est) admonitiones nihil prosunt, & verbum Dei ab illis fere contemnitur, peioresq; indies euadunt: id quod in Cain videmus. De duobus autẽ arguit eum Deus, quod scilicet iratus fuit, & quod cõcidit vultus eius: vtrumq; enim abominabile erat: siquidem etiam si non occidere vellet, tamen pro tali causa iratũ esse peccatum est, & quidem maximum, imò diabolicum: diabolũ enim imitatur, qui inuidet alienæ iustitiæ. Est autem sensus, Quare iratus es? &c. quare detestaris iudicia mea? Nũ putas te homini obtulisse qui corda non videat? nescis quòd non quæro sacrificium, sed hominẽ? Deinde quare iratus es contra fratrem? Num oculus tuus nequam est, quòd ego bonus sum? cur non potius imitaris fratrem? num tuam impietatẽ & hypocrisim imitari debuit, & nõ potius tu eius fidem? Præterea, ad quid irasceris? quasi dicat, frustra hoc agis, ille habebit vitam æternam, tu per fundaberis. *Genes. 2.* *Matt. 19.* *Ezech. 18*

Nonne

Nonne si bene egeris recipies? &c.

Aliqui hunc locum sic legunt, Nonne si bonus esses & bene egisses, acceptabile esset, scilicet munus tuũ, æquè vt munus fratris tui? &c. Septuaginta sic legunt, Nonne si rectè offeras, recte autem non diuidas, peccasti? Et secundum hunc sensum tria pertinent ad sacrificium, si acceptum esse debeat: offerre scilicet, rectè offerre, & recte diuidere: quorum si vnum deest, ingratum erit sacrificium. Offert qui bonum aliquid facit: recte autem diuidit, qui discernit, quid, cui, quando, quomodo, quo loco offerat. Non autem rectè diuiditur, siue cum offertur vbi non oportet, aut quod non tibi, sed alibi oportet, siue quando non oportet: item si offeras quod non oportet, & negligas quod oportet: item si electiora tibi referues. Non recte diuidit, qui manum deuotioni, cor autẽ liuori dat: vel qui linguam Christo, animam autem diabolo, vel qui opus tantum, non etiam cor offert, &c. Vulgata tamẽ editio sic legit: Nonne si bene egeris recipies? Et est sensus: Quid, inquit, irasceris? attende iudicium Dei, non facio tibi iniuriam, nec personarum acceptor sum, sed vide vt bene viuas, tunc enim & tu Deum propitium habebis, qualiscunque sit frater tuus, siue te melior, siue peior: nõ est quod ad illum aspicias, vide tu ne quid omittas quod te deceat.

Sin autem, statim in foribus peccatum aderit, &c.

Hoc verbo peccantẽ monet ne peccare pergat: itemq; monet vt vultum ad terram demissum erigat, proculque aspiciat quid magis expediat, quid euenturum sit, quis finis, quis fructus succedat, si malum quod cogitatione deliberat opere perficiat. Est autem sensus, quamuis peccatum tuum adhuc occultum sit, tamẽ nisi statim resipiscas, erumpet in magnum malum. Deinde etsi nondum vides iudicium tuum, certo tamen punietur peccatum, non euades impunis: præterea peccatum iam in foribus est, iminet tibi iudicium Dei, quare desiste. Demum si pergis in malo, peccatum tuum semper te cruciabit mala conscientia. Vides quàm diligenter eum præmonuit, atque hæc ipsa etiam nobis dicta esse sciamus, quoties peccare intendimus.

Sub te

Sub te erit appetitus eius, & tu dominaberis.

Sunt qui pronomina hæc, eius & illius, referunt ad Abelem: vt sit sensus: Quid irasceris contra fratrem quod mihi acceptus est? non propterea subtrahitur potestati & subiectioni tuæ, non se propterea eriget cõtra te, adhuc tibi salua permanet & permanebit tua primogenitura & potestas, itemque diuitiæ: sub te, inquam, erit ipse Abel, tu dominaberis ipsius: humilem & obedientem se ostendet, sicut hactenus: non est igitur quod contra eum irascaris, multò minus quod eum occidas. Semper timent impij suæ potestati, & propterea etiam odiunt & pietatem & pios: sed frustra hoc timent. pij enim ne optarẽt sibi quidem ea quæ impij suspiciunt & admirantur: nec pietas destruit externam potestatem, sed confirmat. vnde canitur: Hostis Herodes impie, Christũ venire quid times? Non arripit mortalia, &c.

Ob eam causam Christus ipse pauper venit, pauperes discipulos elegit, paupertatem docuit & humilitatem, denique suos potestati etiam terrenæ subiecit, ne mundus occasionem in eos sæuiendi haberet. Sũt qui locum hunc legunt interrogatiuè, sic scilicet, Num sub te erit appetitus eius? & num tu dominaberis eius? Vt sit sensus: Num quia primogenitus es, atque adeò ei in honore & diuitiis præpositus es, etiam in animã eius dominari vis? Num ad tuum imperium attemperare debet fidem suam frater tuus? Num quia tu impius es, etiam ipsum ad impietatem cogere vis? Sufficiat tibi quòd corpore tibi subiectus est, & dominatum tibi concedit: noli velle in animam eius dominari, &c. Hæc ipsa increpatio etiam competit in impios illos principes & magistratus, quibus nõ satis est quod subditos in corpore & rebus grauent, nisi insuper eos etiam à pietate auertãt & cogant, &c. Atqui eorum dominium non intantum se extendit, vt hic audis. Sunt tertiò qui pronomina hæc, eius & illius, referunt non ad personam Abelis, sed ad iram ipsius Cain. vt sit sensus: Ira quam concepisti aduersus fratrem, sub te esto, & tu domineris illius, id est, ne obsecundes iræ, ne te subigat ira, sed tu illi impera: Ira enim viri iustitiam Dei non operatur. Possumus & hoc verbum generaliter Iacob. 1.

raliter de omni peccato & concupiscentia intelligere, vē sit idem cum eo quod Paulus ait: Non regnet peccatum
Roma.6. in vestro mortali corpore. Itemq́; Mortificate membra
Colos.3. vestra quæ sunt super terrā, irā scilicet, indignationē, fornicationē. Ex hoc igitur verbo primo colligimus, quòd natura proni sumus ad malū, alioqui non opus fuisset admonere ne appetitū sequamur, sed potius supprimamus. Deinde ex hoc verbo colligimus, quòd trahi quidē possumus & allici à concupiscentiis nostris, sed non cogi. Quāuis enim homo corruptus liber nō sit à peccato, nec à miseria, est tamen liber à coactione: cogi quidē potest homo vt hoc vel illud faciat, sed non vt velit & libenter faciat. Nulla igitur excusatio est si dicas, concupiscentia me vicit, potestas me coëgit: Sub te, inquit, est appetitus tuus, &c. Monemur igitur vt cōcupiscentiis resistamus, quòd quia ex ipsis nobis nunquam plenè possumus, diuinæ gratiæ sine qua nihil possumus auxilium imploremus:
Ioan.15. Hoc voluit Christus cum orare nos iussit, Fiat voluntas tua. Hoc enim verbo petimus, vt sicut voluntate, sic & opere: sicut mente, sic & carne legi Dei subijciamur: & sicut spiritus promptus est, sic & caro prōpta fiat: hoc est, vt planè dominari posſimus nostris concupiscentiis.

Et dixit Cain ad fratrem suum: Egrediamur, &c.

Audiuimus de initio vitę & progressu tā Abelis quàm etiam Cain, nunc finis vtriusq; spectandus erit: plus enim oculos nostros huc flectere oportet, ne offendamur, videntes nonnunquam impios in hoc seculo feliciter agere, pios aūt econtra variis modis affligi. Qui autem vtriusq; finē conspexerit, nō offendetur tribulatione piorū, nec offendetur prosperitate impiorū, vnde Dauid: Mei
Psal.72. penè moti sunt pedes, &c. donec intrarem in sanctuarium domini, & considerarem nouisſima eorum, &c. Vide autem obstinationē ipsius Cain, viderat patrē suū propter inobedientiam punitum, imò etiam admonitus est à Deo ne succenseret fratri suo: sed omnia hæc frustrà fuerunt: non solùm enim non emendatus fuit, sed insuper etiā occidit fratrem, atque adeo peior effectus est. Quid autem fratri dixerit non expressum est in Hebræo, sed tantùm hoc dicitur: Et dixit Cain ad fratrem suum. Volunt autem

tem quidam, quòd correptus à domino, ad tempus dissimulauerit iram, ac fratré blandè allocutus sit, quasi iam ipsi reconciliatus esset, cum tamen odium adhuc gereret in corde, ac tempus congruum expectaret quo eum occideret. Hoc exemplum impii illius Cain sequuntur, qui loquuntur pacem cum proximo suo, mala autē in cordibus suis. *Psal. 27.* Alii volunt ideò eum cum fratre locutum esse, vt occasionem litigandi quæreret, quod & ipsum nunc impii quique imitantur: superbus enim semper quærit iurgia. Hebræi dicunt, quòd Cain dixerit, Non est iustitia, nec iudex, nec futurū seculum, nec remuneratio bonorū, nec punitio malorum: quibus cum Abel contradiceret, occidit eum Cain, &c. Textus noster habet, Egrediamur in agrum, & verba quidem fratris sunt, mens autem erat homicidæ. Educit fratrem, ne quis impedire possit homicidium: Item educit in locum secretum ab hominibus, ne homines impietatē eius viderent: nihil interim de Deo cogitans, qui omnia videt. Sic impii tantùm homines timent, non Deum summū iudicem, dicunt enim, quis videt nos? *Isaie. 29.* Interim Abel sicut supra non inuidit fratri primogenita, nec malitiā eius imitatus est, sic hic in simplicitate sua manet. sequitur fratrem, nihil mali suspicans de fratre (charitas enim non est suspiciosa.) Obedit fratri tanquam superiori, quamuis sciret eum malum, non superbit de gratia Dei, patienter suffert contumelias, immò se occidi sinit potius, quàm malum pro malo reddat: hæ sunt conditiones piorum hominum.

Et factum est cum essent in agro, &c. occidit eum, &c.

O abominabilem manum, ò dextram miserabilem, ò mentem impiam, quomodo non obduruit manus? quomodo gladium tenere potuit & tentare plagam? quomodo potuit perpetrare tantū facinus? quomodo non cogitauit naturam? quomodo non expendit, antequam opus aggrederetur, operis finem? & cæt. Verùm impius omni bestia crudelior est, & cæt. Est igitur Cain omnium impiorum patriarcha, & primus lapis in ædificio ciuitatis diaboli, primus voluntatem patris diaboli, qui homicida fuit ab initio, perfecit. *Ioan. 8.* Est insu-

per Cain exemplar filiorũ huius mundi Deum non credentium, iudicia eius blasphemantium, proximos persequentium, & fraternæ gratiæ inuidentium, & postremò desperantium: hæ sunt conditiones impiorum, &c. Econ
Hebr. 11. trà Abel exemplar est piorum, vnde Paulus de ipso dicit, quòd defunctus adhuc loquitur. Clamat autem & loquitur eius sanguis & occisio, paßionẽ Christi, in Abel enim præfiguratus fuit Christus verus pastor, qui sacrificium gratißimũ obtulit, qui à fratribus despectus, inuisus, eductus, & tandẽ occisus fuit. Deinde Abel occisus adhuc loquitur: nempe, omnes pios in mundo pressuram habituros. nõ igitur tibi meliora pollicearis de mundo,
2. Tim. 3. Omnes qui piè volunt viuere, persecutionem patientur. Ad hæc igitur duo quilibet Christianus parat⁹ sit, vt scilicet bona faciat, & mala patienter ferat.

Et dixit Dominus ad Cain, &c.

Hactenus audiuimus iustum illum Abelẽ ex iustitia & pietate suæ nihil aliud reportasse in hac vita, q̃ odium fratris, ac tandẽ miserabilem cædem ac mortem: econtra autem impium Cain etiam perpetrato homicidio securum vixisse ad tempus, quorum vtrunque infirmos offendere posset & à pietate ad impietatẽ traducere. Nunc autẽ videbimus, quòd Abel & si occisus, nondum tamen omninò periit: imò nunc post mortẽ fortius viuit quàm in hac vita. Videbimus item impiũ Cain etiamsi ad tẽpus prospere egerit, nondum tamen euasisse iudicium Dei, imò iam videbis eum pertrahi in iudicium, & sæuerißima sententia damnari. Est igitur locus hic notatu dignißimus, nam hinc colligere licet, vnde prophetæ tot tantasque consolationes & promißiones pro piis, econtrà autem tot tamque horribiles comminationes contra impios desumpserunt. Verbi gratia, quod Dauid ait: Oculi domini su-
Psal. 33. per iustos, & aures eius ad preces eorum, &c. Item quod
Psal. 36. ait: Nunquam vidi iustum derelictum, &c. Item: Spera in domino & fac bonitatem, & ipse faciet, &c. Huiusmodi, inquã, promißiones non aliunde desumptę sunt, quàm quòd hic legimus Deũ tãtopere pro iusto Abel curasse.
Psal. 51. Econtrà quod idem Dauid dicit de impio: Dominus de-
Psal. 128. struet te & euellet te, & radicẽ tuã de terra viuentiũ, &c.
Item:

Item:Dominus concidet ceruices peccatorum,&c . Ex eo profecto desumpsit,quod hic legitur de impio Cain: Idem dici potest de aliis promissionibus & cõminationibus scripturæ. In hoc autem textu habemus secundum iudicium Dei contra homines:atque hic iterum primò vides Deum offerre misericordiam suam, quemadmodũ & supra in primo iudicio prothoplastis fecerat . Magna enim misericordia Dei est, quod etiam homicidam alloquitur. Peccauerat ipse Cain non semel,sed sæpius : primò,cùm falso & ficto animo obtulit:secundo, cùm inuidiam contra fratrẽ concepit:tertio,cum diuinam admonitionẽ contempsit:& quarto, cùm fratrẽ occidit . Non tamen statim eum reiicit dominus,sed benignè alloquitur. Verum igitur est quod dicit:Nolo mortem peccatorum,&c.& merito dicitur longanimis. Imò ex hoc loco discimus quid sit illud quod in Amos toties repetitur: Super tribus sceleribus & super quatuor non conuertam eum.hoc est,ad tria scelera conniuere possum & expectare,imo etiam ad quartum, sed non vltra. Ideo cùm Cain iam tria scelera supergressus esset,imo etiam quartum addidisset,non amplius tacet aut expectat dominus: iam enim ad summum peruenerat impietas ipsius Cain, ideo dicit dominus:

Gen.3.

Ezech.18

Vbi est Abel frater tuus,&c.

Tantum flagitium admiserat Cain,necdum tamen sentiebat conscientiam:ideo Deus memoriam fratris ei obiicit,vt vel sic conscientiam eius pungat. Magna enim gratia est sentire conscientiam, ob eam causam nũquam cessat Deus verbo suo nos pungere , alioqui nunquam curaremus peccati grauitatem. Quod autem Deus tam diligenter de Abele inquirit , signum est quòd pro sanctis suis curat nedum in vita,sed etiam post mortẽ : imò per hoc ostendit se suorum & custodem & vindicem esse,id quod summè nos consolari debet . Hinc Paulus gloriabundus dicit:Siue viuimus siue morimur , domini sumus. Et de seipso:Mihi viuere Christus est,& mori lucrũ. Et Dauid:Beata gẽs cuius est Deus eorũ, &c. Quòd autẽ suã iniuriã dissimulat,& tantùm inquirit de his quæ Cain in fratrẽ impiè cõmiserat,signum est ꝙ Deus adeò

Rom.14.

Psal.32.

pro sanctis suis sollicitus est, vt potius dissimulaturus sit quæ in eum committimus, quàm quæ in proximos, vt vel sic absterreamur à læsione fratrum: vnde & in propheta dicit: Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Ob eandẽ causam etiã in futurũ iudicandos dicit Christus omnes homines, non secundum ea quæ in Deum cõmiserunt, sed secundũ ea quæ in proximos: dicet enim Iudex: Esuriui & non dedistis mihi manducare, & cæt.

Zach.2.

Matt.25.

Præterea, quòd solus Deus Abelis non obliuiscitur, cùm iam apud homines omnino deploratus esset, signũ est, ꝙ Deus adiuuare, liberare, vindicare potest & vult etiã vbi omnia humana deficiunt. Quod autẽ Deus Abelem non viuentẽ seruauit ab ira & violentia fratris, sed post mortem primũ eum vindicat, doctrina crucis est, vt sciamus tempus huius vitę esse tẽpus crucis. Deinde per hoc ostendere voluit, iustis meliorẽ spem post mortem repositã esse, quàm in hac vita. Quid enim cõqueri possumus si in hac vita derelinquat Deus, dummodo in futura suscipiat? Ad punctũ, inquit, in modico dereliqui te, & miserationibus magnis suscipiam te. Demum per hanc inquisitionem Deus palàm ostendere voluit, peccata impiorum quantumcunque occulta & impunita, suo tempore ad lucem & iudicium producenda. Putabat Cain neminem vindicem futurum huius fratricidii, sed hic aliter experitur: qui enim seipsum non iudicat & condemnat, certò iudicabitur à domino. Hinc Paulus: Si nos ipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.

Isaia.54

1.Cor.11.

Cæterùm, quòd dominus antequam condemnet prius interrogat, doctrina est, vt iudices nunquam ferant sententiã ante causæ diiudicationẽ, & rei citationẽ & examinationem, id quod & supra admonuimus. Quærit autẽ Deus vbi sit Abel, non ex ignorantia, sed vt exprimat ei confessionẽ peccati. Hanc enim vel maximè exigit Deus, primò, vt vel sic peccator occasionẽ habeat pœnitendi. quamdiu enim non confitemur nos peccasse, putamus nobis nihil opus esse pœnitentia. Secundò confessionẽ exigit, vt vel sic gratia ipsius & spiritus liberiorẽ accessum habeant ad cor hominis, nã scriptura dicit, solis humilibus dari gratiã, & spiritũ domini super humiles &

Gen.3.

1.Pet.5.

les & trementes ad verbũ Dei requiescere. Tertiò etiam ideò confessionem exigit, vt peccator sua ipsius confessione testetur Deum non esse auctoré malitiæ aut peccati: qui enim seipsum accusat, Deum excusat. Hanc autem peccati confessionem non minis aut pœnis exprimit ab ipso Cain (quod tamen alias fecisse legitur in Pharaone & Antiocho) sed admodum lenibus verbis, vt vel sic impius ille spem conciperet, cùm videret Deũ non vt iudicem, sed vt medicum adesse. Isaie.66

Nescio. Nunquid custos fratris mei sum ego? &c.

Vide impietaté cordis humani, quàm proteruè respondeat Deo: verè prauum est cor hominis, & inscrutabile: adeò vt si fieri posset, conaretur etiã ipsum Deum è cælo detrudere, id quod etiã Gentiles agnouerunt, vt patet de bello gigantum contra Iouem, & cęt. Deinde vides quòd Cain eadem suffugia & latibula quærit, quæ & parentes eius quæsierant: peccatoribus enim commune est peccata sua tegere & se iustificare, ea autem in iudicio Dei nihil prosunt, imò vel maximè obsunt, vt supra dictum est. Præterea vides hic, quòd Cain homicidio addit mendaciũ & proteruiam: sic enim semper vnum peccatũ trahit aliud. Imò hoc verbo planè prodit se non credere Deum vbique esse, & omnia scire & videre, alioqui non dixisset, nescio. Demũ etiam Deũ ipsum accusare videtur cùm dicit: Nunquid custos fratris mei sum? quasi dicat, quid mihi tecum? quid me obiurgas? cur tu non eum custodisti? &c. O impietas & proteruia. Sed age impie, si custodire nolebas fratré, cur eum occidisti? Imò verè custos eius esse debebas, tum quia frater tuus erat, vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo: tum quia tu primogenitus & maior eras, iure naturæ custos fratris eras. Hoc verbum pulchrè impii omnes didicerunt ab omnium impiorum patriarcha: frequens enim est in ore ipsorũ vt dicant, nunquid custos fratris mei sum? Solùm enim seipsos curant, atque adeo suo nomini respondent: nam Cain possessio vel acquisitio interpretatur. Sed age impie Cain os tuum condénat te, si fratré tuũ eũ esse agnoscis, certè custos ei⁹ esse debuisti. Hanc tamen proteruam & obstinatam responsioné ipsius Iere. 17.

 Cain

Cain, quid aliud sequi potuit nisi certissima damnatio & districtum iudicium Dei? vnde protinus subditur:

Quid fecisti, &c.

Hic profertur sententia iudicis in ipsum Cain, & prius quidé palàm conuincit eum peccati sui Deus, & reū statuit. Atq; ex hoc loco iam iterū videmus, quantū Deus odiat peccatū, & quod nullū peccatū impunitum sinat, id quod & supra in Adamo vidimus. Huiusmodi autem iudicia diuina cum timore audienda sunt: si enim natura cuiusq; contremiscit, cum audit in iudicio mundano sententiá mortis super aliquē ferri, quanto magis in hoc iudicio diuino contremiscendum est: maximè cum sciamus hanc sententiam non tantùm in personam Cain, sed in omnes sectatores eius latam esse? Et quis est qui non Cainum aliquid in se habeat? Imò quot inueniuntur Caino peiores? meritò igitur timendum. Inculcanda essent & hæc diuina iudicia pseudoeuangelicis nostri temporis, qui nihil aliud in ore habent quàm Dei gratiā & misericordiam, quasi non etiam iustus sit Deus: quantum autem carnalis homo emēdetur, vbi nihil aliud audit quàm Deum esse misericordē, experientia testis est. Quare hoc iudicium Dei diligenter expendamus. Hoc autem primo verbo vbi Deus dicit, quid fecisti? iterum videmus quàm nihil profit coram iudicio Dei peccata vel negare, vel excusare: Omninò enim ad lucem peruentura sunt, Nihil opertum quod non reueletur. Aut igitur nosipsos oportet confiteri peccata nostra, aut Deus ipse ea nobis ob oculos statuet & exprobrabit. Quàm terribile autē sit vbi Deus nobis peccata nostra obiicit, ipse Cain exemplo sit, qui statim postea desperauit: & quàm proteruus prius fuit, tam timidus postea factus est. Tam facilè Deus proteruiam nostrā domare potest, vbi vel leuiter iudicium suum ostenderit. Est autem sensus verbi: Quid fecisti? quasi dicat, Arbitraris me quod gessisti nescire? Nonne cogitationem quam impiè conceperas inspiciés, ne opere consummares præmonui? fecisti, inquam, tu autem considera quid, homicidium & fratricidium. Primus cędem humano generi inuexisti, nunquam tale quid auditū est, manus tuas innocentis fratris sanguine polluisti.

Matt.10. *Psal.49.*

luisti. Ne autē causeris, iniustè me aduersum te proferre sententiam, ego tibi accusationem non inferam, sed est testis qui te accusat.

Ecce vox sanguinis fratris tui clamat, &c.

Hoc est, Peccatum illud tuum ita corā me est ac si ipse sanguis clamaret ad me pro vindicta. Hoc modo loquendi etiam Abacuc vtitur contra eum qui ex rapinis ædificat sibi domū: Lapis, inquit, clamabit è pariete contra te, &c. Circa hoc igitur verbum primò obserua, quòd nō dicit, frater tuus clamat aduersum te, sancti enim non accusant, sed excusant peccata aliorū: vnde Stephanus: Ne statuas illis hoc peccatū. non igitur Abel clamat, sed vox sanguinis eius, id est, ipsum factū. Quòd autē dicit sanguinē Abelis clamare, argumentū est, quòd Deus nō tantum audit clamorē vocis: satis magnus clamor coram Deo est quodlibet factū impium, etiā si nullus hominum contra ipsum clamet: id quod & supra ex Abacuc audiuimus. Quemadmodum & econtra quodlibet opus pium suā habet vocē, etiam, si apud homines & ab hominibus non cōmendetur aut etiam nesciatur: Pater, inquit, qui videt in abscondito reddet tibi. Et Sapiens: Abscende eleemosynam in sinu pauperis, & ipsa exorabit pro te. en eleemosyna habet vocē suam corā Deo. Ad hunc modum etiam Paulus dicit sanguinem Christi clamare ad Deū: quod nihil aliud est, q̃ sanguinē & mortem Christi in perpetua memoria esse corā Deo pro nobis. In hunc modum etiam sancti orare dicuntur pro nobis, nō quòd verbis orent, sed quòd eorū fides, charitas, pietas, obedientia, &c. perpetuò sunt in memoria apud Deum, adeo vt propter ipsa & aliis benefaciat. Non enim Deus minus est misericors erga pios, quàm iustus erga impios. Si piorum sanguis clamat contrā impios, multò magis ipsorum fides & charitas clamant pro piis. Hinc sæpius in prophetis legitur: Protegam ciuitatem hanc, propter me & Dauid seruum meum. Sic filiis Israel longo tempore profuit memoria & fides patrum, vnde Moses: Memento domine Abraā Isaac & Iacob, &c. Et sequitur: Placatus est dominus, &c. Obseruandum hic, quòd in Hebræo habetur, vox sanguinū, in plurali, quod ideò fit,

Abac.2. Act.7. Abac.2. Matt.6. Eccle.29. 4.Reg.19 Exodi.32

Primò, vt ostendatur Cain reus non vnius sanguinis tantum, sed multorum, omnium scilicet qui ex Abel progeniti fuissent. Deinde, vt sciamus quod ne minima quidē gutta sanguinis fraterni effusi impunita erit: omnes enim sanguines, quotquot guttæ sunt, clamant ad Deum. Præterea per hoc etiam indicatur, quòd omnes homicidæ vna sunt massa, & quòd omnis innocentum sanguis quasi in vnum alueum confluit, & quasi vno ore clamat ad dominum, vt tandem vindictam sumat de aduersariis: Hinc
Matt. 23. CHRISTVS, Implete mēsuram patrum vestrorum, &c. Et iterum: Veniet super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est à constitutione mundi, &c. Quòd autem sanguis Abel non simpliciter loqui vel testari, sed clamare dicitur, homicidij grauitatem indicat: propterea quòd in homine est imago Dei præsentissima, & quòd homo
1. Pet. 1. præcipuum est opus Dei, singulari consilio Dei creatus, carè redemptus, nempe sanguine Christi. Potest & ex aliis homicidij grauitas ostendi, nempe ex eo quòd etiam in lege morte punitur: deinde quod etiā bestia occidens
Gen. 9. hominem interfici iubetur. Propterea etiam Deus bruto
Exod. 21. rum sanguinem sibi offerri voluit, vt ostenderet, quod si brutorum sanguis tam pretiosus est, multo magis hominis. Ex eo autem quod signāter dicitur sanguis Abel clamare ad Deum, ostenditur, quod Deus sicut custos sanctorum, sic & vindex eorum est, rarò enim vindicatur ab hominibus: Plerunque enim perit iustus, & nemo est qui
Isaiæ 57 recogitet corde. Ad Deum igitur clamāt, cui soli relicti sunt pauperes, qui & solus, etiam si totus mundus dissimulet, inultum non sinet quod contra suos fit: Qui enim
Zacha. 2 tangit (inquit) vos, tangit pupillam oculi mei. Huc pertinet quod in fine additur, Clamat ad me de terra: quasi dicat, etsi frater parcit tibi, terra tamen non parcet. Sic
Isaiæ 26. in Isaia: Terra reuelabit sanguinem sanctorum.

Quem igitur nō exterreat verbū hoc? maximè si meminerit tam multum sanguinis innocentis super terram effusum, vocem occisorum multipliciter auctam: deniq; &
Apoc. 5. tempus instare quo Christus sanctorum suorum animas exauditum iri prædixit. Ne quis autem se immunē putet ab hoc peccato, cogitet homicidiū tripliciter cōmitti.

Omit-

Omittendo ſcilicet,prouocando, & perficiendo. Cogitet ſecundò, quòd Chriſtus etiam homicidii reum declarat, qui fratri iraſcitur. Imo & iudices poſſunt fieri rei ſanguinis, ſi vel ſentétiam dicunt in inſonté, vel ſi iudicant animo ſe vindicandi, aut ex cupiditate, vel tertio, ſi ſupra demeritum puniunt, &c. Poteſt ex hoc loco etiam probari reſurrectio mortuorum. Si enim ſanguis ſanctorum clamat, ergo viuunt ſancti, ſi viuunt, ergo ſuo tempore reſurgent: hoc modo Chriſtus reſurrectionem probat. *Matt.22.*

Et nunc maledictus tu ſuper terram, &c.

Statim infligit pœnam Deus hoc loco, ne dubitemus eum iudicaturum & mulctaturum ſontes, etiam ſi videatur ad tempus diſsimulare. Grauius autem punitur Cain quàm Adam. Adæ enim dictum eſt: Maledicta terra in opere tuo, huic autem dicitur: Maledictus tu. Nec mirum: nam Cain grauius peccauit. Adam ſiquidem peccauit ex negligentia & condeſcenſione ad vxorem, hic auté Cain peccauit ex inuidia. Imò ferme eandem accipit ſententiam cum ſerpéte vel diabolo, nec immerito, quia ſimilis ei fuit in peccato. Sicut enim ſerpens fuit organũ diaboli, ſic & Cain. Et ſicut diabolus ſola inuidia ductus, hominem decepit, ſic Cain ex inuidia occidit fratrem. Denique Cain quàm maximè reſtitit ſpiritui ſancto. Quàm paternè enim ſupra eum admonuerat Deus? ſed contempſit. Meritò igitur audit: maledictus tu, &c. Præterea etiam ideo maledictio hæc grauior eſt, quàm ſuperior, qua maledictus eſt Adam. *Gen.3.* Hæc enim maledictio Cain non pertinet ad omne genus hominum, ſed tantũ ad impios. Superior auté pertinebat ad vniuerſum genus hominũ, inter quos multi boni futuri erant: ideo illic tantum dicitur: maledicta terra in opere tuo. Hic autem Cain ſimpliciter maledicitur, ſicut & ſupra diabolus. Eadem enim ſententia manet diabolum, & membra eius. Atque hinc videmus differentiam bonorum & malorum, impiis nedum externa maledicta ſunt: ſed etiam ipſi maledicti: pii autem tantum in externis maledictionem ſentiunt.

Cum operatus fueris terram, non dabit, &c.

Etiam ſupra audiuimus, terram propter peccatũ maledictam. Nunc autem ſecundo repetitur, vt ſciamus, vnde

proueniat sterilitas terræ, nimirũ ex peccatis. Oẽs conquærimur de sterilitate,&c. nemo tamẽ cogitat propter peccata hæc accidere. Quamuis autem etiã pii sentiant maledictionẽ terrę,tñ ea maledictio vertitur ipsis in benedictionẽ & exercitiũ:impiis aũt nihil est nisi maledictio.

Vagus & profugus eris super terram, &c.

Omnes deliciæ Cain erãt in hac terra, quas ab illo aufert Dñs. Quod enim impii potissimũ amãt in terra, hoc ab eis auferetur, & insuper perpetuam pœnam in futuro sustinebunt. Alii legunt, gemens & tremens eris, quasi dicat: Quia abusus es robore corporis, propter hoc continuum tremorem & motum membrorũ tibi infero, vt nõ solũ ipse habeas iugẽ admonitionẽ peccati tui, sed vt etiã oẽs qui te vident, discant è pœna tua, ne talia audeant. Vel gemẽs eris propter pręsentia mala, & tremẽs propter futura in alio seculo. In vtroque enim seculo impii puniuntur. Sic ergo impius Cain tripliciter punitur. Primò in anima, cùm dicitur: Maledictus tu. Secundò in rebus externis, cùm dicitur: Terra non dabit tibi fructum. Tertiò in corpore, cùm dicitur: Vagus & profugus, &c. Allegoricè omnia hæc in Iudæis impleri cernimus, contra quos sanguis Christi clamat: Quare & in anima maledicti sunt, & corpore vagi super terram, &c.

Maior est iniquitas mea, quàm vt veniam, &c.

Hic tandẽ incipit impius Cain sentire peccatũ, eiusq́; grauitatem: quantumcunque enim prius à Deo admoneretur peccati sui, tamen nihili pendebat: nunc autem post latam sententiam, primùm videt serio rem agi. Idem faciunt omnes impii, non credunt Deum puniturum peccata, nisi iam sentiant pœnam. Sic diues ille euangelicus in inferno iam positus, primùm incipit gratiam quærere,
Luc.16. sed frustra. audit enim: Fili recordare, &c. tempus præteriit, &c. Sic Sapiens dicit, impiis in inferno primum oculos aperiendos, vt & suam miseriam, & sanctorũ videãt
Sap.5. fœlicitatem. Videntes, inquit, turbabũtur timore horribili, &c. Quanto satius igitur esset, ante iudiciũ peccata nostra attẽdere, veniamq́; quærere? Vide aũt quid Cain faciat. Peccatũ quidẽ suũ videt, nullũ autẽ Euangeliũ aut cõsolationẽ è contra. Ideò cõfitetur quidẽ culpã, sed nõ

petit

petit veniã:vnde & desperat. Et sicut prius ante iudiciũ
nõ dedit Deo gloriam iustitiæ,hoc est,non credidit eum
iustum:sic nunc post iudiciũ non dat Deo gloriam mi-
sericordiæ,hoc est,non credit eũ esse misericordem,sed
nihil aliud quàm tyrannum,qui saluté ei inuideat. Vnde
& totaliter se à Deo auertit,& omnem spem & curã salu-
tis abiicit. Atq; hæc impœnitentia, peccatũ est in spiri-
tum sanctum, quod omnino gratiæ Dei obicem ponit,
atque ideo irremissibile est. Sic ergo impius cùm in pro- *Mat. 12.*
fundum venerit,contemnit. Hinc igitur videmus,quod *Prou. 18.*
qui longo tempore Deum vocanté & admonenté con-
temnit audire,iusto iudicio postea gratia priuatur,vt nec
gratiam petere amplius ausit, sicq; desperet. Nemo igi-
tur vocantem & admonentem Deum contẽnat, si non &
ipse contẽni & relinqui vult. Væ qui spernis,nónne & tu
sperneris? Cæterũ quod nos affirmatiuè legimus: maior *Isaiæ.33.*
est iniquitas,&c. Hebræorum aliqui legunt interrogati-
uè: Num iniquitas mea maior est, quàm vt veniã merear?
Quæ vox esset & summũ peccatum extenuantis, & iudi-
cium Dei blasphemantis, quasi vltra meritum Deus pu-
niret peccata. Prior tamen expositio communior est.

Ecce eiicis me hodie à facie terræ,&c.

Possũt verba hęc sic accipi,quasi odiosè repetat pœnas
sibi à Deo inflictas:sic enim solẽt impij in pœnis Deũ bla
sphemare. & odiosè quidẽ repetere,quid patiãtur:nõ aũt
quid fecerint & meruerint. Simplicissimè aũt intelligen-
do, verba sunt hominis planè desperãtis, ac præ angustia
cordis quid loquatur nesciẽtis. Primò enim sic loquitur:
quasi Deus eũ totaliter è terra eiiceret, quod tamen non
erat: verũ desperato homini totus mũdus videtur angu-
stus,quoniã nihil vspiã solatii aut refugii inuenit: Dein-
de sic loquitur, quasi se posset à Deo abscõdere,quod ta
men impossibile est. Si,inquit, occultabitur vir in abscõ- *Iere.23.*
dito,& nõ videbo eũ? &c. homo tamẽ desperatus semper
& id solũ quærit,& optat,vt possit latere & abscondi,li-
cet frustra. Pręterea quod ait: Oĩs qui inuenerit, occidet
me: nõne palã timorẽ & tremorẽ cordis ꝓdit? Nullꝰ erat
qui statuerat eũ occidere,& tñ iã sic trepidat,quasi totus
mũdus cõtra eũ cõiurasset. Adeo nõ potuit ferre cõsci-

entiam

Prou.28. entiam suã, quæ iudicabat eũ morte & oĩm odio dignũ.
Deut.28. Sic impius fugit, nemine persequente. Sic dat Dominus
Leuit.26 impiis cor pauidũ, vt nũq̃ securi sint, & paueãt etiã ad so-
Isa.48. nitũ folij volantis. Sic nõ est pax impiis, dicit Dominus,
Isa.57. & cor impii sicut mare feruẽs. Vides igitur hic, quomodo Deus puniat homicidiũ, vides quomodo sanguinem sanctorũ vindicet. Vides insuper, quod qui malum facit, semper peius habet, q̃ qui malũ iniustè patitur. Passus est Abel, sed breui tẽpore, & tãtũ externè: cũ interim Deũ fauentẽ haberet, & æternã mercedẽ expectaret. Nunc aũt Cain maximè sentit angustiã cordis, idq; nõ breui tẽpore, sed omni vita sua, deniq; & Deum iratum habet, vt taceam de æterna damnatione. Summa: quadrupliciter punitur Cain, etiam in hac vita. Prima pœna est desperatio, verè magna pœna: deinde corde ita perpetuo pauet, vt nullo certo loco cõsistat. Præterea quod semper quærit quorsum effugiat vultum Dei. Quarta pœna est assiduus metus mortis. Discamus igitur potius mala ab aliis illata patienter ferre, quàm aliis mala inferre, quoniamquidẽ videmus Deum tam seuerè vindicare in impios. Discamus item ex hoc loco non tantum præsentem piorum aduersitatem, vel impiorũ prosperitatẽ considerare, sed vtrorunq; finẽ & exitum. Hinc Dauid: Mei, inquit, penè moti
Psal.72. sunt pedes: pacem peccatorũ videns, &c. donec intrarẽ in sanctuarium Dei, & considerarẽ nouissima eorum, &c. Sic ex præsenti impiorum prosperitate nedum impii in malo confortantur, sed etiam pii, vel ad bonum tardiores fiunt, vel malorum vitam imitãtur: vel saltem ad æmulationem & indignationem prouocãtur iuxta illud: Dum
Psal.9. superbit impius, incẽditur pauper. Quapropter & Dauid
Psal.36. monet: Noli, inquit, æmulari in malignantibus, &c. Horum autem nihil fieret, si finem impiorum cõsideraremus.

Omnis qui inuenerit me, occidet me, &c.

Hoc tantum timet impius ille amator terrenorum, ne scilicet præsentem vitam amittat. Dei autem maledictionem, & quòd Dei gratiã perdidit, futuraq; mala, non curat: non petit veniã aut gratiã, sed tantùm ne occidatur. Sic impii omnes faciunt, vitam præsentem omnibus aliis bonis præferunt, ac mortẽ summum malum esse putant.

Nequa-

Nequaquam ita fiet,sed omnis qui occiderit Cain,&c.

Aliqui volũt,quòd Cain,cum videret se tot malis obrutũ,priori verbo optauerit mortẽ, qua putabat omnem suam miseriam finiri:quasi dicat:Si sic me eijcis,&c. nihil melius mihi esset,quàm vt omnis qui inuenerit me,occidat me. Ad quod respondet dominus:Non sic fiet,nõ patiar vt statim moriaris,non tam statim finietur pœna tua: imo hæc grauis erit pœna tua,vt diu viuas super terrã,& sis in signum & portentum omnibus viuentibus. Nec patiar vt quisquis te inueniat,te occidat. Qui enim te occideret,septuplicem illam pœnam tuam exolueret atq; finiret. Septem peccata cõmisisti. Primũ,ex ficto animo offerendo. Secundò,fratri inuidendo: Tertiò,admonitionem Dei spernendo. Quartò,fraudulenter fratrem educendo. Quintò,occidendo. Sexto,negãdo. Septimò, desperando:horũ cuilibet debetur pœna specialis,has autẽ finiret,& ab his te liberaret qui te occideret. In hũc modum quidam exponunt locum hunc,quibus occasionem præbuerunt septuaginta interpretes, qui transtulerunt: Septuplũ exoluet qui occiderit Cain. Alij volunt,& melius:quòd Cain mortem deprecatus sit, hoc est, petierit ne à quolibet occideretur. Ad hoc igitur respondet Dominus:Non sic fiet. quasi dicat:Non propterea aufero tibi vitã præsentem,quòd te reieci:imò viues adhuc super terram : vel ad maiorem pœnam tuam,vel ad correptionem & emendationem tuam,vel etiam ad exẽplum & terrorem aliorum. Propter has enim causas Deus impios patitur viuere. Deinde non ideo quibuslibet data est potestas te occidendi, propterea quòd ego te maledixi. Sed

Omnis qui occiderit Cain,septuplum punietur,&c.

Non solũ qui Abelem,id est,iustũ quempiã occiderit, punietur:sed etiã qui Cain,id est, impium quenquã occiderit. Hoc igitur verbo omnino prohibetur homicidiũ etiam malorũ hominũ . Non vult Deus occidi quos vel ad emendationẽ,vel ad exemplũ,vel ad pœnam reseruauit. Hoc tamẽ intelligendũ est de priuatis tantũ, non de magistratibus,quibus gladius à Deo cõmissus est,ad punitionem malorũ. Priuato autem,etiam si magistratus cesset,non licet occidere,etiã quem scit malũ esse:stat enim *Rom. 13.*

sen-

Mat.26. sententia: Qui acceperit gladium, gladio peribit. Vbi vides, quantū De⁹ etiā impiis prospexerit, ne habeāt quod iure vel de Deo, vel de piis querantur. Per hoc aūt Deus etiā docere voluit legē mansuetudinis, ne festinemus ad cōdemnationē eorū, quos scimus malos: Itē, ne iudices præcipitēt sententiā, &c. sic Deus nō statim occidit Cain. Quod autem dicit: Septuplū punietur, nihil aliud est, nisi perfectā vltionē dabit, & tantā pœnā, vt maior nō sit. Septenari⁹ enim numerus perfectionē interdū significat: interdū etiā vniuersitatē. Ideo aūt tātā pœnā cōminatur ei q̄ Cain occiderit, vt eo magis homicidio nos absterreat. Alioq̄ si malos occidere liceret, nemo nō arriperet occasionē interficiēdi eū quē odit, prætēderetq̄; eū esse malū.

Posuitq́; Dominus signum in Cain, &c.

Signum hoc putāt fuisse tremorē corporis. Quāquam autē Deus eū noluerit occidi, tamē spirituali signo eum notauit: vt oēs cognoscerent eum esse homicidā illū primū, qui fratrē proprium occiderit: vt vel sic infamiā cogeretur ferre. Alij volūt, sic legendū esse: Posuit domin⁹ Cain in signū. verè enim impij positi sunt in signū iræ Dei: imò etiā in signū misericordiæ. In ipsis enim videmus, q̄ Deus etiā impiis benefacit. Allegoricè prohibuit Deus ne occidatur Iudaicus populus interfector fratris sui, sci-
Psal. 58. licet Christi, iuxta illud: Deus præcepit mihi super inimicos meos, ne occidas eos, &c. Posuitq́; eos in signū omni-
Rom.11. bus populis, iuxta illud: Vide seueritatē Dei in Iudæis, &c.

Egressus est igitur Cain à facie Domini, &c.

Non sic intelligendum est, quod omninò ex oculis & conspectu Domini abire potuerit: hoc enim impossibile est, iuxta illud: Si ascēdero in cælū, tu illic es, si descēdero
Psal.138. ad infernū, ades, &c. Sed cū videret terrā maledictā esse, abiit ad aliū locum, si fortè illic fertilior esset: non enim credebat iudiciū Dei vsquequaq; pertingere. Secundū alios aūt, in exiliū abiit, relictis parētibus, apud quos erat verbū Dei: Vbi aūt verbū est, ibi & Deus est, quem Cain non ferens, abiit. Sic impij vbiq; correptionē Domini fu-
Iob.6. giunt, sed frustra. Qui enim timet pruinā, cadet super eū nix. Propriè aūt loquēdo, facies Dei est ipsius gratia & auxiliū. Egressus est igitur à facie Domini. i. omni erat gra-

tia

tia & auxilio destitutus. Verè miserabilis exitus, hoc modo à Deo relinqui. Sic Iudas egressus est à cõsortio Christi & Apostolorũ. Cõtra hoc Dauid clamat: Ne proijcias me à facie tua. Et iterũ: Ne auertas faciẽ tuã à me. Cæterũ quod habitasse dicitur in terra, nihil aliud vult, quàm quòd de spiritualibus & æternis desperans, totũ se dedit rebus tẽporalibus & terrenis. Profugus aũt habitasse dicitur in terra, tũ quia separatim habitabat (propterea ꝙ mansuetudinẽ humanã conuertit in feritatẽ beluinã) tum etiam, quia vbiq; sequebatur eũ conscientia puniens & mordens. Ad Eden aũt habitabat, prope scilicet paradisum, vt sic semper admoneretur parẽtũ & etiã proprij peccati. Per peccatũ parentũ perdiderat paradisum, per propriũ aũt peccatũ etiã ꝓmissa gratia se indignũ reddidit. *Matt. 26.* *Psal. 50.*

Cognouit aũt Cain vxorẽ suã, &c.] Quærunt hic curiosi, vnde Cain habuerit vxorẽ, cũ nullius adhuc mulieris mẽtio facta sit, q̃ Euæ matris. verũ certum est, quòd sororẽ habuit vxorẽ: hoc enim in exordio necesse fuit, nunc aũt omninò prohibitũ est. Vide igitur quid faciat Cain, desperans de cælestibus, voluptati se dat, & quia cõsolationẽ à Deo nõ habet, eã quærit in vxore & filijs. Vbi iterũ vides naturã impiorũ: supra miserabiliter cõquestus est, se eijci & relinqui à Deo, nihilo tamẽ melior efficitur. Sic faciunt oẽs impij. Atqui si de iudicio Dei cõquereris, cura vt emendes vitã tuam, & Deus quoq; auertet irã suam. Si pœnitentiã, inquit, egerit gẽs illa à peccato suo, agã & ego pœnitentiã super malo quod locut⁹ sum. Iã quod impio Cain filius nascitur, diuinã indicat benignitatẽ, qua etiam impiis benedictionẽ concedit: quanquam ipsis nõ sit benedictio. Quia enim filios nõ ad Dei honorem educant, sed ad peccata, maius fit eorũ peccatũ & pœna. Et quidem Eua in primo partu Deo gloriã dedit: itidẽ etiã infra faciet. hic autẽ nulla vel mẽtio Dei fit. sic impij, &c. Et quia Deo nõ dant gloriã, fit plerunq;, vt & filij eorum votis ipsorum non respondeant, idq; iusto iudicio Dei. *Leuit. 18.* *Ierem. 18.*

Aedificauit ciuitatem, &c.

Vide quàm citò impij crescant & augeantur. Mortuus erat pius Abel, & cũ ipso interiisse videbatur oĩs iustorũ generatio. Interim aũt Cain iã filium habet & ciuitatem.

verum

verum,quo citius crescit & augescit impius,eo citius interit.Sic Cain paulo post cum omni generatione sua in diluuio interiit,vt ne memoria eorum superfuerit.Econtra,piorum generatio tardè quidem crescit,sed imperpetuum durat.Merito igitur Dauid dicit: Noli æmulari in malignantibus,&c.Quoniam tanquam fœnum velociter arescent,&c.Et iterum:Ne timueris,cùm diues factus fuerit homo,&c.quoniam cum interierit,nô sumet omnia.

Psal. 36.

Psal. 48.

Impii igitur primo ædificare cœperunt.Erant etiã tunc alij,qui non leguntur ædificasse:alia enim curabant,népe spiritualia & æterna. Cæterum,quod Cain primus ciuitatem ædificauit,vel ideo factum est,vt impunita esset eius violentia.Secundum enim Iosephum,rapinis & cædibus insistebat.Nec mirũ,quod alijs nô pepercit,qui etiã fratrem occidit.Prima igitur causa ædificandarũ vrbium & arciũ,fuit tyrannis & violentia: id quod etiam nũc videmus. Vel ideo ædificauit,propter côtinuum timorem & tremorem.Et quemadmodum Adam in lignis paradisi se abscondit, sic ille muris se inclusit,& multitudine ornauit:sed vtrumque frustra. Non magis tueri te possunt muri,Deo iudicante,quàm folia texerunt Adamũ.Si securus esse vis,super Deũ te ædifica:Turris enim fortissima nomen Domini,&c. Vel tertio,ideo ædificauit ciuitatem terrenã,quia nullam habebat spem acquirendi cælestem:Sicq; peregrinus à summo fundamentũ posuit in infimis. Sic impij,quia corde transire ad cælestia negligunt,& cuncta præsentia fugitiua esse,nô intuentur:mentem in amore præsentis vitæ figunt,& quasi longæ habitationis in ea sibi fundamentũ construũt,quia in æternis rebus per desideriũ non solidantur. Imo sicut Cain terrenã ciuitatem ædificare festinat,sic hic impij fœlices esse festinant. Sed quid dicit scriptura : Hæreditas ad quam festinatur in principio,in fine benedictione carebit.

Prou. 18.

Prou. 20.

Hinc est quod impius Cain septimam generationem nô vidit. Eodem modo nec sequaces eius septimam illam diem & sabbathum æternæ quietis videre poterunt. Sũma,in stirpe Cain,Enoch,qui dedicatio dicitur, primus nascitur:in electorum vero progenie Enoch septimus fuisse memoratur:quia videlicet reprobi in hac vita seipsos ædificau-

ædificando dedicant, electi verò ædificationis suæ dedicationem in fine temporis, id est, in septimo expectant.

Vocauit eam ex nomine filii sui Enoch, &c.

Nec hic saltem Deo gloriam dat, vt ciuitatem Deo nõ adscriberet: sed virtutibus suis & filio, vt extenderet nomen suum, & immortale redderet. Quamuis quomodo potuit nomini suo bene cõsulere, qui fratricida fuit? Nomen eius iam ante satis manifestatum erat, propter cædẽ fratris. Sed hæc est cæcitas hominum mundanorum, qui inter summa bona censent, ab omnibus laudari. Omninò Cain debebat se occultare ab omnibus mortalibus, tamen contempta conscientia, quasi de peccato suo gloriatur. Sic enim impii lætantur, cùm male fecerint, &c. Prou. 2.

Enoch genuit Irad, qui genuit Mahuiahel, &c.

Hæc est posteritas Cain, quã breuibus exponit, deindè relinquit. Et quamuis nihil insigne de ipsis dicat, paucis tamẽ cõmemorare voluit, tũ vt ostẽderet, quomodo ipse Cain finierit vitã, tum propter artes quas inuenerũt posteri Cain, tum etiã, propter ipsum Lamech, qui Cain crẽditur occidisse. Hunc enim Lamech si addamus vel conferamus cũ Abel & Cain, habebimus tria genera hominum, quæ etiam nũc in mũdo cernimus. Abel iustus fuit, & in iustitia permansit, Lamech autem peccator quidem fuit, sed pœnituit, & confessus est. His tribus distinctionibus ex tũc vsq; hodie vniuersi homines distincti sunt, & duæ quidẽ partes saluãtur, iusti scilicet & pœnitentes: tertia aũt cõbustioni deputata est. Iuxta illud: Tertia pars terræ cõbusta est, & tertia pars arborũ cõbusta est, &c. Apoc. 8.

Lamech accepit duas vxores, &c.

Hic primus, præter institutionẽ Dei, digamiã introduxit, vt duas vxores simul duceret: in principio enim non sic fuit. Adherebit, inquit, vir vxori suæ, nõ vxoribus multis, & erunt duo, nõ tres aut quatuor in carnẽ vnam. Hęc autẽ digamia primo incepit in generatione malorum. Ea enim generatio seruiebat libidini & voluptati. Igitur si hunc Lamech conferamus cũ Adam & Cain, palam videmus oẽs vires hominis corruptas esse per peccatũ. In Adã videmus vim rationalẽ corruptã fuisse, qui mulierẽ Deo prætulit. In Cain videmus vim irascibilẽ corruptam, qui Gen. 2.

iræ plus æquo indulsit, in Lamech aût videmus vim cócu piscibilē fuisse corruptā, qui nō cótētus vna vxore, duas accepit. Quód aût patrū aliqui plures vxores habuerūt, ex dispēsatione fuit, quia ex ipsis nascitur⁹ erat Christus. Post natū aût Christū, digamia omnino probibita est, & ad primam institutionē coniugiū reductū per Christū.

Ada genuit Iabel, qui fuit pater, &c.

Fieri potest, Cain ideo se ad mœchanica conuertisse, quod videret terram non dare fructus suos: idque etiam filios docuisse & posteros. Hinc ipse Cain primo inuenit prudentiā politicā. Iabel autē artē faciendi tētoria, vt de loco malo ad bonū transferre possent: Iubal autē Musicā, vt leniret tristia: Tubalcain autē arma inuenit, quibus se defenderēt. Obseruandū igitur, quòd filii Cain primo inuenerūt artes varias acquirendi victū, &c. Sic enim filii
Lu. 16. huius seculi prudētiores sunt filiis lucis. Et quanquā hæ artes in se malæ non sint, imò ad præsentē vitā plurimūac cómodæ, nihil tamen faciunt ad futurā vitā. Tota igitur industria impiorū est in externis rebus. In spiritualib⁹ autē nihil sunt. Atqui nō satis est ad vitā, vt bonus sis musicus aut artifex, sed aliud requiritur: nempe, vt sis iustus. Habent quidē huiusmodi externæ artes laudem suam coram mundo, sed non coram Deo. Cæterùm in filiis Lamech, licet videre homines qui versantur in mundo, in quadruplici ordine esse. Nam alii dediti sunt rei pecuariæ, ac de loco ad locū trāseunt, vt augeant patrimoniū, hi signantur per Iabel. Alios inuenimus, quibus vita voluptuaria cordi est, & totos dies deducunt musicis instrumentis, hi signantur per Iubal: Sunt deinde efferi quidam & truculenti militares animi, quibus ferrum & arma cordi sunt, aliosq; violēter opprimunt, hi signantur per Tubalcain. Sunt postremò alii, qui tantùm gloriam quærunt in vestibus, honoribus, &c. hi signantur per Noemam sororem Tubalcain, quæ inuenisse dicitur artē texendi & pingēdi, aut cū margaritis, &c. Hæc, inquam, in praua hac generatione inueniuntur, Auaritia, Luxuria, Ira, Superbia: his dediti sunt filii huius seculi.

Occidi virū in vulnus meū, &c. Cómuniter tenetur, quòd Lamech occiderit Cain: quomodo aût & quādo, incertū est, quamuis Iudæi nescio quid hoc loco fabulētur. Quod

aũt Lamech hoc peccatũ ſuũ cõfitetur, Chryſoſtom⁹ in bonã partẽ exponit, quaſi Lamech pœnitẽtiã egerit. Vide igitur quid agit. Primo, nõ expectat donec Deus eum arguat, ſicut Cain fecit & Adã, ſed ex ſeipſo cõfitetur, id quod certiſsima via eſt ad ſalutẽ. Quod aũt peccatũ ſuũ cõfitetur, partim inde venit, quod cõſciẽtia eũ moleſtauit, partim, quod vidit Cain tãtopere punitũ. Conſciẽtia igitur in hac vita magnũ eſt donũ Dei: ſtimulat enim ad patientiã & pœnitentiã. Deinde etiã videmus hic, quod etiã per pœnas impiorũ Deus aliorũ ſalutẽ procurat. Pœnæ igitur non ſolũ vtiles ſunt his qui patiuntur, ſed etiã aliis qui vidẽt eas. Signãter aũt dicit Lamech: Occidi virũ in vulnus meũ, quaſi dicat, meipſum ſauciaui, cõſciẽtiã meã oneraui. Veriſsimè dictũ, lædere aliũ non potes, niſi prius teipſum lædas: & qui aliũ occidit, ſibiipſi primũ vulnus infligit. Deniq; etiã ſibiipſi pœnã irrogat, ac dignũ iũdicat ſumma pœna, quaſi dicat: Si Cain qui vnũ tantũ occidit, ſeptuplũ punitus fuit, ego commerui vt ſeptuagies ſepties puniar: quãdoquidẽ nedũ nõ emendatus ſum ex pena ipſius, ſed inſuper duos occidi, virũ & adoleſcẽtẽ. Atq; hæc eſſent bona ſigna verè pœnitentiũ. Alii tamen volũt, quod nõ fuerit vera cõfeſsio, ſed ſimilis ei quã ſupra audiuim⁹ de Cain. Nõ ex aĩo cõfitebatur, ſed vrgebat eum conſciẽtia: vexabatur mẽtis tyrãnide, ſic vt non poſſet occultare peccatũ ſuũ. Nam hoc ferè habemus, ꝙ cædes hoĩs valde cõſcientiã vexat. Deinde nec veniam petit: deniq; etiã deſperat. Quod enim dicit: Septuagies ſepties vltio ſumetur de Lamech: nihil aliud eſt, q̃ ſi dixiſſet cũ Cain: Maior eſt iniquitas mea, q̃ vt veniam merear. Alii ſic exponunt: Septuplum vltio dabitur, &c. quòd homicidium ipſius Cain punitũ fuit in ſeptima generatione. Adulterium autẽ ipſius Lamech, nõ niſi in ſeptuageſima ſeptima, hoc eſt, per Chriſtũ: tot enim ſunt generationes ab Adã vſq; ad Chriſtũ. Simpliſsimè autẽ poteſt locus hic ſic intellgi, quòd Lamech per hoc verbũ voluerit terrere vxores ſuas, quæ ipſum iuſto Dei iudicio propter digamiam introductam multum moleſtabant, quaſi dicat: ſi non ceſſaueritis me affligere, ſicque occideritis me, multo magis puniemini, q̃ qui ipſum Cain occidit. Luc. 3.

Sicque hoc verbũ etiam nos exterret ab homicidio, sicq; vbiq; in hoc capite admonemur charitatis. Hæc sunt igitur, quæ Moses de generatione Cain scribit, quam & tantũ ad vndecimã vsq; personã deducit, & in fœmina Noema scilicet cõcludit. Per vndenarium numerum significantur transgressores legis, quę decem verbis cõstat: per fœminã in fine positã, carnales & libidinosos sẽper futuros.

Cognouit Adam adhuc vxorem suam, &c.

Hactenus generationẽ impiorũ descripsit, quibus etsi attribuit industriam in rebus externis, quemadmodũ &
Luc. 16. Christus eos docet esse prudentiores filiis lucis in generationibus suis. Nihil tamen quod verè bonum sit de eis scripsit. In tota enim generatione nulla fit mentio fidei, spei, charitatis, virtutis, cultus diuini, aut etiã Dei: de his enim rebus nulla eis cura erat. Econtra autem nihil non malorũ de ipsis dixit, incredulitatẽ scilicet, hypocrisim inuidiam, contemptũ Dei, homicidia, desperationẽ, auaritiam, luxuriam, & similia. Hæc autem nõ ideò descripsit Moses, vt ea imitemur, sed vt caueamus. Et vt videamus quàm misera creatura sit homo, qui ad externa quidẽ industrius est, nihil tamen in se boni habet, plurimum autẽ
Iohel. 1. mali, & quasi iumentũ putrescit in stercore suo. Nunc autem relicta generatione impiorum, ad generationẽ piorum describendam se conuertit: quam quidem & supra in Abele exorsus est: sed propter eius necem omittere coactus est. Nunc autem de nouo incipit, & alium stipitem ponit, ipsum scilicet Seth: de cuius posteritate deinceps dicet. Et quamuis etiam Adam alios filios habuit, tamẽ nihil de eis dicit, tum quia fortè mali erant, tũ quia ad lineam Christi non pertinebant. Propositum autem Mosi fuit, homines ad Christum ducere, ideò eam lineam tantum prosequitur, vnde Christus ortus est. In qua linea primum videmus, quòd Deus generationẽ piorũ, etsi ad tempus videbatur deleta, noluit tamen vt omninò periret. Iã enim decretũ erat, filiũ Dei inde naturã humanã
Gen. 3. assumpturũ. Deinde vide, quomodo fidẽ Adæ probauit: Promiserat ei bonũ semẽ ex muliere, quod etiã caput serpentis cõtriturum esset, interim tamen permittit Abelẽ iustũ occidi, impios solos in terra regnare, idq; nõ breui

tempore,

tempore,sed cētum triginta annis(tot enim annorum erat Adam,cū nat⁹ est Seth.)Quis hic nō putasset promissionē Dei irritā esse?Hic autē vides, quòd Deus etsi pro missiones suas ad tempus differat,non tamen fallit.Hinc est illud propheticum:Si morā fecerit, expecta eum,&c. *Gen.5.* *Abac.2.*

Vocauit nomen eius Seth,dicens: Posuit,&c.

Hic iterum audis gratiarum actionē.Dominus,inquit, posuit mihi filiū:nihil tale audisti in generatiōe impiorū. Deinde,non simpliciter dicit: Dñs dedit filium. Nam & prius ei dederat Cain & Abel:neuter tamen permāserat. Nam alter eorum corpore,alter anima perierat.Hunc autem posuit mihi Dominus,inquit,vt scilicet maneat,& sit fundamentum & stipes sanctæ generationis. Addit autē: Pro Abele,quem occidit Cain,quasi post tot annos adhuc exprobrans ipsi Cain homicidiū perpetratum. Nec mirū:magno enim dolore parētes affecerat Cain:Quamuis enim scirent, se morituros, nondum sciebant experientia,quid mors esset,& quàm deformis, donec in proprio filio Abele viderūt:& ex hoc dolore, secundū Hebręos,centū annos luxerūt.Vide igitur quantū malū sit peccatū,quod etiā parētib⁹ filios naturaliter dilectos inuisos facit,&tot annorū curriculo nō in obliuionē venit

Seth autem genuit Enos,&c.

Hic incipit generatio iustorū, postquam Seth etiam filium suū sortitus est,bonū & religiosum. Et quamuis Enos paucis verbis hic celebretur,amplum tamen præconium in tam mala generatione habet,quod se cultui Dei dedidit.Propter hoc enim idem ei periculū imminebat à mala generatiōe,quod iustus Abel perpessus fuerat.Nec tamen ob id destitit.Atq; hoc est quodChristus docuit: Qui me cōfessus fuerit corā hoībus,cōfitebor & ego eū. *Matt.10.*

Iste cœpit inuocare nomen Domini,&c.

In Hebræo habetur:Tunc cœpit inuocari nomē Dñi. Cum enim non solum Adam,sed etiam Seth bonū filium haberet,cresceretq; etiā iustorū generatio, cœpit Ecclesia cōgregari,verbū Dei prędicari, nomē Dñi inuocari, cœperūt altaria cōstrui,cæremoniæ aliquæ institui,sacrificia fieri,atq; adeò Deus coli.Oīa hæc in inuocatiōe nominis Dñi includuntur.Vides quod nō nuper incepit Ec

clesia sanctorũ, sed ab antiquo. Vides insuper, quòd primum ecclesiæ piorũ studiũ est verus cultus Dei. Generatio Cain ad ædificia aliaq; externa se conuertit: hi autem, etsi & ipsi externis vsi sint, prima tamen eorum cura erat, ante omnia quęrere regnũ Dei, queadmodũ & Christus docet. Pertinet aũt hic locus etiã ad cõsolationem, qua Adã & Eua cõfirmati sunt, posteaq̃ viderunt pium senẽ exortũ esse, cum annos plus centũ nihil vidissent, præter impiam & maledictam multitudinẽ familię Cain. Textus autem noster habet. Iste cœpit inuocare nomen Domini. nimirum Enos significans, quod tamen non sic intelligendũ, quòd ante hunc nemo inuocauerit nomen Domini, cũ etiam Abel inuocauerit, & Adam. Imò fateri cogimur, ab eo tẽpore quo verbũ Dei datum est hominibus, nunquã defecisse fidẽ, sed semper in aliquibus remansisse. Sicq; occiso Abele, fides in Adam & Eua per-
Rom.10. mansit, vbi aũt fides, ibi est inuocatio nois Dñi. Quomodo, inquit, inuocabũt, in quẽ nõ crediderunt? Sic aũt intelligendũ est, quod hic dicitur: Iste cœpit inuocare, &c. vel quod primus Deum sub hoc noĩe Dominus inuocauit, publiceq; se Dei seruũ cõtestatus sit: vel quòd Deum perfectè coluit, non hypocriticè sicut Cain. vel tertiò, quòd cultũ Dei sub Cain & generatione eius, qui tyrãni erãt, collapsũ restituere cœpit, nihil eorũ tyrãnidẽ verit. Ob hãc causam Enos dicitur, quod interpretatur homo. qui enim Deũ colit, hominis vocabulo dignus est: qui
Psal.48. aũt Deum negligit, nõ homo, sed bestia est. Comparatus enim est iumẽtis, & similis factus est illis. Obseruandum tamen, quòd Enos non simpliciter hominem significat, iuxta proprietatẽ linguæ Hebrææ, sed hominem afflictũ & miserum, quod & ipsum pulchrè iusto huic congruit, omnibusq; piis, qui multipliciter ab impiis affliguntur.

Caput quintum.

HIC est liber generationis Adam, in die qua creauit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum. Masculum et feminam creauit eos: & benedixit illis: & vocauit nomen eorum Adam, in die quo creati sunt. Vixit autem Adam centum triginta annis: & genuit filium ad imaginem & similitu-

militudinem suam, vocauitque nomen eius Seth. Et facti sunt dies Adam postquam genuit Seth, octingenti anni,genuitq; filios & filias. Et factum est omne tempus quod vixit Adam, anni nõgenti triginta, & mortuus est Vixit quoque Seth centum quinque annis, & genuit Enos. Vixitque Seth, postquam genuit Enos, octingentis septem annis, genuitque filios & filias. Et facti sunt omnes dies Seth nongentorum duodecim annorũ, & mortuus est. Vixit verò Enos nonaginta annis, & genuit Cainan. Post cuius ortum vixit octingẽtis quindecim annis, & genuit filios & filias. Factique sunt omnes dies Enos nongenti quinque anni, & mortuus est. Vixit quoque Cainan septuaginta annis, & genuit Malaleel. Et vixit Cainan postquam genuit Malaleel, octingentis quadraginta annis, genuitque filios & filias. Et facti sunt omnes dies Cainan nongenti decem anni, & mortuus est. Vixit autem Malaleel sexaginta quinque annis, & genuit Iared. Et vixit Malaleel postquam genuit Iared, octingentis triginta annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Malaleel octingenti nonaginta quinque anni, & mortuus est. Vixitque Iared centum sexaginta duobus annis, & genuit Henoch. Et vixit Iared postquam genuit Henoch, octingentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt oẽs dies Iared, nongenti sexaginta duo anni, & mortuus est Porrò Henoch vixit sexaginta quinque annis, & genuit Mathusalem. Et ambulauit Henoch cum Deo, & vixit Henoch postquam genuit Mathusalem, trecentis annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Henoch trecẽti sexaginta quinque anni, ambulauitque cum Deo, & non apparuit: quia tulit eum Deus. Vixit quoque Mathusala centum octoginta septem annis, & genuit Lamech. Et vixit Mathusala, postquam genuit Lamech, septingentis octoginta duobus annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Mathusalæ nongenti sexaginta nouem anni, & mortuus est. Vixit autem Lamech centum octoginta duobus annis, & genuit filium, vocauitque nomen eius Noe, dicens: Iste consolabitur nos ab operibus & laboribus manuum nostrarum in terra cui maledixit Dominus. Vixitque Lamech, postquam genuit Noe, quingentis nonaginta quinque annis, & genuit filios & filias. Et facti sunt omnes dies Lamech, septingenti, septuaginta septem anni, & mortuus est. Noe verò, cùm quingentorum esset annorum, genuit Sem, Cham, & Iaphet.

SIcut supra diximus, ortum mundi, lapsum, & restitutionē hominū ideo describi, vt sciamus & nos esse ad quos verbū dei pertinuerit, & idē esse verbū dei, quod ab initio mundi prędicatū est, & quod nos accepimus. Sic hoc loco primo videndū, cur tanta diligētia Moses genealogias primū describat, vt nedū ipsas psonas nominet, sed etiā annos numeret. Hoc autem primo ideo fecit, vt certi redderemur de historiis tēporū: ne cū aliis supputādo erremus. Aliæ enim historię admodū discordāt, maximè in numero. Nusquā aūt certiorem numerū inuenies, quàm cōputādo annos patrū: vt hic habetur. Deinde ideo has genealogias describit, vt certi simus, unde & ex qbus patribus sit Christus. Hoc enī in vniuersum agit scriptura, vt nos de Christo certissimos reddat. Atq; id ita oportuit, eo quod venerit Christus tectus formis crucis, vt à carne agnosci nō potuerit. Præterea genealogias ideo descripsit, vt admoneamur exemplorū pietatis, quam in patribus videmus. Quanquā igitur caput hoc videatur nudam genealogiam texere: nō pauca tamen iuxta hoc notatu dignissima interseruntur.

Hic est liber generationis Adam, &c.

Primum, nō temerè est, quòd tanto apparatu incipit, quasi Cain cū sua posteritate nō fuerint filii Adæ, & homines. verū hoc primo verbo nos attentos reddere voluit, ad cōsideratiоnē sanctę huius generationis: quasi dicat: Satis superq; iam diximus de impia gederatione, quę quia seipsam gratia omnibusq; Dei donis priuauit, indigna est de qua plixior sermo aut mētio fiat. Núc igitur ad aliam generationē nos vertamus. hic nihil nō egregiū videbitis. Iste est liber generationis Adæ, &c. Vbi iterū videmus, quantū malū sit peccatum, quod hominē nedū gratia Dei priuat: sed oībus etiā hoīb9 abominabilē facit.

In die quo creauit Deus hominem, &c.

Non sic intelligendū, quòd Adam ipso statim die creationis suæ generare cœperit: sed dies hic pro tempore accipitur. Anteq̄ igitur Moses hominis genealogiā describat, prius aliqua repetit, quæ supra latius explicauit. Primò creationem. Deus, inquit, creauit hominem, vt scilicet sciamus, cui ascribere debeamus vitam nostram, &

alia,

alia. Secūdò etiā hoc repetit, quòd ad imaginē Dei factus est homo, vt recogitemus dignitatē conditionis nostrę, grauitatemq; casus nostri, & studeamus eandē magnitudinē Dei in nos reparare per fidē & imitationē Christi, qui est ipsissima imago Dei. Tertiò repetit, quòd Deus & masculum & fœminam fecerit, ne sexus sexum contēnat, aut vnus alteri se præferat, imò magis se diligant, vt qui vnū habeant principiū. Quartò repetit quòd eos benedixerit, vt cùm audierimus genealogias patrum, sciamus benedictionē Dei esse filios procreare, maximè sanctos filios. Postremò, Vocauit, inquit, nomen eorum Adam, quod in Hebræo hominem significat, sed è terra creatum: vt scilicet ex ipso nomine nostro, meminerimus, nos esse terrenos & mortales. Hæc inquam quinque repetit Moses, vt fortius animis nostris inculcet: non igitur putes esse inutilem repetitionem. Heb. 1.

Vixit Adam centum & viginti annos, & genuit, &c.

In hac genealogia primò obseruandum, quod tantùm decē personæ nominantur ab Adam vsq; ad Noë & diluuium, cùm supra in genealogia impiorum vndecim nominentur: quo statim innuitur quod generatio piorum in præceptis Dei, quæ in denario numero continentur, permansit: impii autē transgresi sunt præcepta, sicut vndenarius numerus transgreditur denarium. Deinde quod tam diligenter recenset nomina decē illorum patrū, omnibus aliis præteritis, ostendere voluit hos fuisse veros patriarchas, viros prudētes, sanctos, qui principatum tenuerint in generatione iustorum, filiosq; suos diligenter instruxerint in timore Dei, & quòd etiam impii veneranti fuerant. Obseruandum tertiò, quod in qualibet harum generationum additur, Genuitque filios & filias: ne putemus paucos homines tēpore diluuii fuisse in terra. Quid enim opus fuisset generali diluuio tam paucos homines perdere? voluit igitur ostendere genus humanum mirum in modum auctum. Si enim in ducentis annis in AEgypto tam vehementer aucti fuerunt Israelitę, multò magis augeri potuerunt homines in mille sexcentis quinquaginta sex annis: tot enim fuerunt ab Adam vsque ad diluuium. Quod autē nullam aliorū mentionē facit, ideo

sit, quia non erat possibile omnes mores & conditiones recensere, imo nec necessarium: satis enim exéplorũ habemus in paucis his quos nominatim perstringit, si pietas nobis cordi est. Obseruandũ quarto, quod nullus horũ patrũ ante sexagesimũ annũ generasse legitur, imo pauci ante centesimũ: quod & ipsum insigne indiciũ est castitatis & téperantiæ, & quod libertate cõiugali nõ vsi sunt, nisi ad prolé procreandã. sicq; patres illi etsi vxores & liberos habuerũt, tamẽ castitatis exemplũ nobis præferũt. Imo etiã damnãt leuitatẽ & luxuriam nostrã, qui summũ flagitiũ putamus viuere in cœlibatu. Econtra summum Dei cultũ vxores ducere, quasi nullus alius status in Ecclesia sit aut esse possit, quàm coniugium: aut quasi non amplius diabolo resistendum sit, sed statim concupiscẽtiis in omnibus satisfaciendum: aut deniq; quasi periculũ sit homines in terris defuturos, nisi omnes matrimonium contrahamus, contemptis etiam quibuscunq; votis. Sic enim ad inuidiam vsq; cõmendamus matrimonium, at
1.Cor. 7. non sic Paulus, qui coniugium quidem vt dignũ est laudauit, iuxta hoc tamen etiã virginitatẽ laudauit, imò & consuluit. Cæterùm quod patres hi tanto tempore cælibes vixerunt, causa fuit quòd bene instituti fuerunt in timore Dei: sicut econtra familia Cain statim generare cœperunt, & ad voluptates se dederunt, non alia causa fuit, quàm quòd nõ fuerunt instituti ad timorẽ Dei: ideo summam felicitatem ponebant in voluptatibus. Eadem causa fit etiam nunc, vt filii nostri vix dum nubiles matrimonia contrahant: non erudiuntur, sed in omni lasciuia educantur. Obseruandum quintò, quòd in prima generatione dicitur, Adam genuit filium ad imaginem suam, qđ dupliciter exponitur: primò in bonã partẽ, vt sit sensus: Adam genuit filium bonis moribus, patri similem, non ab exemplo patris degenerantẽ, quẽadmodum Cain fecerat, sed patris pietatẽ per omnia imitantẽ. Alio modo intelligitur in malam partẽ, vt sit sensus, Adam filios suos generare debuerat ad imaginẽ Dei & similitudinẽ, hoc est, pios, sanctos, & cæt. sed quia eandem Dei similitudinem perdidit per peccatum, deinceps non alios filios generauit, quàm ad suam ipsius imaginem, hoc est,
peccator

peccator genuit peccatores, damnatus damnatos. huc pertinet quod Paulus ait: Omnes ſumus filij iræ. Hæc eſt imago Adæ, in qua omnes naſcimur: ſolus Chriſtus filios ſuos ad imaginem Dei generat, & reſtituit, reformatq́;. Obſeruandum ſexto, quod tam longo tēpore patres hi vixiſſe ſcribuntur, vt quibuſdam incredibile videatur, & quidā ob id voluerint annos illos non tam lōgos fuiſſe vt nunc ſunt, ſed tantùm menſtruos, verùm cōtrarium poſtea videbimus in Noë, cuius vnus annus quo fuit in arca per duodecim menſes deſcribitur. Cæterùm quòd patres illi tam diu vixerunt, partim fuit ex bonitate cōplexionis, partim ex temperato modo viuendi (veriſsimum enim eſt illud Sapiētis, crapula multos periiſſe. *Eccle.37.* Simul aſsis miſcueris elixa, ſimul conchilia turdis: Dulcia ſe in bilem vertēt, ſtomachoq́; tumultum Lenta feret pituita. ait Horatius.) Econtra autem illi, quemadmodum in vſu venereo, ſic & in cibo fuerunt tēperatiſsimi. Quid igitur mirū quòd pluribus annis vixerunt quàm nos, qui in vtroq; intemperatiſsimi ſumus? Partim etiam longæuitas illa patrum fuit ex eo, quòd terræ naſcentia ante diluuium fuerunt efficaciora quàm nunc: itēq; ex eo quòd ſciuerunt naturas & virtutes herbarum: potiſsima tamē cauſa huius tantæ longæuitatis fuit diuina voluntas. Vnde etiam conſentaneum eſt, alios homines non tam diu vixiſſe, ſed quòd Deus patres illos ſingulari dono tot annos viuere permiſit, vt poſteritatem erudirent. Sic Adam nongentis triginta annis omnem populum erudire potuiſſet ſi audire voluiſſent: ſimiliter etiā alij patres, &c. Ita nullis nō ſeculis Deus conſuluit, & ſemper egregios viros aliquot qui cæteros excellebāt ſeculo dedit, vt voluntas Dei doceretur & cognoſceretur. Poſt diluuiū nō opus erat vt tam longæui eſſent, quia tunc mundus nouis miraculis fuit inſtitutus. Nec nūc opus habemus tot annis, quandoquidem etiam breui tempore magna præmia conſequi poſſumus: imò nec vtile quidem eſſet, vt tam diu viueremus. cùm enim ſubinde proniores ſimus ad peccandum, quid aliud ex multis annis, quàm multitudinem peccatorum reportaremus? Ex miſericordia igitur Deus homini vitā breuiauit, ne diu miſer eſſet, & peccata

in im-

in immensum augeret. Obseruandũ septimo, quòd quantocunq; tempore patres illi vixerunt, nullus tamen eorũ millesimum annũ attigit, vt videamus etiam lõgissimam vitam in hoc mundo, ne punctũ quidem esse ad æternitatem: nam mille anni coram Deo, sunt quasi dies hesterna
Psal. 89. quæ præteriit. Obseruandum octauo, quod omnibus, vno Enoch dẽpto, in fine additur, & mortuus est: quod
Gene. 2. ideo addidit & tam crebro replicauit Moses, primo, vt videamus Deum veracem qui dixit, in quacunq; die co-
Gene. 3. mederis, morieris: Secundo, vt videamus diabolum in promissis suis mendacem, dixerat enim, nequaquam moriemini, &c. Tertio, vt videamus quòd etiam longa vita non liberat nos à morte: Quarto, vt habeamus differentiam inter hanc & futuram vitam: hæc enim præsens vita morte finitur, illa autem æterna est.

Enoch ambulauit cum Deo, &c.

Huius iustitiam signanter commẽdat, ne putetur propter breuiorem vitã aliis deterior fuisse. Ambulare autẽ cum Deo, est Deo familiarem esse, heroicam cõuersationẽ inter homines agere, in timore Dei viuere, præceptis eius obsequi. Signanter etiam de hoc dicitur, quòd placuerit Deo, cũ tamen fuerit vxoratus: coniugium ergo non impedit quo minus Deo placere possimus. Errant igitur, qui cùm in coniugio sint, nihil ad se pertinere putant, quæ de virtutibus dicuntur, quasi ea ad solos religiosos pertineant. Impij idem faciunt, qui propter vxorem & filios quæ Dei & salutis sunt negligunt. Cæterum Enoch quamuis paucis annis vixerit, tamen consumma-
Sap. 4. tus in breui expleuit tempora multa: Aetas enim senectutis vita est immaculata.

Et non apparuit, quia tulit eum Dominus, &c.

Iudæi putant eum ideo raptũ, quia pronior erat ad mala, ne quando caderet in peccatum, iuxta illud: Raptus
Ibidem. est ne malitia mutaret animum eius, &c. Nostri aũt, quòd propter sanctitatẽ suam raptus sit, vt sciamus quæ sit remuneratio iustitiæ. Vel etiam ideò tulit eum Dominus, ne tanto tẽpore affligeretur super terrã: alij enim patres multa à malis perferre coacti sunt, vt patebit in Noë.
Quo autem ipsum transtulerit non exprimit Moses: Cre
ditur

ditur tamen translatus in paradisum quemadmodum & Helias. Sicut igitur propter peccatum Adam è paradiso eiectus fuit, sic Enoch propter iustitiam in paradisum translatus. Per hunc igitur raptum ostēdere voluit quid Adam perdiderit: sic enim suo tēpore omnes citra mortem translati fuissemus ad meliorē vitam, si in innocētia permansissemus. Deinde ideò etiam tulit eum dominus, vt cōfirmaretur fides patrum de futura vita, quasi dicat: En hoc ipso facto agnoscite, quòd aliam vitam habeo & meliorē, in qua sanctos remunerabo. Enoch igitur qui septimus est in generatione iusta, significat requiem futuram quæ nos expectat, si in sex diebus præsentis vitæ operemur bona. 4.Reg.2.

Iste consolabitur nos ab operibus nostris, &c.

Hic iterū videmus quòd antiqui non casu nomina imposuerunt filiis, sed ex certa causa: sic Noë nomen accepit à requie quæ per ipsum ventura sperabatur. Quod autem Lamech dicit, Iste cōsolabitur nos, &c. sic accipi potest, quasi putarit hunc filium esse semen illud à Deo promissum, quod diaboli caput contereret: quemadmodū & Eua cum diceret, Acquisiui hominē per Deum. Sciebant sancti patres Christum ex semine ipsorum venturum, sæpius tamen errabant in persona, quēadmodum hic videmus. Potest etiam sic accipi, quòd Lamech respexerit ad malitiam hominum sui temporis, quæ iam ad summū peruenerat, vt infra patebit, ideò non dubitabat insignē aliquam rerum mutationē imminere: vnde dicit, Iste cōsolabitur nos, &c. quasi dicat, Quia in tantum aucta est malitia, fieri non potest vt Deus diutius dissimulet: in diebus igitur huius filii mei reformabitur terra, cessabitq; tanta impietas. Alii volunt quòd Lamech respexerit ad commoditates quas Noe præstitit humano generi. Noe enim primus iunxit animalia aratro, ac per hoc abstulit agriculturæ molestiam: prius enim tantùm per manuales labores hominum colebatur terra. Deinde Noe inuenit gratiam coram Deo, vt arca fabricata semē mundo seruaret. Præterea Noe cōseruauit verbum Dei & promissionem, ac per hoc alios tēpore vniuersalis diluuii consolabatur, &c. Hæc præuidens Lamech dixit, Iste consolabitur,

bitur,&c. perfectius autē hoc verbum in Christo impletum est. Mysticè, tunc vera consolatio nobis datur, cum à nostris operibus quiescimus & sabbathum agimus, quæ quies per Noë significatur.

Caput sextum.

CVMQVE cœpissent homines multiplicari super terrā, & filias procreassent, videntes filij Dei filias hominum quòd essent pulchræ, acceperunt sibi vxores ex omnibus quas elegerant. Dixitq; Deus: Non permanebit spiritus meus in homine in æternū, quia caro est: eruntq; dies illius centum viginti annorum. Gigantes aūt erant super terrā in diebus illis. postquam enim ingressi sunt filij Dei ad filias hominū, illæq; genuerunt, isti sunt potentes à seculo viri famosi. Videns aūt Deus quòd multa malitia hominū esset in terra, & cuncta cogitatio cordis intenta esset ad malū omni tempore, pœnituit eū quòd hominē fecisset in terra. Et præcauens in futurum, et tactus dolore cordis intrinsecus, Delebo, inquit, hominē quem creaui à facie terræ, ab homine vsq; ad animātia, à reptili vsq; ad volucres cæli: pœnitet enim me fecisse eos. Noe vero inuenit gratiā corā domino. Hæ sunt generationes Noe. Noe vir iustus atq; perfectus fuit in generationibus suis, cum Deo ambulauit. Et genuit tres filios, Sem, Cham, & Iaphet. Corrupta autē est terra coram Deo, & repleta est iniquitate. Cumq; vidisset Deus terram esse corruptā (omnis quippe caro corruperat viā suam super terram) dixit ad Noe, Finis vniuersæ carnis venit corā me: repleta est terra iniquitate à facie eorū, & ego disperdam eos cum terra. Fac tibi arcā de lignis leuigatis: mansiūculas in arca facies & bitumine linies intrinsecus & extrinsecus. Et sic facies eā: Trecentorū cubitorū erit longitudo arcæ, quinquaginta cubitorum latitudo, et triginta cubitorū altitudo illius. Fenestrā in arca facies, & in cubito consummabis summitatē eius: ostium autem arcæ pones ex latere: deorsum, cœnacula, & tristega facies in ea. Ecce ego adducā aquas diluuij super terram, vt interficiā omnem carnē in qua spiritus vitæ est subter cælū, & vniuersa quæ in terra sunt, consumentur. Ponamq; fœdus meū tecum: et ingredieris arcam tu & filij tui, vxor tua & vxores filiorū tuorū tecum. Et ex cunctis animātibus vniuersæ carnis bina induces in arcā, vt viuant tecū: masculini sexus & fœminini. De volucribus iuxta genus suū, & de iumentis in genere suo, & ex omni reptili terræ secundū genus suum:

suum: bina de omnibus ingredientur tecum, vt poßint viuere. Tolles igitur tecum ex omnibus escis quæ mandi possunt, & comportabis apud te. & erunt tam tibi quàm illis in escam. Fecit igitur Noe omnia quæ præceperat illi Deus.

HOc capite incipit insignis illa historia de diluuio quo totus mũdus periit: antequã tamen ipsum diluuiũ describat, pr̨mittit aliqua quæ prius cõtigerunt. Primo, quæ peccata præcesserint diluuiũ. Deinde, quomodo Deus prius cõminatus sit diluuiũ quàm induxerit. Tertio, ꝙ huiusmodi cõminationibus nihil profecit apud impios. Quarto, quomodo ipsi Noë domuique eius cõsuluerit per arcã, vt seipsos seruarẽt ab imminenti perditiõe. Postremò ipsum Noë etiã in exemplũ pietatis & iustitiæ nobis proponit. Peccata aũt quæ diluuiũ præcesserunt h̨c fuerunt, primũ promiscua libido atq; adeo luxus oĩs generis qui cũ libidine cõiunctus est. Et quia libido secũ potissimũ habet securitatẽ, contemptricẽ iudiciorũ Dei, accusatur hic quoq; securitas & cõtẽptus verbi Dei & cõminationũ. Præterea nõ tantũ filij Cain peccabant, generationes impiæ, sed etiã filij Dei, hoc est, generationes sanctæ & principes: vt iã propè in vniuersum Dei memoria interiret, Adh̨c opprimebãtur inopes pro libidine potentiorũ, nã gigãtes erant. Terribilissimũ aũt oĩum est, ꝙ in octo tantũ hoĩbus aliquid timoris diuini remãserit. Ideò aũt Moses tã dilig̃eter descripsit peccata hominũ, ne quis miretur cur tãtã pœnã irrogauerit Deus: itẽq; ne quis calũnietur iudiciũ Dei. Eadẽ peccata etiam ante iudicij diẽ futura sunt, dicit enim Christus. Edẽt, bibent, nubẽt, &c. quo verbo libidines & luxũ notauit. Securitatẽ accusat Paulus cũ dicit: Cũ dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Neglectũ doctrinæ accusat idẽ Paulus cũ dicit: A veritate auditum auertent, ad fabulas autẽ cõuertentur. Abundantiã malorũ paucitatẽq; bonorũ Christus indicat cũ dicit: Cũ venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Et iterum: Abundabit iniquitas, & refrigescet charitas multorum. Omnia autẽ h̨c etiã nunc in mundo manifestissime cernimus: quare certũ est non procul abesse iudiciũ Dei.

Matt. 24 *1. Thess. 5* *2. Tim. 4* *Luc. 18.* *Mat. 24.*

Cumq; cæpissent homines multiplicari, &c.

Hic primò videmus,quod & supra admonui,non paucos aliquos homines in terra fuisse tempore diluuij: etsi enim Moses paucos nominatim recenseat,interim tamé plures annos numerat, & hic manifestè dicit homines multiplicatos: imo in mille sexcentis quinquaginta sex annis per omné terram multiplicari potuerunt homines, quoniam qui ex vno Abraam in quadringentis annis descenderunt,Ismaelitæ scilicet, Idumæi, & Israelitæ, tantum terræ spacium occuparunt.Signanter auté dicit homines multiplicatos esse & creuisse,non auté fidem, deuotionem,virtuté:sic enim & in Israëlitis & in Christianis etiam contigit, vt quo magis cresceret numerus, eo magis decrescerent virtutes,iuxta illud:Multiplicasti gé- *Isaie.9.* tem,non magnificasti lætitiam.

Videntes filij Dei filias hominum,&c.

Per filios Dei aliqui intelligunt angelos,quos volunt in cælo simul perstitisse vsq; ad hoc tempus,& hoc fuisse peccatum eorum propter quod è cælo deiecti sint, verũ fictitia hæc sunt. Supra enim habuimus, quòd diabolus *Gene.3.* primum hominé in paradiso tentauerit, vnde patet quòd ante creationem hominis deiecti sint angeli apostatici. Et quamuis experientia cognoscamus dæmones nõnunquam cum mulieribus concumbere, nõ tamen verisimile est quòd Moses de hoc nunc loquatur:non enim peccatum dæmonum,sed hominũ describere intẽdit. Alij per filios Dei filios potentum intelligunt (nam in scriptura iudices & præsides dicuntur dij)nec dubium est quin filij potentũ etiam in hac transgressione fuerint,imò etiã primi (sic enim solent etiam nunc filij potẽtum omnibus vitiis indulgere) verùm nõ fuerunt soli,infra enim dicitur:Omnis terra corruperat viam suam. Per filios igitur Dei intelligit generationem ipsius Seth, & aliorum sanctorum patrum:Erant quidé & ipsi natura homines & filij hominum,sed quia è sanctis parentibus nati erant & verbum Dei habebant,filij Dei vocabantur.Sic enim & aliàs *Psal. 81.* in scriptura pij homines dicuntur filij Dei:hinc psalmus: *Isaie.1.* Ego dixi dij estis, & filij excelsi omnes. Et in Isaia: Fi- *Ioan.1.* lios enutriui & exaltaui, & cæt. Et in Euangelio: Dedit eis po-

eis poteſtatẽ filios Dei fieri, his qui credunt in nomine eius,&c. Vide igitur quanta ſit differentia inter bonos & malos, vt hi quidẽ filii hominum, illi autẽ filii Dei dicantur. vide etiam q̃ inſigni titulo pii celebrentur, quòd vel ſolum nos ad pietatẽ allicere deberet: Videte, inquit Ioannes, qualem charitatẽ dedit nobis Deus, vt filii Dei nominemur & ſimus. Econtrà vide quàm contemptibiliter appellentur impii: filii hominum enim dicuntur. & quid vilius fragiliuſque homine? homo vapor eſt ad modicum parens: Et vos autẽ ſicut homines moriemini,&c. Quanquam hi de quibus hic loquitur, ſolo nomine filii Dei erant, nomen retinuerant non virtutẽ nominis: de nomine gloriabantur, cùm interim peiores aliis erant: imò hoc honeſto nomine pro velamine vtebantur peccatorum. Sic Iudæi gloriabantur ſe eſſe filios Abrahæ, imò & Dei, cũ nihil minus eſſent. Sic nos nomine Chriſti & Eccleſiæ, Euangelii & religionis plerunque gloriamur, cùm ſimus diuerſiſsimi. Ex hoc igitur loco diſcimus, etiam filios ſanctorum non omnes eſſe bonos: boni enim filii non ex natura naſcuntur, ſed à Deo dantur. Diſcimus itẽ, quòd fruſtrà eſt omnis humana inſtructio, niſi adſit & diuina. Præterea diſcimus hinc, eos qui vel maximè religioſi videntur, ſi cadere cœperint, peruerſiſſimos fieri. Sed ad textum.

1. Ioan. 3

Pſal. 8.

Ioan. 8.

Videntes, inquit, filii Dei filias hominum, &c.

Ex hoc loco primo videmus, quàm perniciosum ſit bonis moribꝰ, cũ impiis conuerſari: Commixti, inquit, ſunt inter gẽtes, & didicerunt opera eorũ. Sic Iſraelitæ aliquã diu inter AEgyptios verſati, vix obliuiſci potuerunt AEgyptios mores. Ob eam cauſam Iſraelititis inhibitũ erat, ne vnquam amicitias, maximè autẽ ne coniugia contraherent cum alienigenis. Ob eam cauſam Abraã & alii noluerunt filiis ſuis vxores dare ex alienigenis, ne ad idololatriam inducerentur. Ecõtra autẽ Salomon alienigenas ducens, per eas ſeductus eſt. Idẽ cõtigit his filiis Dei de quibus hic fit ſermo. Hinc eſt ꝙ in ſcriptura vbique monemur vitare cõſortia malorũ. ſic Ieremias dicit: Fugite de terra Babylonis, & ſaluet vnuſquiſq; animã ſuam. Et Oſeas: Nolite ire in Galgala neq; in Bethauen, loca

Pſal. 105

Deut. 7.

Gen. 24.

3. Reg. 11.

Ierem. 51

Oſeæ. 4.

Matt. 10 scilicet idolorum. Et Christus: In viam gentium ne abieritis, &, Cauete à fermento Pharisæorum. Et Paulus: Nolite iugum ducere infidelibus, quæ enim conuentio iustitiæ ad iniustitiam? &c. Et Ioannes: Si quis venerit ad vos aliam habens doctrinam, nec aue ei dixeritis. Deinde ex hoc loco videmus, quantum malum sit nõ custodire sensus corporis, maximè autem visum: per huiusmodi enim fenestras mors intrat ad animam. vnde Christus etiã visum impudicum prohibet: Qui viderit, inquit, mulierem ad concupiscendum eam, &c. Videbant, inquit, filias hominum. Et hoc quidem in se malum non erat, si animus non fuisset malus, ideò addit, videbant quòd essent pulchræ. Non eas intuebantur vt creaturas Dei, sed tantùm oculo libidinis: nec attendebant pulchritudinẽ creatoris, sed creaturarum, atque adeò à vero bono ad falsa bona se conuertebant. Pulchritudo enim corporis non est verum bonum, quod vel ex hoc patet, quòd etiam impiis datur.

& 16.

2. Cor. 6

Matt. 5.

Acceperunt sibi vxores ex omnibus quas, &c.

Vide quomodo peccatũ eorum aggrauet, Acceperũt, inquit, illecti, nõ probitate, sed pulchritudine mulierum: deinde plures accipiebant sine lege, nunc vnã nunc alteram, pro arbitrio. Addit, ex omnibus quas elegerant: nõ iam audiebant parentes, sed propria libidine ferebãtur.

Non igitur hic damnatur cõiugium, sed hoc taxat spiritus, quòd nimiæ libidini seruiebant. Hoc igitur fuit vnum peccatũ propter quod Deus mundum diluuio perdidit. Ad hanc autem infrenem libidinem eos diabolus prouocauit, vt vel sic impediret propositum Dei, de homine in locum angelorum sublimando. Iam semel atque iterum hoc Dei propositum impedire conatus fuerat, primò, cùm hominẽ in peccatum impulit: deinde cùm Cain ad occisionem iusti fratris incitauit: nunc autẽ cùm videret etiã semen iustorum multiplicari, iterum conatus est homines in Dei indignationem coniicere, atque adeò præualuit, vt etiam filii Dei in maxima peccata ruerent, imò vt etiam Deus diceret, pœnitet me fecisse hominẽ. Multò tamen fortior fuit gratia & veritas Dei, quæ impios quidem perdidit, sed tamen iustos seruauit. Hinc

igitur

Igitur discamus quantum peccatum sit luxuria, propter quam totus mundus diluuio periit. Deinde, quod hoc ipsum peccatum maximè displiceat Deo in his qui filii eius dici volunt. Huc pertinet quod Paulus dicit: Nesci tis quòd corpora vestra templum sunt spiritus sancti? 1.Cor. 6.

Non permanebit spiritus meus in homine, &c.

Comminatio est: Sic enim Deus antequam puniat com minatur, quod clementiæ signum est: ideò enim cômina-tur, vt à peccatis absterreat, ne punire cogatur. Per spi-ritum autem Dei hic quidam intelligũt de spiritu vitę, qui meritò spiritus Dei dicitur, ipse enim vitam dat. vn de suprà dictum est: Inspirauit in faciẽ hominis spiraculũ vitæ, &c. Secundum hoc igitur sensus est, Non per-manebit, quasi dicat, iam experientia probat vtile fuis-se vt homo in anima mortuus, mortalis fieret in corpo-re: ideo in ea sententia perdurabo, adeò vt non modo non viuat homo in æternum, verùm etiam vt breuius viuendi tempus, & pauciores sint anni singulorum, quan do diu viuendo nihil aliud agãt, quàm quòd peccata au geant: auferam igitur ab eis spiritum vitæ, quem dedi. Gene.2.

Alii per spiritum Dei intelligunt curam & prouidentiã Dei, vt sit sensus: Hactenus pro eis curaui, nunc cessabo. grauis comminatio. Alii per spiritum Dei intelligunt spiritum sanctum, vt sit sensus: Tam impiè & carnaliter viuũt, vt spiritus sanctus in eis habitare & permanere nõ possit: In maleuolam enim animam non intrat spiritus sapientiæ, nec habitat in corpore subdito peccatis. Au-feram igitur ab eis spiritum meum & gratiam meam. gra uis comminatio, & obseruatu digna. Aliqui hoc loco ex Hebræo legunt, Non iudicabit spiritus meus homines istos in æternũ, & duplicẽ habet sensum, primò sic: Quo niam fragilis est in homine cõditio, nõ eos ad ęternos ser uabo cruciatus, sed hic illis restituam quod merentur. Se cundò sic: Quia hactenus frustra per spiritũ meũ coargui ipsorũ peccata, nũc arguere cessabo, & sibiipsis eos relin quã. Hinc igitur videmus ꝙ spiritus sancti officiũ est ar-guere mundũ, sicut Christus dicit. Deinde quod magna gratia est, quòd Deꝰ nos arguit: quos enim odit & pdere vult, arguere cessat, vt hic vides. Alii legũt, Nõ discepta Sap.1. Ioan.16.

 bit

bit spiritus meus cum homine in æternum. quo verbo ostendit homines fuisse contumaces, rebelles, inemendabiles, nec rationi nec monitis obtemperantes, sed etiam Deo reclamantes: non igitur amplius cum ipsis disceptabo: non patiar hanc eorum proteruiam.

Quia caro sunt, &c.

Hoc est, nesciunt alias nisi carnales voluptates: carnalibus operibus toti dediti sunt, animã negligũt, quasi sola carne circundati sint. Caro igitur impedit spiritum sanctum, non ipsa natura corporis, (nam & sancti corpora habuerunt) sed ipsa carnalitas affectionum.

Eruntq́; dies illius centum viginti annorum, &c.

Aliqui hoc referunt ad terminum vitæ humanæ, quem intra centum viginti annos coartauit, cùm prius supra nongentos annos in quibusdam transcenderit: nunc aũt pauci vel hunc terminum attingunt, & quamuis aliqui etiam post diluuium transcenderunt hunc vitæ terminũ, hoc tamen fuit ex speciali gratia. Terminum autẽ vitæ nostræ abbreuiauit Deus in bonum nostrum, ne diu viuendo, & peccata & damnationẽ nostram augeamus. Alii tamen volunt & melius, quod hos centum viginti annos ad pœnitentiam ipsis dederit: infra enim patebit, quòd post centum primum annos misit diluuium. Vide igitur insignẽ Dei misericordiam, quantumcunq; cõminetur, non tamen festinat, sed tempus pœnitentiæ etiam impiis
Roma.2. concedit. meritò igitur dicit Paulus: Ignoras quòd longanimitas Dei ad pœnitentiam te adducit?

Gigantes autem erant his diebus super terram, &c.

Per gigantes intelligũt alii ex dæmonibus prognatos, quod tamen incertum est. Fuerunt autem gigantes qui magnitudine corporis aliis præstabant, quales pleriq; etiam post diluuium fuisse leguntur. Ideo autẽ Deus huiusmodi homines aliquos nasci permisit, vt vel hîc discamus, quòd quẽadmodũ pulchritudo corporis nõ liberat à morte, sic nec magnitudo aut fortitudo: nam hi nõ minus perierunt q̃ alii. bene igitur in psalmo dicitur: Non
Psal. 32. saluatur rex per multam virtutẽ, & gigas, &c. Hebræi hoc loco legunt, Nephilim, quod interpretatur cadentes. per quos intelliguntur superbi, nam hoc ipsum superbire

est

est cadere, iuxta illud: Vos autem sicut homines moriemini, & sicut vnus è principibus cadetis. *Psal. 81.*

Postquam enim ingressi sunt filii Dei, &c.

Causam reddit vnde superbierint, nẽpe quòd ex vtraque gente essent generosi, scilicet tã secundũ Seth, quàm secundũ Cain. Ob eandem causam etiam Absolon præ aliis fratribus suis se extulit, quòd nedum ex patre, sed ex matre etiã regium genus haberet: erat enim mater eius filia Tholomai regis Gessur. *2. Reg. 3.* Ob eandem causam etiam Ismael inclitus erat, quòd consanguinitatem trahebat ex duabus gentibus, Hebræis scilicet, & Aegyptiis. Vult igitur Moses, quòd non solum fuerunt libidinosi, sed etiam tyranni superbi, aliorum oppressores. Adeo igitur non territi fuerunt comminatione Dei, vt etiam peccata addiderint, ac planè verbum Dei cõtempserint: id quod vnũ, & vel præcipuum est peccatum, propter quod mundus diluuio periit. Vix enim est aliud peccatum quod Deus & acrius punierit, & maiores pœnas comminatus sit, vt contemptus verbi Dei. Ob hoc peccatum Pharao periit, cuius alia peccata diutius dissimulari potuissent. Ob hoc peccatum Iudæi tam miserabiliter abiecti & à Deo relicti sunt. Nec est quicquã in ꝓphetis quod toties Israelitis improperetur, quàm quòd prophetas ad se missos non audierunt. Hinc & in Leuitico: Si non audieritis me, inquit, &c. hoc faciam vobis: inducam super vos gladium, & cæt. ad longum. *Leui. 26.* Et in Ieremia: Mittam in eos gladium & famem, eo quòd non audierunt verba mea, & cæt. ad idem Ierem. 26. 32. 35. &c. *Ierem. 29*

Quare etiam nobis summè timendum est, qui & ipsi plerunque verbum Dei contemnimus, id quod summa ignominia est, Deo scilicet loquenti terga vertere & alia curare: nemo hoc non ęgrè ferret in seruo suo, quantò magis Deus in creatura sua, &c. Vide igitur ne iustè hoc de te conqueri possit Deus, nam alias peccatorum satis superque habemus.

Videns autem Dominus quòd multa malitia, &c.

Iterum peccata hominum recenset ob causam superius dictam, nempe vt Deus iustè homines perdidisse ostendatur, ne quis Deo iniustitiam & crudelitatẽ adscribat.

In generali autem hic comprehendit peccata hominum, cùm suprà specialiter aliqua enumerasset, quasi dicat: Non possum singula peccata eorum recensere, summatim igitur dicam, quòd multa erat malitia hominum, &c.

Deinde etiã ideò in generali hic loquitur, ne putemus illos solos peccasse & malos fuisse: sic enim solemus peccatorum nostrorum obliuisci, cum audimus alios corripi. Quid autem dicit Christus: Putatis quòd hi soli fuerunt peccatores? non dico vobis: Sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. Idem hoc loco agit Moses, vult enim vt in peccatis aliorum consideremus etiám nostra peccata, & quales nos futuri eramus, nisi diuiná gratia præseruati fuissemus.

Lucæ.13.

Singula autem verba emphasim suam habent, nec posset magis malitia nostra infamari quàm his verbis. Videns, inquit, Deus: hoc præmittit, vt certò sciamus Deum omnia videre & scire, quantumcunque dissimulet. Deinde vidit quòd multa esset malitia: nec mirum multa peccata sequi vbi regnat luxuria, superbia, & contemptus verbi Dei. Quantumcunque igitur nos dissimulemus peccata nostra, videt tamen Deus quòd malitia nostra multa est: & nisi eum præueniamus confessione, suo tempore statuet nobis ea ante faciem nostram.

Psal. 49

Et cuncta cogitatio cordis intenta esset, &c.

Et hæc emphasim habent: Vidit, inquit, quòd vniuersi peccarent, non iuuenes tantùm & diuites, sed & senes & pauperes, &c. Deinde vidit, quòd non infirmitate peccarent, sed cogitatione & deliberato animo, quod maximè aggrauat peccatũ. Præterea vidit, quòd omnis eorũ cogitatio ad peccatũ intẽta erat, vt parũ de Deo aut iustitia cogitarẽt. Demũ etiã omni tẽpore peccabãt, nec vnquã cessabant. Vides q̃ pulchrè hoc vno verbo naturam nostram describat? est enim generalis sententia ad omnes pertinens. Hinc alias in scripturis sæpè similia legimus, vt est illud: Prauum est cor hominis, & inscrutabile. Et aliud: Oẽs declinauerunt, simul inutiles facti sunt, &c. Et illud: Nõ iustificabitur in cõspectu tuo oĩs viuẽs, &c. Sic igitur in scriptura omnia concludit sub peccato, etiã sanctos,

Ierem.11. *Psal.13.* *Psal.142.* *Psal.31.*

sanctos, vt omnes sub Deo humilientur: nam etiam sancti orant pro remissione peccatorum, quanquam postea eos à peccatis liberat, & ab impiis secernit: id quod postea audiemus de Noë factū. Cùm igitur talis sit natura nostra, constat quòd per nosipsos resurgere non possumus: necessarius est ergo Christus, qui per spiritum suum & peccata nostra remittat, & naturam reformet.

Pœnituit eum quod hominem fecisset, &c.

Laborat hic sermo diuinus, & quasi in versanda nimiæ magnitudinis mole penè confringitur, dum illud intellectui nostro planum facere vult, quod satis explicare nullus sermo potest: videlicet, quòd Deus sine motu sæuiat, sine crudelitate occidat, quo salua pietate vltionem, & cum tranquillitate habeat vel agat furorem. Pœnitere siquidem apud Grammaticos est displicere quod prius placuit: hæc autem instabilitas non est in Deo, qui mutari non potest, nec vnquam apud ipsum est trasmutatio vel vicissitudinis obumbratio. Pœnitere igitur dicitur Deus & dolere, quia sic nobis videtur dum perdit quod prius fecit. *Iaco. 1.*

Pœnitere igitur nihil aliud est quàm mutare rem præsentem, vt sit sensus: Pœnituit eum, id est, sic odit eos, vt nunc mutaturus sit & perditurus genus humanum.

Cæterùm sicut aliàs in verbo miserendi affectus est beneuolentiæ paternæ, erga eos quorum misertus est Deus, ita hic in argumenta iræ diuinæ affectus iræ & furoris in verbo pœnitendi: ita vt sit pœnitere hoc loco rem præsentem mutare cum significatione iræ & furoris: sic alio loco, vbi dicitur, pœnituit eum secundum multitudinem misericordiæ suæ, pœnitere est rem mutare cum significatione misericordiæ.

Et præcauens in futurum, &c.

Hoc verbo, quamuis in Hebræo non sit, pulchrè tamē nobis innuitur quæ fuerit Dei intētio in eo quod diluuiū immisit, nempe vt posteris caueret, vt scilicet omnia ventura secula hinc scirent & discerent quantū Deo displiceat peccatum. Deinde quia Deus totum mundum quasi vnum hominem susceperat erudiendum, homo aūt

Prou. 23. dum adhuc puer est, in timore retinendus sit, ne sibi dimissus præceps & infrenis in malum ruat, iuxta illud: Percute filium tuum virga, & liberabis animam eius, &c. Rectè & vtiliter Deus petulanté atque in carne & sanguine lasciuientem mundum nocentem, tanquam stultum puerulum corripuit, tali percutiens verbere, quòd tota sua ætate non queat obliuisci.

Et tactus dolore cordis intrinsecus, &c.

Nec hoc sic accipiendum, quod huiusmodi passiones in Deo sint, aut quòd ei quicq̃ molestiæ irrogemus peccatis nostris, verùm hoc modo loquendi innuit se non posse satis exprimere peccatorum grauitatem. Deinde hoc etiam verbo palàm ostendere voluit quòd Deus inuitus puniat, cùm mallet benefacere: quẽadmodum & ex

Isaiæ.1. illo verbo colligimus vbi dicitur: Heu consolabor super hostibus meis, &c. Et hoc igitur insigne exemplum est diuinæ bonitatis.

Delebo ait hominem quem formaui, &c.

Quasi dicat, Quod meum erat feci: creaui hominem, ratioñé indidi ei, legem meam cordi eius inscripsi, vt cognoscat bonum & malum: deniq; longo tempore expectaui, monui, cõminatus sum: & quia nec sic quicq̃ proficio, cogit necessitas, vt minas opere cõpleam, & omnibus modis deleri eos faciam. Atque hæc est secunda cõminatio expressior q̃ prior, quia & ipsi peccata auxerant.

Vide autẽ etiam hic Dei patientiam, quòd etiam post spretam priorem comminationem non tamen statim punit, sed iterum cõminatur, si fortè emendetur.

Ab homine vsque ad animantia, &c.

Etiam animalia perdere vult, quæ tamen non peccauerunt: tum quia homine deleto nihil opus est animãtibus, quæ propter hominẽ creata sunt: tum quia paterfamilias domus homo indignationem Dei incurrit, consequens fuit, vt & omnis familia simul periret: tum etiam vt per hoc ostenderet grauitatẽ peccati, quẽadmodum etiam

Gene.3. supra, terram propter hominem maledixit, quæ tamen non peccauerat.

Noe autem inuenit gratiam coram domino, &c.

Hoc addidit, ne quis putet omnimodam abolitionem generis

generis humani fieri, stirpitusq; naturam nostram eradicandam, sine vlla spe restitutionis. Deinde, vt videamus quòd melior sit vnus faciens voluntatem Dei, quàm decem millia præuaricatorum. Itē, vt videamus, quòd Deus suos etiam in medio malorū habeat, nec vnquàm tantum inualeant mali, vt non relinquantur etiam aliqui boni, quos Deus in medio malorum cognoscit, videt, conseruat, vt non pereant cum mundo. Non igitur doleamus, vel timeamus gratiam Dei nobis defuturam vel defecturam, si rectè, id est, in mandatis eius ambulauerimus, non peribimus cum pessimo mundo: habet enim Deus mille vias eruendi. Signanter autem hic videmus, quod quamuis etiam sancti non careant peccatis, vt supra dictum est, & ob id etiam iudicio damnationis obnoxii essent, misericorditer tamen eos Deus eruit à sententia damnatiōis, idque ex gratia, vnde hic dicitur: Noe inuenit gratiam, hoc est, ipsum Deus ex gratia præseruare & conseruare voluit. Sic Deus vbique suos è damnatione eripit, vnde & in Ieremia cum dixisset: terror vndiq;, &c. in fine subdit: tu autem ne timeas, non confunderis, &c. Atque hæc *Ier. 46.* est gratia & misericordia Dei, quam Paulus vbique celebrat: Eramus, inquit, & nos mortui peccatis: sed Deus qui diues est in misericordia, viuificabit nos, &c. Et Paulò post: Gratia, inquit, saluati estis, non ex operibus, ne quis *Eph. 2.* glorietur. Sic in alio loco, Non, inquit, ex operibus iusti *Tit. 3.* tiæ, quæ fecimus nos, sed secundū misericordiam suā saluos nos fecit, &c. Quanquam autem liberatio ipsius Noe potissimum gratiæ Dei adscribenda sit, tamē ex eo quod dicitur inuenisse gratiam, satis innuitur ipsius etiā Noe studiū & conatus: quòd scilicet gratiam quæsierit. Qui mane, inquit, vigilauerint ad me, inueniēt me. Errant igi- *Prou. 8.* tur, qui ociosè sedent, gratiam expectantes è cælo, cùm Christus planè dicat: Petite & accipietis, quærite & inue- *Luc. 11.* nietis, pulsate & aperietur vobis. Signanter autem dicitur gratiam inuenisse coram Deo, quo verbo palā innuitur, quòd vnum ille scopū habuerit, vt ab illo oculo laudaretur, qui dormitare nescit, nihil interim curans humanam gloriam vel ignominiam aut irrisionem. Verisimile enim est, cùm præter morem aliorum virtutem coleret,

eum fuiſſe ſubſannatum & irriſum, nihil tamen hoc curauit, nec ob id à bono ceſſauit, quemadmodum nos facimus, &c. Eſt igitur ſenſus: Tametſi Noe omni generi hominum quod tunc erat, gratus non eſſet, eo quód nollet eandem incedere viam, quam illi incedebãt, fauit tamen illi is qui corda ſcrutatur. Et quid illi nocere potuit hominis irriſio, qui Deum habebat amicum? Nihil plane. Sicut nec quicquam prodeſſe poteſt glorificari ab hominibus, ſi Deus nos reiiciat. Veram igitur gloriam quæramus, exemplo Noe: gloriam, inquam, quæ à ſolo Deo eſt, nec quicquam curemus hominum vel laudes, vel irriſiones.

Iſtæ ſunt generationes Noe: Noe vir iuſtus, &c.

Vide quantum ſtudeat nobis viri iſtius virtutes ób oculos ponere. Et quanquam etiam de aliis quibuſdam patribus inſigniter loquatur, vt de Abel, Enos, Enoch, &c. de nullo tamen ita loquitur, vt de hoc. Ideo præmittendo: Iſtæ ſunt generationes Noe, attentos nos facit, quaſi maiora dicturus, quàm hactenus de aliis dixerit.

Et primò eum hominem nominat (ſic enim legit Chryſoſtomus, Noe homo iuſtus) quo verbo innuit, quod cũ alii ob carnales voluptates quibus immerſi erãt, hominis vocabulo indigni eſſent: iſte ſolus in tanto populo hominis imaginem ſeruauit. Neq; enim ſpeciem habere hominis, os ſcilicet, oculos, &c. hominem eſſe oſtendit: imò vt homo quis vocetur & ſit, nõ ſatis eſt, ſi rationem habeat, niſi habeat etiam ſimilitudinẽ Dei. Nam imaginẽ Dei quę in rationali anima perſiſtit, etiam mali habent. Similitudo aũt Dei cõſiſtit in virtutibus, iuſtitia, veritate, ſanctitate, &c. Atqui propoſitum Dei fuit, hominẽ non ſolùm ad imaginem, ſed etiã ad ſimilitudinẽ formare: qui igitur hanc ſimilitudinem Dei non habet, nec homo dici meretur. Hinc eſt quod in ſcriptura mali non vocantur homines, ſed vel caro, vel terra, vel canes, vel etiam aſpides, vt frequenter videmus in ſcriptura.

Magna igitur laus eſt Noe, quòd homo dicitur: in noſtra tranſlatione habetur: Noe vir iuſtus. Dicitur autem vir, propter virtutem & fortitudinem.

Magna

Magna enim fortitudo fuit, quòd inter tot malos perſtitit, quòd ipſorum conuitia tolerauit: denique, quòd infracto animo totius generis humani interitũ vidit, &c. Alii non erant viri, qui tam facilè ſe vinci à mulieribus patiebantur.

Deindè etiam iuſtum eum appellat Moſes, quæ alia ipſius laus eſt: qua appellatione ſcriptura omnem virtutem complectitur. Addit, & perfectus: ne quis putet eum in vno aliquo fuiſſe iuſtum, in aliis autem claudicaſſe, quemadmodum faciunt, qui eleemoſynas quidem dant: interim tamen luxuriæ deſeruiunt, non attendentes, quòd qui in vno offendit, omnium reus eſt. Hic autem perfectus dicitur, hoc eſt, integer, incorruptus, irreprehenſibilis coram hominibus, vbique ſuo officio & functioni reſpondens, quanquam coram Deo nemo ſit omnino irreprehenſibilis.

Signanter autem addit, in generatione ſua, quod dupliciter exponitur. Primò, in generatione ſua, id eſt, fidelium: vel in genetatione ſua, id eſt, tempore ſuo, inter tot malos: quod inſignis laus eſt. Etſi enim virtus per ſe ſit admirabilis, multò tamen admirabilior, ſi inter malos quis in iuſtitia perſiſtat, vbi patitur hominum irriſiones: vbi inſuper habet plura exempla ad malum: nullum autem exemplum ab bonum. Noe igitur etiam in tam mala generatione iuſtus permanſit, & tamen eandem naturam habuit quam nos.

Non igitur vel Deum, vel naturam, vel etiam Diabolum incuſemus, ſi in nobis diuerſum inuenimus, ſed tantùm noſtram negligentiam, quibus non minus præſto eſt gratia Dei, quàm ipſi Noe fuit.

Addit adhuc Moſes: Et ambulauit cum Deo, quaſi admirans huius ſancti miram conſtantiam & diligẽtiam: quo magis enim illi ad peccata inſaniebát, eò fortiùs ille iuſtitiæ inuigilabat.

Huiuſmodi deberent eſſe hominis Chriſtiani ſtudia & conatus, &c. Nemo multitudinem peccantium attendat, vnuſquiſque enim pro ſe rationem reddet.

Denique etiam in ipſa filiorum procreatione, in qua alii vel maximè culpantur: hic Noe laude ſua non caret.

Inſig-

Insigne enim exemplũ castitatis est, quòd primùm incẽpit generare, cùm quingẽtorum esset annorum, id quod in fine præcedentis capitis planè positum est. Deinde, quòd tam cito cessauit. Non enim plures quàm tres filios genuit, cũ de aliis etiam sanctis dicatur, quòd genuerint filios & filias. Et adhuc contendimus impossibile esse, vt quis cælibem vitam ducat, quasi nulla exempla in hoc habeamus: quamuis vel hoc vnum sufficere possit ad reuincendam proteruiam nostram. Si enim potuit Noe quingẽtos annos castè viuere: possibile est etiam nũc, vt quis quinquaginta annos castè viuat.

Terra autem corrupta erat coram Deo, &c.

Hoc addit, vt opposita iuxta se posita magis elucescãt: & clarius appareat ipsius Noe iustitia, qui tot malis exemplis nõ fuit abductus. Itemq́;, vt clarius appareat aliorum hominum peruersitas, qui tã insigni virtutis exemplo nihil moti sunt. Terram autem inuidiosè & cõtemptim nominat terrenos homines: nec enim meliori nomine erant digni, vt supra dictum est. Emphasim autem habet, quod dicit terram corruptam: per hoc enim indicat omnigenã eorum malitiam. Non enim vnius, aut duorum tantũ peccatorum rei erant, sed omnes iniquitates absque modo committebant. Addit autem, Coram Deo, hoc est, secus quàm præceptum erat à Deo, omnia faciebant, nedum rationem, sed etiam Deum contemnentes.

Cumq́; vidisset Deus terram esse corruptam, &c.

Tam crebræ repetitiones in sacra scriptura non sine causa fiunt. Ad vehementer enim terrendum à malo, sæpius idem minatur: quia pertinacia impiorum tardiùs cõuertitur & emollitur. Deinde huiusmodi repetitiones etiam nonnunquam fiunt ad erigendas conscientias afflictas. Præterea enim fiunt ad significationẽ affectus. Tandem etiam ad supplendam claritatem, si alicubi obscurius dictum sit, vel aliquid omissum, vt sic suppleatur. Per terram autem & carnem, etiam hoc loco intelligit terrenos & carnales homines, qui hominis vocabulo nõ sunt digni.

Finis vniuersæ carnis venit coram me, &c.

Hæc est tertia comminatio, & grauior vehementiorq́;

prio-

prioribus. Primò enim tantum dixit: Non permanebit ſpiritus meus in homine in æternum, nihil addens de pœna. In ſecunda autem comminatione etiam pœnam addidit: Delebo, inquit, hominem: Nec tamen expreſsit, quando & quomodo hoc facturus ſit. Hic autem vtrũq; exprimit. Primò tempus, cùm dicit: Finis venit. Secundò modum, cùm dicit: Ecce ego adducam aquas diluuij, &c. Eſt aũt ſenſus verbi, quaſi dicat: Iam ſatis diu lõganimis fui, adeſt nũc tempus vt puniam. Impleuerunt menſuram peccatorum ſuorum: tot peccata commiſerunt, vt iam vltra non debeam eis ignoſcere. hactenus miſericors fui & pater: nunc iudex eſſe cogor. Verè horribilis comminatio. Cùm enim menſuram impleuerimus, nullus amplius reſtat pœnitentiæ locus, imò nihil aliud niſi damnatio. Hinc & Iudæis dicebat per Ezechielem: Finis venit, &c. *Ezech. 7.* & ſubdit: Non parcam, nec miſerebor, &c. Vnde & Hieremiæ eo tempore dicebat: Noli orare pro populo hoc, quia non exaudiam te. Et iterum: Si ſteterint Moſes & Samuel coram me, non eſt anima mea ad populum iſtum. *Hiere. 7.* *Hier. 15.*

Quia repleta eſt terra iniquitate, &c.

Iterum repetit cauſam, vt ſciamus Deum meritò ſic eos puniuiſſe. Emphaſim autem habet, quod dicit: Repleta eſt terra, hoc eſt, ad ſummum vitiorum peruenit, impleta eſt menſura: Et quando ipſi ſibi nihil aliud propoſuerũt quàm flagitia & ſcelera: ego quoq; nihil aliud mihi propoſui, quàm vaſtationem eorum & deletioné. Atque hoc ipſum etiam noſtro tempore timendum eſt: iiſdem enim vitiis laboramus, &c. Quod autem addit: Diſperdam eos cum terra, colligi poteſt, quòd etiam ipſa terra per diluuium deteriorata ſit. Vel aliter: Diſperdam eos cum terra, id eſt, cum omnibus quæ habent, & quæ ædificarunt. Vel tertio, cum terra, id eſt, cum animalibus viuentibus ſuper terram. Sicut enim capite mortuo, moriuntur omnia membra, & ſicut duce occiſo, totus exercitus diſpergitur: ſic homine deleto, etiam omnia terrena & viuentia cum ipſo pariter interierunt.

Fac tibi arcam de lignis leuigatis, &c.

Hactenus impiis comminatus eſt, nunc piis ſpem dat. Alias Noe dicere potuiſſet, quemadmodum Abrahã infra

Gene. 18. fra dicit: Num perdes iustum cum impio? Item sicut Da-
Psal. 72. uid: Ergo sine causa iustificaui cor meum, & laui inter innocentes manus meas? Nequaquam, inquit Deus, tui oblitus sum, sed fac arcam, &c.

Hic obseruandum, quòd in hac historia plura occurrunt quæ creditu difficilia videntur. Vnde etiam ab Ethnicis derisa fuerunt, qualis fuit Iulianus, &c. Quemadmodum igitur Paulus ait, quòd Noe per fidē diluuium euasit, ita etiam nobis fide hic opus est, ne dubitemus ita factum esse sicut hic scribitur. Quanquam nihil eorum quę illi obijciunt, supra fidem esse cognoscemus, si diligēter attendamus.

Primò enim, quod quidam dubitant, vnde tanta aqua esse potuerit: facilē videbimus, non impossibile fuisse, si attendamus, quòd etiam terra ab exordio aquis cooper-
Gene. 1. ta fuit: & quod ex præcepto Dei aquæ in vnum locū coactæ sunt. Non igitur mirum, quòd terram iterum operire potuerunt, Domino iubente.

Deinde, Nec incredibile est, omnium animalium species per Noe potuisse inueniri. Qui enim hoc mandauit, is etiam animalia adducere potuit. Præterea: Nec hoc fidem excedit, quod tot animalia in vna illa arca seruari potuerint. Non enim parua fuit arca illa. Nam etiam si cubitum minorem intelligamus, qui pedem habet cum dimidio: arca illa habuit in longitudine quadringentos quinquaginta pedes, in latitudine autē septuaginta quinque: in altitudine quadraginta quinque. Si autem accipiamus cubitum maiorem, vel geometricum, qui secūdum aliquos nouem pedes habet, arca illa habuit longitudinem duorum millium septingentorum pedum, latitudinem quadringentorum quinquaginta: altitudinem autem ducentorum septuaginta. Quid igitur mirum, quòd multa animalia capere potuit? Atqui Origenes & Hebræi aliqui volunt, quòd Moses de cubitis geometricis loquatur, cùm eruditus fuerit in omni sapientia Aegyptiorum.

Nec incredibile est, tam magnum opus potuisse fieri, non enim vno anno perfectum fuit, sed in centum annis, vt infra patebit, cùm in multo paucioribus annis magnæ

ciui-

ciuitates ædificari possint. Circa opificium autem, & formam arcæ, variæ sunt opiniones. Summatim tamen hæc fuit eius forma.

Primò, non nauis fuit, sed arca: quia in modum arcæ formata quatuor angulos habens, non tamen æquales: quia longè maior fuit longitudo eius, quàm latitudo vel altitudo.

Secundò, volunt quidam, quòd inferius fuerit lata, habens quinquaginta cubitos, superius autem arcta, tantùm vnum cubitum habens. Alij autem, quòd eandem latitudinem superius habuerit quam inferius: quemadmodum & alia quælibet arca.

Tertiò, superius vnam tantum fenestram habuit, cubitalis altitudinis, ad hoc tantùm deseruientem, vt cæli faciem videre possent, diemq́; & noctem discernere. Nam pro lumine administrando, vna tam parua fenestra minimè sufficiebat. Constat igitur, quòd parum luminis fuit in arca.

Quartò, ianuam habebat in medio lateris. Nõ enim in inferiori parte habere potuit, cùm ea pars esset in aqua.

Quintò, in ipsa arca erat triplex interstitium, infimũ scilicet, medium, & supremum: & vnumquodq; plures habebat mansiunculas & nidos, pro diuersis generibus animalium conseruandis. Atque hoc vult Textus noster, cùm dicit: Cænacula & tristiga facies. vbi alii legunt: bicamerata & tricamerata. alij, infima, secunda, & tertia. Hæc de arcæ forma breuiter: nunc ipsa verba expendamus.

Primò igitur Emphasim habet quod dicit: Fac tibi arcam. Tibi, inquam, non aliis. Tu, ipsis peccantibus, iustitiæ inseruisti: ab impiis vita & conuersatione te separasti: separaberis etiam nũc ab eis in pœna. Vides quo modo Deus suos excipit. Verùm eos tantum à pœna impiorum præseruat, qui prius se ab impiorum peccatis segregarunt.

Prouidentiam autem Dei circa iustum indicat, quòd arcam iubet bituminare intus & foris, ne aquæ irrumperent. Itẽ, cùm diuersas mansiones præcipit fieri, ne iustus fœtore animalium offenderetur.

Per hanc autem arcæ ædificationem, voluit terrere impios,

impios,& reipsa illis comminare,quod dudum verbis cõ minatus fuerat.Sic enim & Iudæis captiuitatem futuram
Ezech.4. verbis & signis per prophetas pronunciauit. Et quamuis sine arca ipsum Noe conseruare potuisset, præcipit tamen eam ædificari,ne media contemnamus, Deumq; tentemus.

Ecce ego adducam aquas diluuij, &c.

Hic tandem modum punitionis exprimit. Signanter autem dicit: Ego adducam. Non vult enim Deus aduersitates nostras etiam ex rerum naturalium causis immissas alteri acceptas referri, quàm sibi ipsi soli. Ipse enim influentiarum cæli & elementorum effectuum prima causa ha-
Amos.3. beri vult & agnosci. Non enim malum est in ciuitate, quod non fecerit Dominus. Quod autem dicit: Adducam, signum est quòd diluuij aquę non tantum ex pluuia desuper fuerunt, sed etiam aliunde adductæ, scilicet ex Oceano. Carnem autem corrumpendam dicit, non animum, vel totum hominem, propter eos qui fortè in ipso diluuio pœnituerunt, sicq; saluati sunt. Non enim verisimile est, quod omnes simul in corpore & anima perierũt.

Interim cogita, quid inter hæc in animo suo senserit iustus hic, cum hæc à Domino audiret. Nam licet multas virtutes haberet, non tamen hæc absque dolore audiuit. Iustorum enim genus magnæ compassionis est, & pro a-
Rom.9. liorum salute quæq; ferre eligeret. Vnde Paulus: Cupio anathema esse pro fratribus meis, &c. Quomodo igitur iustus ille se continuit, cùm mente sua omnium interitũ, & totius naturæ abolitionem tractaret, & fortassis nec sibi ipsi iucundum quid polliceretur, Neç tamen orasse legitur pro perdendis: quia iam audierat: Finis venit, &c. Deinde quia etsi impij omnes perirẽt, adhuc tamen restabat stirps illa vnde Christus nasceretur. Hoc autem non
Exod. 32 fuit, cùm Moses oraret pro populo: illic enim si totus Israel periisset, etiam tribus Iuda, vnde Christus promissus erat, periisset. Ideo Moses orat, ne promissio Dei irrita videretur.

Statuam pactum meum tecum, &c.

Pergit consolari iustum: Non minus enim misericors
Psal.72. & bonus est Deus his qui recto sunt corde, quàm iustus & se-

& seuerus erga impios. Deinde copiosa indigebat consolatione ipse Noe, ne in tam horrendo iudicio Dei desperaret, in quo nequaquam persistere potuisset, nisi verbo Dei præmunitus fuisset. Docemur hic, vt imminente tentatione, nos muniamus verbo Dei. Emphasim autē habet, quod dicit: Statuam tecum pactum, plus enim est, quàm si simpliciter dixisset: Tibi parcam, vel Te conseruabo. Omnimodam enim amicitiam & perpetuam ei promittit. In quo summa apparet Dei bonitas, quòd nō tantùm nobis bona promittit, sed & fœdus nobiscum statuit. Deinde Emphasim habet, quod dicit: tecum. quasi dicat: Decreueram etiam aliis benefacere, sed cōrēpserunt. Primus homo amicitiam meam cōtempsit, ideo abiectus fuit. Eum secutus est Cain cum omni posteritate sua, nihil territus pœna patris. E regione amicitiam contraxeram cum Enoch, quē & ideo ē terra assumpsi, vt omnibus ostenderem, quantum esset præmium virtutis, sicq; viam eius imitarentur: verùm nec sic quicquam profeci. Omnes enim ad malitiā declinauerunt. Quia igitur te solum inueni iustitiæ studentem: tecum statuam pactum, omnibus aliis relictis. *Gen. 5.*

Ingredieris in arcam tu, &c.

Quia inferior est humana natura, quàm vt nudo verbo adhærere possit: ideo vt minus diffidat Noe, iubet eum etiam in arcam ingredi. Ob eandem causam & aliis suis promissionibus signa & sacrificia adiunxit, vt fortius verbis eius crederemus, per signa externa confirmati & admoniti. Deinde præcipiendo, dicit: Ingredieris. quemadmodum enim in omni pacto inuenitur ratio dati & accepti, sic Deus hic promittit quidem, & dat ipsi Noe gratiam & auxilium suum, interim tamen etiam ab ipso exigit fidem & obedientiam. Ecōtra Noe quidē accipit gratiam, sed interim etiam quod suum erat præstitit, obediuit. Idem videmus in aliis fœderibus inter Deum & homines. Sic etiam in baptismo Deus dat quidem gratiam & adoptionem, sed interim exigit mortificationem carnis. Nec nobis satis est ad hoc fœdus, vt tantùm accipiamus, sed oportet etiam præstare quæ Deus exigit. Errant igitur, qui putant Christiano homini

mini ſatis eſſe, ſi accipiat, etiam ſi nihil ipſe operetur.

Obſeruandum etiam hoc, quod verbo quidem promittit ipſi Noe auxilium, ſed iuxta hoc etiam iubet ingredi in arcam: quo docemur, verbo Dei credendum quidem, ſed ita, vt tamẽ vtamur mediis, ne Deum tentemus. Sicut igitur Noe peccaſſet, ſi verbo Dei contentus, arca vti noluiſſet: ſic nos peccamus, ſi mediis ad ſalutem ordinatis non vtamur, &c.

Tu & filii tui, vxor tua, & vxores, &c.

Etiam filii & vxores ſaluantur à diluuio, quamuis enim multum à virtute iuſti huius abeſſent, tamen non tam mali erant, vt alii. Deinde hoc etiam factum eſt ad conſolationem iuſti, ne ſolus in tanta afflictione eſſet, & ne cogeretur videre mortem ſuorum. Præterea etiam ad honorem ipſius hoc factum eſt: hũc enim honorem miſericors Deus ſeruis ſuis dat, vt propter eos ſeruentur alii. Sic Paulo dicitur: Ecce, dedi tibi omnes qui tecum ſunt in naui. Act. 27.
Econtra impii & ſe & ſuos perdunt, & peccata ipſorum in filiis puniuntur temporaliter, in tertiam & quartam generationem. Quanta igitur vtilitas virtutis, quanta econtra eſt pernicies peccati? Demum etiam ideo reſeruantur filii Noe, & vxores, vt per ipſos genus humanum denuò reſtauretur.

Obſeruandum autem, quòd tantum octo perſonæ hic recenſentur in diluuio ſeruatæ. Tã pauci ſaluati ſunt, cum tam multi perierint. Nemo igitur multitudinem ſequatur, ſed ſaluet vnuſquiſque animam ſuam: vnuſquiſque enim pro ſeipſo rationem reddet. Denique etiam nos terrere debet, quod ſemper plures ſunt qui pereunt,
Matt. 20 quàm qui ſaluantur. Vnde & Chriſtus: Multi, inquit, vocati, pauci autem electi.

Ex cunctis animantibus tollet, &c.

Quemadmodũ propter impios homines etiam animalia ſe interfecturum prædixit, ſic propter iuſtum & poſteros eius aliqua reſeruat, vnde reſtitui poſſint. Poterat quidem Deus de nouo animalia creare: ſed hoc ipſi placuit: vt ſciamus, animalia tantum propter hominis pecca-

peccatum periisse. Si enim omnia animalia perdidisset, & alia de nouo creasset: suspicari quis posset, priora illa animalia peiora fuisse, quàm ea quæ nunc sunt.

Cæterùm, ne dicere posset Noe: Quomodo animalia in toto mundo tam latè dispersa congregare potero? Item, quomodo leones, pardos, &c. domare potero? &c. præuenit Dominus, & dicit. Bina ingrediētur ad te. quasi dicat: sine tua fatigatione & labore, sua sponte intrabūt: ego qui hæc præcipio, & perfecta dabo.

Tolles etiam tecum ex omnibus escis, &c.

Omnium cura ipsi Noe imponitur. Nec dubium, quin fideliter curam eorum egerit, non solùm corporaliter, sed maximè in spiritualibus, eos scilicet monendo, confirmando, consolando, &c.

Hoc autem summè notent patres familias, omnium qui in domibus eorum sunt curam commissam, & sanguinem ipsorum è manibus eorum requirendum. Docemur etiā hic ita verbo Dei adhærere, ne tamen media contemnamus. Poterat Deus eos qui in arca erant, sine cibo conseruare: sed voluit vt mediis vterentur.

Fecit igitur Noe omnia quæ præcepit Deus, &c.

Magnæ obedientiæ signum hoc est, & certissimæ fidei. Primo siquidem statim obediuit, nihil cunctatus, nihil responsans. Deinde, omnia, inquit, fecit, nihil omittens: hæc est enim vera obedientia. Duo autem pręcepta ei erant: Primò, ea quæ ad arcam pertinebant, præparare. Secundò, pœnitentiam aliis prædicare. Nam Pĕtrus eum præconem iustitiæ appellat, insigni videlicet titulo. *2. Pet. 2.*
Vtrunque autem diligentissimè per centum illos annos executus est. Ex hac autem ipsius obedientia planè colligitur, quòd verbo Dei credidit, aliis interim contemnentibus, ac nihil minus timentibus. Sicut enim Christus de ipsis dicit: Edebant, bibebant, nubebant, donec venit diluuium, & perdidit omnes. Noe autem verbo Dei adhæsit, sciens rem seriam agi, vbi Deus toties comminatur. Nec parua fuit hæc eius fides, sed maxima & admiranda: Multas enim & maximas tentationes *Matt. 24.*

patiebatur fides eius,quarum prima erat, quòd totus mũdus aliter sentiebat. Secunda, quòd omnes etiam eius amici & propinqui ab ipso dissentiebant, & recedebant.
1.Macb.2 Et tamen perstitit,nihil dubitans,sed quasi alter Mathatias dicens:Et si totus mundus aliter sentiat, ego tamen scio verbum Dei verum esse. Tertia, quòd ab omnibus irridebatur,quasi stulto labore sudans, stultoque timore correptus esset. Maximè autem verisimile est, huius irrisiones creuisse,cùm iam aliquot annos prædicasset diluuium futurum,nec dum tamen veniret:tunc enim quasi iam omnino securi eum irridebant,nec tamen dubitauit, aut cessauit ædificare & prædicare.

Quarta,fidei eius tentatio:quod diluuium tam diu differebatur,non vnum scilicet annum,non saltem decem aut viginti,sed centum annos: vt iam ipse cogitare posset, se deceptum esse: Nihil tamen horum attendit, sed quasi oculos claudens,firmus in verbo perstitit.

Denique,centum annis in fide perstitit:cùm nos vix ad horam persistere possimus. Quàm magna igitur fuit ira Dei aduersus impios,tam magnum & rarum opus fuit huius sancti fides.Hunc igitur imitemur, &c.

Allegoria Arcæ & diluuii.

1.Cor.10. Cùm Paulus dicat,omnia in figura cõtigisse antiquis, scripta autem esse ad correptionem nostram. Arca autẽ & diluuium inter præcipua veteris testamenti meritò numerentur,consequens est,magnum aliquid per hoc significatum esse. Alioqui quid opus fuisset tam diligenter describere arcæ illius formam & figuram, cùm omnibus ad ipsam pertinentibus.Sed quis cognouit mentem Domini,aut quis consiliarius eius fuit? Neque cuilibet licet ex proprio capite allegorias comminisci. (Roma.11)

Verùm hoc scrupulo nos liberat Petrus, qui huius arcæ mysterium indicat,cùm dicit:In diebus Noe,cùm fabricaretur arca,pauci,id est,octo animæ saluæ factæ sunt per aquam,quod & vos nunc similis formæ facit baptisma,&c. His verbis palam ostendit,mysterium arcæ ad Christum & Ecclesiam spectare. (1.Pet.3.)

Hoc igitur tanquam fundamento habito, videamus, quomodo singula ad hoc conueniant.

Primo

Primò igitur Noe, per quem requies ſperabatur, Chriſtum ſignificat, qui duplicem requiem nobis præſtat. Primò ab operibus manuum noſtrarũ, id eſt, peccatis, ne cõſcientiam diuexent. Secũdò à miſeriis, quibus ſubiecti ſumus in terra, cui maledixit Deus. Deinde, ſicut in vno Noe ſeruatus fuit orbis, ſic vno Chriſto ſeruantur homines. Non enim eſt aliud nomen ſub cælo, in quo nos oporteat ſaluos fieri. Præterea, ſicut Noe per lignum ſaluauit reliquias humani generis, ſic Chriſtus per lignum crucis, paſsionem ſcilicet ſuam, nos redemit. *Acto. 4.*

Diluuium, auctore Petro, baptiſmum ſignificat. Quamuis enim prius illud diluuium ex ira Dei venerit, hoc autem ex gratia, tamen baptiſmus verè eſt & dici poteſt diluuium, ad ſubmergendos peccatores inſtitutum, licet longè aliter quàm prius illud diluuium. In eo ſiquidé cũ peccatis etiam homines perierunt: in baptiſmo autem ſola peccata, & quæ ipſa conſequuntur pereunt, homines ſeruantur, imò renouantur & renaſcuntur. Vnde Paulus baptiſmum nominat lauacrum regenerationis. Huc pertinet totum illud caput, Rom. 6. *Tit. 3.*

Hoc igitur ſalutiferum diluuium à tempore Chriſti cœpit, & per totum inundauit, non minus quàm antiquum illud, imò plures peccatores ſubmerſit baptiſmus ad ipſorum ſalutem, quàm vetus illud diluuium ad hominum perditionem.

Cùm itaque Noe Chriſtum, diluuium autem baptiſma ſignificauerit, conſequens eſt, quod arca Eccleſiam præfigurauerit, & ad hoc omnia pulchrè congruunt.

Primò ſiquidem, ſicut ſolus Noe arcam cõdidit, ſic ſolus Chriſtus Eccleſiam. Hinc Paulus: Dei, inquit, ædificatio eſtis. Quid enim eſt Paulus? quid Apollo? &c. Miniſtri Chriſti tantum. Ego plantaui, &c. 1 *1. Cor. 3.*

Arca non vno anno ædificata eſt, ſed centum annis. Et Chriſtus ab exordio mundi ædificare cœpit Eccleſiam, nec adhuc ceſſat. Hinc Paulus: Aſcendit in altum, dedit dona hominibus, &c. ſubditur ad ædificationem corporis Chriſti, &c. 2 *Ephe. 4.*

Arca in fluctibus natabat: ſic Eccleſia in perſecutionibus & tentationibus. Per multas enim tribulationes 3

oportet nos intrare in regnum cælorum.

4 Arca non ex vno,sed pluribus lignis bitumine coniunctis facta est. Sic Ecclesia ex multis hominibus vinculo charitatis in vnitate fidei conglutinatis.

5 Arca,secundum quosdam,facta fuit ex lignis non putrescentibus,secundum aliquos,ex lignis quadratis, secundum aliquos,ex lignis fortibus, secundum nostram translationem autem ex lignis leuigatis. Omnia hæc Ecclesiæ congruunt. Ecclesia enim requirit imputribilia,id est,homines non putrescentes in peccatis,sed semper in virtute sua permanentes,& in æternum victuros. Secundò,exigit homines ad omne bonum opus paratos,quemadmodum lignum quadratum, quocunque proiiciatur, consistit,nec voluitur. Tertiò, exigit homines fortes ad ferendas iniurias,vt per arma iustitiæ procedant per gloriam & ignobilitatem. Exigit quartò homines leuigatos, planatos,id est,mites,mansuetos,&c.ne in eis sit ira,rancor,amaritudo,sed viscera charitatis. Colos.3.

6 Arca magna & lata fuit: & Ecclesia per totum orbem diffusa est. Christus enim dominatur à mari vsque ad mare.

7 Arca in se quidem magna fuit,sed parua respectu mundi,sic Ecclesia impiorũ semper maior est Ecclesia iustorũ.

8 Arca quo inferior erat,eo latior, & quo superior, eo arctior erat. Sic in Ecclesia,quanro quilibet ordo celsior est,tanto & arctior,pauciores habens sequaces: plerique in humilioribus maneut: pauci ad superiora conscendunt.

9 Arca bituminata fuit intus & extra:sic non satis est fideles sibi inuicem cohærere, nisi & ab externis muniti sint:hoc bitumen est patientia,humilitas,crux,quæ videntur quidem deformia,sed optimè muniunt,optimi clipei sunt contra aduersa.

10 In arca varii erant nidi,in Ecclesia varii status. Alios enim posuit pastores,&c. *Ephes.4.*

11 Arca inferius erat bicamerata & tricamerata, superius tamen in vno cubito consummata. Ita Ecclesia varia quidem & distincta habet officia: in Christo tamen omnes vnum sumus,siue mas,siue fœmina,&c. *Gal.3.*

Arca

Arca modicum externi luminis habebat: vna enim fe- 12
nestra parua non multum luminis dare poterat. Sic Ecclesia non multum curat sapientiam secularem: habet enim lumen suum in se. Magis autē curat, vt habeat vitā bonā.

Ianua arcæ quæ tantum vna erat, est verbum Dei, quo 13
ad Ecclesiam introducimur.

Noe non tantùm arcam condidit, sed etiam in eam 14
intrauit. Sic Christus non tantum vt Deus Ecclesiam condidit, sed etiam vt homo in Ecclesia conuersatus fuit, & in ea manebit vsque ad consummationem mundi. *Mat. 28.*

Septem qui eum secuti sunt in arcam, eos significant, 15
qui septem dona spiritus sancti acceperunt.

In arca omnium animalium species admittuntur: sic 16
Ecclesia nullam gentem, nullum hominem reiicit vel excludit, qui modo intrare velit.

In arca, nedum munda, sed etiam immunda animalia
fuerunt: In Ecclesia, Iudæi & Gentes: quos enim Deus mū- 17
dauit, nemo immundos dicat: vel munda & immunda, id *Act. 10.*
est, sancti & peccatores. Semper erunt in Ecclesia infirmi & peccatores.

In arca etiam si plura animalia fuerunt, non tamē per- 18
mixta inter se sine ordine. Sic in Ecclesia ordo necessarius est.

In arca tamen fuerunt plura animalia quàm homines: 19
Sic in Ecclesia plures imperfecti & mali, quàm perfecti & boni.

In arca repositæ fuerunt escæ pro hominibus & anima- 20
libus: Sic Ecclesia cibos habet pro bonis & malis. Pro bonis promissiones & Euangelium: pro malis comminationes, & legem terrentem.

Caput septimum.

Dixitque Dominus ad eum: Ingredere tu, & omnis domus tua in arcam: te enim vidi iustum coram me in generatione hac. Ex omnibus animantibus mūdis tolles septena & septena; masculum & fœminam: de animātibus verò immundis duo & duo, masculum & fœminā. Sed & de volatilibus cæli septena & septena, masculum & fœminam: vt sal-

netur semen super faciem vniuersæ terræ. Adhuc enim, & post dies septem ego pluam super terram quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, & delebo omnem substantiam quam feci, de superficie terræ. Fecit ergo Noe omnia quæ mandauerat ei Dominus. Eratque sexcentorum annorum, quando diluuii aquæ inundauerunt super terrã. Et ingressus est Noe & filii eius, vxor eius, & vxores filiorum eius cum eo in arcam, propter aquas diluuii. De animantibus quoq; mundis & immundis, & de volucribus, & ex omni quod mouetur super terram, duo & duo ingressa sunt ad Noe in arcam, masculus & fœmina, sicut præceperat Dominus Noe. Cumq; transissent septem dies, aquæ diluuii inundauerũt super terram. Anno sexcentesimo vitæ Noe, mense secundo, septimo decimo die mensis, rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, & cataractæ cœli apertæ sunt: & facta est pluuia super terram quadraginta diebus & quadraginta noctibus. In articulo diei illius ingressus est Noe, & Sem & Cham, & Iaphet filii eius, & vxor illius, & vxores filiorum eius cum eis in arcam: ipsi & omne animal secundum genus suum, vniuersaque iumenta in genere suo, & omne quod mouetur super terram in genere suo, cunctumque volatile, secundum genus suum, vniuersæ aues, omnesque volucres ingressæ sunt ad Noe in arcam, bina, & bina, ex omni carne, in qua erat spiritus vitæ. Et quæ ingressa sunt, masculus & fœmina ex omni carne introierunt, sicut præceperat ei Deus: et inclusit eum Dominus deforis. Factumque est diluuium quadraginta diebus super terram: & multiplicatæ sunt aquæ, & eleuauerunt arcam in sublime à terra. Vehementer enim inundauerunt, & omnia repleuerunt in superficie terræ: porro arca ferebatur super aquas. Et aquæ præualuerunt nimis super terram: opertique sunt omnes montes excelsi sub vniuerso cœlo. Quindecim cubitis altior fuit aqua super montes quos operuerat. Consumptaque est omnis caro quæ mouebatur super terram, volucrum, animantium, bestiarum, omniumque reptilium quæ reptant super terram. Vniuersi homines, & cuncta in quibus spiraculum vitæ est in terra, mortua sunt. Et deleuit omnem substantiam quæ erat super terram, ab homine vsque ad pecus, tam reptile, quàm volucres cœli. & deleta sunt de terra: remansit autem solus Noe, & qui cum eo erant in arca. Obtinueruntq; aquæ terram centum quinquaginta diebus,

IN hoc capite describitur terribile illud iudicium Dei, quo vniuersum mundum perdidit diluuio. Videbimus item Deum vtrinq; veracem, in cõminationibus & promisſis erga impios & pios: Quod enim hactenus impiis cõminatus est, adeò seuerè executus est in hoc capite, vt fieri non posset quin inde exterreamur, q̃ terribile igitur fuit hæc ipsa videre & experiri? Econtrà quicquid hactenus ipsi Noe promisit, tanta fide in hoc capite præstitit, vt vel ex hoc solo cõfirmari posſit fides nostra. Hæc igitur duo potisſimum in & ex hoc capite obseruanda sunt, quòd scilicet Deus nec frustra cõminatur, nec fallaciter promittit. quæ vtinã cordibus nostris inscripta essent Primũ enim nos absterreret à malo: secundum, nos ad bonum extimularet. Nunc ipsam literam inspiciamus.

Ingredere in arcam tu & omnis domus, &c.

Non statim hæc dixit post illa quæ superiore capite dixerat, sed multi anni intercesserunt, totum scilicet tempus illud quo Noe arcam fabricauit. Itemq; totum illud tempus, vel saltẽ maior pars eius tẽporis, quod supra ipsis hominibus ad pœnitentiã prorogauerat, imo ex sequentibus liquido apparebit, quòd centũ anni interfluxerint inter hanc & priorem iusſionẽ domini. Cùm itaq; tantum tempus expectasset, nec vllam emendationẽ videret, tandem iusſit Noe introire arcam vnà cum domo sua, id est, familia, hoc est, vxore & filiis: sic enim scriptura frequenter loquitur. vt cũ dicitur de obstetricibus AEgyptiorum, ædificauit illis domos, id est, dedit illis posteritatem. sic & in psalmis dicitur: In exitu Israel de AEgypto, domus Iacob de populo barbaro, &c. vbi domus Iacob nihil aliud est q̃ populus Israel à Iacob descendens. *Exodi. 1.* *Psal. 11.*

Te enim vidi iustum coram me, &c.

Rationẽ reddit cur ipsum saluare velit prę aliis: quamuis enim potisſimum ex gratia saluatus sit, hic tamen palam ostenditur quòd etiam propter iustitiã suam saluatus sit. Vnde satis patet, quòd apud Deum etiam est respectus operum nostrorũ, quamuis enim scriptura rarisſimè vtatur meriti vocabulo (ne scilicet occasionem superbiendi det, cùm non sit nostrum opera nostra magni

Luc.17. æstimare, sed dicere: Serui inutiles sumus. Item: Omnes
Isai.64. iustitiæ nostrę sicut pannus menstruatæ) aliis tamen vtitur vocabulis æquiualentibus, qualia sunt, merces, retributio, reddere, &c. Sic Christus: Merces vestra copiosa
Matt.5. est in cœlis. Sic Ieremias: Est merces operi tuo. Sic Paulus: reddet vnicuiq; secundum opera sua. Hæc inquam
Iere.31. & huiusmodi satis ostendunt, apud Deum esse respectum operum nostrorum. Non igitur audiendi sunt qui dicunt nec bona nec mala opera quicquā facere, vel ad salutem vel ad damnationem, sed tantum fidem & incre-
Eccle.9. dulitatem. Sed audiendus Salomon qui dicit: Quęcunq; potest manus tua instanter operare, &c. Magnum autem hoc testimoniū est, quod Deus ipse de iusto pronūciat: ego te vidi iustum. hæc enim vera est cōmendatio, cùm oculus ille qui falli nequit suū fert calculum: Non enim
2.Cor.10 qui seipsum cōmendat probatus est, sed quem Deus cōmendat, inquit Paulus. Singula autem verba emphasim habēt, primò quod dicit, ego vidi: Ego inquam, qui scrutor corda & renes. Deinde nō solum vidi, sed iustum vidi: nec simpliciter, sed coram me. non enim satis est iustū esse coram mundo. Postremò addit in generatione hac, ne videatur & antecedentes & subsequentes iustos accusare: alioqui si simpliciter dixisset te vidi iustum, posset quis cogitare nec ante nec post ipsum quenquam fuisse iustum: addit igitur in generatione hac. Quanquam etiam sic accipi possit quòd ad commendationem ipsius Noe hoc dictum sit, qui iustus permanserit inter tot malos. Quòd autem de sola ipsius iustitia dicit, nihil autem de iustitia filiorum, confirmat hoc quod supra ostensum est, nempe alios non propter iustitiam, sed propter ipsum Noe seruatos.

Ex cunctis animantibus mundis septena, &c.

Poterat vno verbo semen restituisse animalibus, poterat etiam ipsa alicubi seruare, vt non necesse esset ea in arcā introducere, verùm per hoc exerceri debuit iustus, impii autem terreri & ad pœnitentiam reuocari.

Obseruādum quod hic distinctionē facit inter animalia, aliqua enim dicit munda, alia immunda: nō quòd in se
Gen.1. immunda vel mala sint, cū à Deo creata sint, cuius omnia

opera

opera bona sunt, sed quòd homini ad cibum non conueniant, vel quòd malum aliquid vel immundũ significent: vt sus luxuriosos, canis inuidos, leo tyrannos, asinus inertes & pigros, equus superbos, &c. ob has causas dicuntur immunda. Patet igitur quòd etiã ante legẽ discrimen fuit inter munda & immunda animalia: imò hinc patet ꝙ lex pro maiori parte ex historiis patrum præcedentium desumpta est. Patet item quantã sapientiam & experientiam habuerint prisci illi patres, quòd omnium animaliũ naturas & conditiones nouerunt. Cæterum quòd ex mũdis septem, ex immundis tantum bina iubet sumere, ideò factum: Primò vt plura essent animalia quæ prodessent homini: secundò, ne multiplicarentur animalia nociua, quod & ipsum curam Dei pro homine indicat: tertiò, vt munda animalia sufficerent, non tantùm ad conseruationem speciei, sed etiam ad sacrificium domini. Ob cãdem causam etiam mundorum animalium numerus impar exprimitur, ne sacrificaturus cogeretur mutilare paria. Sciebat pius Deus, quòd iustus ille post diluuium declaraturus esset gratitudinem suam, & hostias imolaturus, ideò hæc sic ordinauit. Præterea etiam ideo plura iubet introducere munda quàm immunda, vt videamus quales nos velit esse in Ecclesia: Vocauit enim nos Deus nõ in immunditiam, sed in sanctificationem: elegitq; nos vt essemus sancti & immaculati. Atq; vtinam Ecclesia in hoc vno responderet arcæ illi veteri, vt plures haberet mundos quàm immundos, à quo tamen proch dolor, longè abest, præsertim nouissimis his diebus.

Leuit. 11

1. Thes. 4.

Ephes. 1.

Adhuc enim post septem dies ego pluam, &c.

Hæc est vltima cõminatio ante diluuiũ, quã per ipsum Noë iamiã ingredientẽ in arcã, imo etiam ex arca hoĩbus aliis valedicentẽ proclamauit: est autẽ multo terribilior q̃ præcedẽtes. Quanquã etiã hic insigniter ostẽdat misericordiã suã, iam siquidẽ tot annos expectauerat, iã fermè transierãt anni quos ad pœnitentiã ipsis concesserat, iam ipsum Noë ingredi iusserat, quasi ilicò perditurus mũdũ & tã adhuc differt, imo adhuc tẽpus pœnitẽtię dat, vt manifestè videas, ꝙ inuitus punit. Breue autẽ tẽpus eis assignat, tum quia longo illo tẽpore abusi erant, tũ vt magis

cos

eos terreret, quãquam omnia frustranea fuerint. Omninò enim dissimiles erant Niniuitis, qui ad vnam commi
Ionæ.3. nationem Ionæ pœnitentiam egerunt. Quantumuis autem breue tempus nunc ipsis dederit, satis tamen fuisset ad auertendam iram Dei, si pœnitere voluissent: tam pretiosum est tempus huius vitæ & maximè in nouo testamento, quod breuissimo tempore omnis anteactæ vitæ
Ionæ.3. peccata abstergere possemus. Sic Niniuitæ vix dum inceperant pœnitere, cùm statim dominus sententiam reuocauit. Sic latro ille cum Christo crucifixus, vix vnã adhuc horam vitæ huius habebat, & tamen in tam breui tẽpore, & peccatorum remissionem, & vitam æternam promeruit. Infelicissimi igitur sunt, qui nobilem hunc thesaurum, tempus scilicet gratiæ, tam nihili pendunt, tam inutiliter consumunt: veniet hora quando desiderabunt vnum diem videre filij hominis, & non poterunt: veniet
Luc.17. tempus cum claudetur ianua, & excludentur fatuæ virgi
Mat.25. nes, quæ in hac vita oleum sibi non compararunt.

Ego pluam super terram quadraginta diebus, &c.

Ego pluam inquit, vt ostendat se auctorem diluuij, vt sibi hoc adscribendum, non planetis aut constellationi. Tempus autem pluuiæ exprimit ad maiorem terrorem: & quanquam vno momento totam pluuiam inducere posset, debita tamen opera quadraginta dies pluit, vt simul incuteret timorem, & occasionem præstaret vel tunc pœnitendi, vt vel saltẽ naufragium animæ euadere possent, ne simul corpore & anima perirent, verè pius dominus.

Delebo, inquit, omnem substantiam, &c.

Hoc iam toties repetit, necdum tamen quisquam pro venia orat, tanta erat horum impietas & duritia: quæ vtinam non etiam in nobis esset. Patet igitur vel ex hoc quòd iustè perierunt.

Fecit ergo Noe omnia quæ præcepit ei Deus, &c.

Hoc etiam supra dixerat, sed nunc repetit, quasi nõ satis admirari nobisq́; inculcare posset insignem illam iusti Noë fidem, promptamq́; ad omnia obedientiam: hæc enim duo potissimum in ipso spectanda sunt. Hunc igitur virum etiam nos imitemur, & eò feruentius quo & nos maiores & plures promissiones habemus, maiorq́; à nobis

nobis exigitur iustitia, quàm à veteribus illis, quorũ tempore non sic effusus erat spiritus sanctus.

Sexcentorum annorum erat Noe, &c.

Hic videmus centum annos intercessisse, ab eo quo iussus est Noë fabricare arcam, vsq; ad ingressum. Non sine causa autẽ tam diligenter distribuuntur hi anni: hinc enim probatur insignis ipsius fides & obedientia. Si enim prophetæ suis quisq; temporibus futura mala prædicẽdo sic offenderunt homines vt de vita periclitarentur, vnde Ieremias dicit: Formido, fouea, & laqueus est nobis vaticinatio, &c. quantos putas fluctus sustinuit Noë, tanto tempóre diluuium prædicens: & tamen nihil ob id exterritus fuit, quo minus in sua vocatione pergeret. Meritò igitur quia tam diligenter seruauit verbum Dei, seruatus est ab eodem. Deinde per hanc annorum annotationem, manifestè ostenditur malitia ipsius populi, qui tanto tempore ad pœnitentiam ipsis dato abusi sunt, & toties tamq; diu admoniti, ne in aliquo quidem emẽdati sunt. Præterea hinc etiã apparet insignis & mirabilis Dei patiẽtia, qui tot annis expectauit & dissimulauit, id quod Petrus magni æstimat. Quod autem hic viginti anni subtrahuntur, itidem gratiæ signum est: cum enim videret quòd indies mala augerent, ne maius sibiipsis iudicium acquirerent, tempus ipsis breuiauit, ex quo videbat eo nihil lucrari nisi maiorem pœnam.

Thren. 1.

1. Pet. 3.

Et ingressus est Noe & filij eius, &c.

Etiam hic repetit paucitatem eorum qui arcam ingressi sunt, quasi admirans, quòd ex omni genere hominum tantum octo saluati sint. Deinde vt etiam nobis terrorem per hoc incutiat, id quod & Christus fecit cùm tóties in Euangelio repetit: Multi sunt vocati, pauci verò electi. Item: Augusta est porta & arcta via quæ ducit ad vitam. Addit autem Moses etiam iumenta & animalia simul cum Noë ingressa esse in arcam, quod & ipsum insigniter ostendit hominum malitiam, nempe quòd ex vniuerso mundo animalia ad arcam venerunt, homines autem, quibus tot annis prædicatum erat, irriderent. Vnde patet quod homo à Deo relictus, nedum bestijs similis est, sed etiam deterior: nam etiam feræ cicurantur & man-

Matt. 20

Matt. 7.

mansuescunt,homo aũt impius nullo freno cohiberi potest.Hinc toties in scriptura impiis improperatur:Cognouit bos possessorem suum,Israël auté me non cognouit. Et iterum: Hirundo & ciconia cognouerũt tempus suũ,&c. Ex eo aũt quòd omnia animalia ad Noë venιũt, etiã feræ,nec ipsi quicquã nocent,sed obediunt,apparet quid posſit innocẽtia,iustitia,fides,&c.sicut enim impiis omnia aduersantur,sic pijs oĩa obediũt & seruiũt. Additur & hoc,Sicut præcepit ei Dñs.quo verbo etiam supra vsus est,nũc aũt repetit,ostendẽs quòd Noë in omnibus à solo verbo Dei pẽdebat,id quod summe cõmendandũ est:hæc enim vera obediẽtia est.In fine addit, quòd dominus clausit ostiũ de foris:quod homo nõ potuit Deus suppleuit. Nihil aũt aliud per hoc ostẽdere voluit,quàm Deum sua volũtate muniuisse arcã & custodisse:dominus enim protector suorũ est. Clausit igitur arcã,tũ ne aquæ per eam intrarent, tum ne iustus videre posset miserabilem illam hominum pecorũq; perniciem,sicq; maiori dolore afficeretur:sic Deus vndiq; suorum rationem habet.

Isaia.1. Ierem.8.

Anno sexcentesimo,&c.mense secundo,&c.

Nedum annũ,sed & mẽsem,imo etiam diem exprimit, ne quis putet fabulã esse ad terrendos homines confictã. Deinde tam diligenter omnia scribit,vt ex tãto iudicio posteros reddat emendatiores. Præterea obseruandum hic,quòd dominus eo tẽpore anni diluuium misit, quod homines vel maximè delectat, quo & maximè inuiti moriuntur,vt est mensis Maij, secundum eos qui annum incipiunt ab Aprili:vel tempus autũnale,secũdum eos qui annum à Septẽbri incipiunt:tunc enim omnes fructus cõportati sunt. Vt igitur maior esset impiorum dolor,eos perdit cùm minimè omnium vellent, imo cum nihil non lætũ sibi pollicerentur.Idem iudicium contigit diuiti illi Euangelico, qui multis bonis cõgregatis pollicebatur sibi deinceps quietam vitam,&c. verùm eadem nocte periit:Idem contigit Nabuchodonosor regi: idem impio Aman,Hester.6.& 7.Item Ptolomęo,qui generum suum Alexandrum Syriæ regem expellẽs,cùm sperasset se duo regna habiturum, tertio die mortuus est. Idem contigit Herodi Act.12.atq; hoc ipsum est quod Christus toties dicit:

Lucæ. 12 Dan. 4. 1.Mac.2.

dicit:Qua hora nō putatis filius hominis veniet.Et Paulus:Cùm dixerint pax & securitas,tunc repêtinus eis imminet interitus.Nemo igitur in prosperitate mūdana cō fidat:Spes enim impij quasi lanugo quæ à vento tollitur, &c.Hinc Paulus,Præcipe diuitibus ne in incerto diuitiarum sperent,sed in Deum viuum. Hinc & Oseæ dicit: Noli lætari Israel (quod scilicet omnia nunc prosperè tibi succedunt)quia peccasti in Deum tuum,ideo prosperitas hæc tua diu manere non potest. *Luc.12.* *Sap.5.* *1.Tim.6* *Osea.9.*

Rupti sunt omnes fontes abyssi magnæ, &c.

Abyssus magna,mare dicitur,fontes eius subterranei meatus & venæ.Cataractæ autē dicuntur aquarum descēsus ex eminentissimo loco cum magno fragore, velut si cælum pateat in pluribus locis, & inde aquæ cum maximo impetu effundantur.Ostendit igitur aquas vndique magno impetu è cælo,è terra,supernè,infernè,irruisse,adeo vt nullum esset effugium. Sic enim reuelante se iudicio Dei nemo effugere potest:id quod pulchrè legis Amos nono:Non erit fuga eis,&c.Ostendit item hoc verbo,& cælum & terram commota esse.sic enim omnes creaturæ armantur ad vltionem inimicorum Dei.Mirè autē Moses rem exaggerat,vt maiorem terrorē incutiat:Non aliqui tantùm fontes inquit, sed omnes: nec simpliciter aquam effuderunt,sed rupti sunt inquit,id est,cum magno impetu eruperunt aquæ ex omnibus locis terræ.Vide quàm facilè possit Deus impios perdere, nullus eius labor est: sicut nec labore aut molestia grauatur cum iustos liberat, iuxta Isaiam. Multa habet Deus media quibus impios perdere potest: sic aliquos igne,aliquos aqua, aliquos terra,aliquos aere corrupto,alios per bestias cōsumpsit : vt vbique & in omnibus Deum timeamus: nihil minus timuerunt homines ante diluuium,quàm fontes abyssi rumpendos, & tamen hoc experti sunt. Verissimè igitur dictum est, Altissimus patiens est redditor. Itemque lento gradu ad vindictam diuina procedit ira, tarditatem autem compensat supplicij grauitate. Moraliter autem, vbi & ratio & sensus corrupti sunt in homine,fieri non potest quin magnum diluuium sequatur. *Amos.9.* *Esa.40.*

Et facta

Et facta est pluuia quadraginta diebus, &c.

Potuit vno momento eos perdere, sed pereuntibus hominibus tépus pœnitentiæ datum est: & vt iudicium domini cum maiori angustia sentirent, qui ipsum Noë tam diu hæc prædicentem, & ad vitæ emendationem admonentem irriserant. Cæterum, sicut hic quadraginta dies peccatores punit, sic postea quadraginta diebus legé dedit, merito igitur is numerus pœnitentiæ dicatus est.

Et multiplicatæ sunt aquæ & leuauerunt, &c.

Vtitur Moses in vna eademque re exaggeranda pluribus verbis, & ferè ad fastidium vsque, dicens: Multiplicatæ sunt aquæ, præualuerunt aquæ, &c. hoc autem non sine causa fecit. Primo, vt eo minus dubitaremus de veritate historiæ: plerisque enim videtur incredibile tantum diluuium potuisse fieri, propter quorundã montium altitudinem: verùm si rectè attendas, nõ excedit fidem quod hic dicitur. Primo enim fateantur oportet, terram esse in verticibus huiusmodi montium, atqui terra omnium elementorum grauius est: igitur si terra exaltari potuit vsq; ad illa cæli spacia, multo magis hoc potuit aqua quæ leuior atque superior est quàm terra. Deinde ideo etiam toties repetit & exaggerat aquæ magnitudinem, vt vel hinc conijciamus quanta miseria & angustia tunc fuerit in terra, atque hinc futurum etiam iudicium ponderemus. Cæterum, sicut magnam aquarum vim præcedere oportuit in perdendis hominibus carnalibus vt innouatio sequeretur, sic non est parui negocij & laboris mortificare carnem & vitia, vincere mundum, &c. Obserua quod aquæ nõ tantum ad impios peruenerunt, sed etiam ad arcam impegerunt: & quamuis eam submergere non possent, tamen eam leuarunt, & hinc inde iactauerunt, vt timeri posset naufragium. Sic etiam piis contingit in Ecclesia, vndique concutiuntur tentationibus, tametsi non pereant.

Opertiq; sunt omnes montes excelsi, &c.

Quia supra dixit terrã impletam fuisse malis, ideo eam vndique operit aquis vt omnia purgentur: deinde per hoc monstratur etiam volucres cæli periisse: non autem hic loquitur tantùm de collibus, sed de montibus excelsis, qui

fis qui ſcilicet celebres ſunt:& addit omnes. Deniq; ſub vniuerſo cęlo, ne putemus diluuium in vna tãtùm regione fuiſſe. Quindecim autem cubitis exceſsit montes, ne ſcilicet arca impingeret in cacumina montium.

Conſumptaq́; eſt omnis caro, &c.

Nihil hic profuit mulieribus ſua pulchritudo, nihil gigantibus ſua fortitudo, oẽs perierunt: Non ſaluatur rex per multam virtutem, &c. Nec diuitiæ quicq̃ proſunt in die vltionis: nõ igitur in his rebus ſperandũ & confidendum. Nemo poteſt reſiſtere iudicio Dei, coram quo impii ſunt quaſi puluis quem proiicit ventus, &c. Imò quaſi grex locuſtarum in ſepibus paruo frigore percuntes. Nihil igitur melius eſt quàm humiliari ſub potẽti manu Dei. *Pſal. 32.* *Pſalm. 1.* *Naum. 3.*

Cæterùm ſicut hic omnis caro perit, ſic in nobis omnis mortificanda eſt carnalitas: & quemadmodũ diluuiũ ſexcenteſimo anno omnem carnem perdidit, ſic oportet vt ſexta die vel ætate mundi omnia vitia carnis in nobis intereant, ſi peruenire velimus ad ſeptimam diẽ quietis. Quanquam quod ſexcenteſimo anno Noe nec ante nec poſt diluuium venit, quaſi prophetia erat, peccatum mundi nõ ante per Chriſtum tollendum, quàm in ſexta ætate mundi: ob quam cauſam etiã Chriſtus ſexta die mortuus eſt in cruce. Præterea ſicut hic omnes pereunt qui in terra remanſerunt, ſic quicunq; à terrenis ſe non abſtrahit ad ſpiritualia, certo cum terra peribit.

Remanſit autem ſolus Noe, &c.

Quid hoc ſignificet ſupra dictum eſt in allegoria. Cæterùm remanſit quidem Noe à diluuio, interim tamẽ nõ ſine tentationibus erat, & quidem grauiſsimis, vt mirum ſit eum non deſperaſſe. Primò enim relinquere cogebatur domum, amicos, &c. imò nedum relinquere, ſed interitum eorum videre. Secundò, quaſi in carcere & tenebris, fœtoreque animalium clauſus manere cogebatur. Tertiò, fieri non potuit quin magnis terroribus quateretur cùm videret tantam iram Dei, aquaſque vndique irruentes, imò nihil niſi præſentem mortem videbat: Si in mari timemus ad modicum ventum, quid hic timoris fuiſſe credendum eſt? Quartò, timere poterat ne & ipſum relinqueret Deus. Quintò, neſciebat quamdiu tan-

ta tempestas duraret. Sextò, nec videbat quomodo exi-re posset cum clausa esset arca. Septimò, cruciabat eum interitus hominum: sunt enim sancti misericordes & compatientes. Demum non parum etiam negocii cum suis habuisse credendus est vt eos consolaretur, & confortaret ne desperarent, &c. Quis in tantis tentationibus non succubuisset ac mori prælegisset, verùm omnia sustinuit sanctus hic, tanta fuit Dei gratia circa eum, tantaq; fides eius, quæ vel sola eum conseruauit, quoniam nullũ aliud erat auxiliũ aut consiliũ. Hæc fortitudo fidei etiã nobis necessaria erit tempore mortis, alioqui nõ persistemus. Discamus igitur ex hoc iusto firmiter adhærere verbo Dei: deinde discamus non tantum attendere præsentia mala, sed etiam futura pręmia. Maximè autem imitemur eius patientiam: ecce quibus non erat iudicium vt biberent calicem domini, biberunt, & tu innocens relinqueris? Nequaquam, &c.

Obtinueruntq; aquæ terram centum quinquaginta diebus.

Etiam hoc pertinet ad cõmendandam iusti patientiã, quod omnia ea quæ suprà enumeraui non vno die, sed centum quinquaginta, imo toto anno perpessus sit: deinde etiam magnitudinem diuinæ iræ ostendit. Obseruandum etiam in hac perditione impiorum, quid conscientiæ ipsorum in tanto iudicio senserint: Quid enim aliud cogitare poterant quàm, ah cur non credidimus admonitioni iusti Noe? cur non obtemperauimus? cur non resipuimus? cur timere Deum noluimus. Sed nimis sera est hæc pęnitentia, potius ex desperatione, & malorum præsentium metu, quàm amore Dei profecta. Atque hic nota, impijs vt foris internecionem & vastationem, ita intus longe grauiorem illis imminere pœnam, conscientiæ scilicet terrorem & desperationem, qua demum perduntur & obruuntur qui voci Dei non crediderunt. Hæc igitur exempla nobis proponamus, nam si boni, si innocentes, si Dei timentes fuerimus, aderit nobis Deus, fouebit: si perrexerimus impij esse, Dei contemptores, excidemur quemadmodum illi. Orandus itaque est nobis Deus, vt & sua gra

sua gratia à flagitiis nos seruet immunes, & virtute sua ita nos corroboret, ne vnquam ab eo diuellamur.

Caput octauum.

RECORDATVS *autem Deus Noe, cunctorumq́; animantiũ & omniũ iumẽtorũ quæ erãt cũ eo in arca, adduxit spiritũ super terrã, & imminutæ sunt aquæ. Et clausi sunt fontes abyßi, & cataractæ cæli: & prohibitæ sunt pluuiæ de cælo. Reuersæq́; sunt aquæ de terra euntes & redeuntes, & cœperunt minui post centũ quinquaginta dies. Requieuitq́; arca mẽse septimo, vicesimoseptimo die mensis super montes Armeniæ. At verò aquæ ibãt & decrescebãt vsq; ad decimũmensem: decimo enim mense prima die mẽsis apparuerũt cacumina mõtiũ. Cumq́; trãsissent quadraginta dies, aperiens Noe fenestrã arcæ quã fecerat, dimisit coruũ: qui egrediebatur & nõ reuertebatur, donec siccarẽtur aquæ super terrã. Emisit quoq; columbã post eũ, vt videret si iam cessaßent aquæ super faciem terræ. Quæ cum nõ inuenisset vbi requiesceret pes eius, reuersa est ad eum in arcã: aquæ enim erãt super vniuersam terrã: extẽditq́; manũ suam & apprehensam intulit in arcam. Expectatis autem vltra septẽ diebus aliis, rursum dimisit columbã ex arca. At illa venit ad eum ad vesperã portãs ramum oliuæ virẽtibus foliis in ore suo. intellexit ergo Noe quòd cessassent aquæ super terram. Expectauitque nihilominus septem alios dies: & emisit columbam, quæ nõ est reuersa vltra ad eum. Igitur sexcentesimo primo anno primo mense prima die mensis imminutæ sunt aquæ super terram: & aperiens Noe tectum arcæ, aspexit, viditq́; quòd exiccata esset superficies terræ. Mense secundo, septimo & vigesimo die mensis arefacta est terra. Locutus est autem Deus ad Noe, dicens: Egredere de arca tu & vxor tua, filii tui, & vxores filiorum tuorum tecum. Cuncta animantia quæ sunt apud te ex omni carne, tam in volatilibus quàm in bestiis & vniuersis reptilibus quæ reptant super terram educ tecum, & ingredimini super terram: crescite & multiplicamini super eam. Egreßus est ergo Noe & filii eius, vxor illius, & vxores filiorum eius cum eo. Sed & omnia animantia, iumenta, & reptilia quæ reptant super terram secundum genus suum, egressa sunt de arca. Aedificauit autẽ Noe altare domino: & tollẽs de cũctis pecoribꝰ & volucribus mũdis, obtulit holocausta super altare. Odoratusq́; est*

dominus odorem suauitatis, & ait ad eum: Nequaquam vltrà maledicam terræ propter homines: sensus enim & cogitatio humani cordis in malum prona sunt ab adolescentia sua: non igitur vltra percutiam omnem animam viuentem sicut feci. Cunctis diebus terræ, sementis & messis, frigus & æstus, æstas & hyems, nox & dies, non requiescent.

HACTENVS de impiorum interitu audiuimus, qui tametsi his qui perierunt terribilis fuerit, aliis tamen qui residui erant eorumq; posteris dupliciter vtilis esse poterat, dummodo ipsi vellét. Primò enim omnes impii perierant, ergo securè deinceps poterant Deo seruire, cum nullus esset qui impediret, irrideret, persequeretur: nullus item esset qui eos ad malum incitaret, id quod ante diluuium fuerat. Deinde, tale speculum iræ Dei præ oculis habebant, vt facilè videre possent quid ipsis expectandum esset si ad vitia declinarent.

Nunc autem in hoc capite, relictis impiis iudicio Dei, conuertit se ad pios: & sicut prius ostendit gaudium impiorum in magnum luctum conuersum fuisse, sic hic ecôtra ostendet piorum tristitiam in gaudium conuersam
Ioan. 16 esse: iuxta promissum Christi. Videbimus igitur hic verum esse quod alibi scriptum est: Dominus mortificat &
1. Reg. 2. viuificat, deducit ad inferos & reducit. Itemque illud: Id
Tob. 3. pro certo habet omnis qui colit te, quòd vita eius si in probatione fuerit coronabitur, &c. subdit: Non enim delectaris in perditionibus nostris, sed post tempestatem serenum adducis, &c. Quantum igitur præcedens caput terrorem habuit, tantum hoc habet consolationis.

Recordatus est dominus Noe, &c.

Non sic intelligendum quòd ad tépus ipsius Noe oblitus sit, nunc autem de nouo eius recordetur, hoc enim admodum terribile esset: si enim oblitus fuisset ipsius Noe qui iustus erat, quem dominus ipse commendarat, cumque eo pactum fecerat, quis nostrum sperare posset, Deum sui curam agere qui tantum virum neglexerit? Verùm non obliuiscitur Deus suorum, imò nunquam non aspicit & curat bonum creaturarum omnium, inprimis autem hominum, vt singulorum hominum singula

gula bona æquè vt omnium ſimul agere credi debeat & reuera agat:maximè tamen electorum ſuorum curam agit,quorum nunquam obliuiſcitur. Hinc in Iſaia: In manibus meis decripſi te,& muri tui coram oculis meis. De nique:Si poteſt mater obliuiſci infantis ſui,& cæt. *Iſa. 49.*

Videtur tamen Deus noſtri obliuiſci cum non ſemper adeſt, adiuuat, conſolatur cum obruimur tentationibus & anxii nobiſipſis relinquimur, id quod ipſi Noe contigit. Reminiſcitur vero cum conſolatur,ſuccurrit, adiuuat. Recordatur ergo Noe cum eximit periculo,cùm circundationi obſiſtit:vel recordatus eſt ipſius,id eſt, miſertus quòd in tanta anguſtia & periculo eſſet, ignoraretq́; quando moleſtiæ illæ finem haberent.

Summa,hoc verbo planè oſtenditur,quòd Deus nunquam ſuorum obliuiſcitur. Eſt enim ſenſus:Quãtumcunque Deus ſæuierit in genus humanum,tamen ipſius Noe non oblitus fuit:Sic enim Deus cum iraſcitur,miſericordiæ ſuæ recordatur. Hæc igitur eſt prima conſolatio huius capituli , & verè magna : Quid enim dulcius ſonat, quàm hominem eſſe in perpetua memoria & cura apud Deum. Vide autem quòd Deus tum vel maximè ipſius Noe recordari dicitur,cum iam eſſet in maxima anguſtia ac proximus deſperationi. Viderat aquas quadraginta diebus creſcere:ſciebat impiis deletis nihil opus eſſe aqua tanta:expectauerat iam centum quinquaginta dies, ſi fortè aquæ decreſcerent,nihil tamen fiebat: Quid igitur aliud cogitare potuerunt,maximè filii eius & mulieres,quàm iam etiam ſibi imminere mortem?nec vllam vnquam ſpem eſſe egrediendi ex arca?In hac tentatione aduenit Deus, alioqui vlterius perſiſtere non potuiſſent: *1. Cor. 10* Sic etiam nobiſcum agit Deus,ſinit ſuos tentari,ſed quia fidelis eſt,nõ ſinit eos tentari ſupra id quod poſſunt,&c. Sic cum omnia videntur deſperata,adeſt Deus.

Præterea,quòd nõ ante dicitur recordatus ipſi⁹ Noe quàm periiſſent peccatores,hoc in myſterio habet,quòd Deus tunc verè memor noſtri eſt & benefacit,cùm vetus Adam cum vitiis ſuis in nobis interit.

Adduxit ſpiritum ſuper terram,&c.

Per ſpiritũ aliqui hic intelligunt ſpiritũ ſanctũ, de quo

Gen.1. & supra dictum est quòd ferebatur super aquas. Voluit igitur spiritum sanctum missum ad consolationem ipsius Noe, deinde etiam ad reducendas aquas in locum suum.

Sic & moraliter spiritus sanctus est qui exiccat in nobis aquas concupiscentiæ & voluptatis: itemque mitigat aquas tentationum & aduersitatum. Alii simpliciter intelligunt per spiritum ventum, id quod alias frequens est in scriptura, vt cum dicitur: Dixit & stetit spiritus procellæ, &c. Ventum enim misit ad exiccandas aquas, sunt enim quidam venti quibus maxima vis est siccandi, & maximè Aquilonares venti, vnde & in Exodo dicitur: Abstulit dominus mare flante vento vehementissimo, & vertit illum in siccum. Fuit igitur hæc altera consolatio ipsius Noe, cùm viderent & sentirent hûc ventum: hinc enim sperare potuit aquas minuendas. Longè autem aliter loquitur hic Moses de origene ventorum, quàm philosophi, qui nescio quas causas naturales assignant, Moses autem Dominus, inquit, misit ventos: docens nos omnia in Deum primam causam omnium referre debere. Obseruandum & hoc, quod sicut Deus potuit totam terram aquis implere solo verbo, non tamen hoc fecit, sed aperuit venas terræ, fontes & abyssos, pluuiasq; misit, donec tantum inualescerent aquæ vt omnia delerent: sic rursus etiã hic potuit aquas vno verbo reuocare, sed ventum ad hoc excitauit, vt videamus quod & antea sæpè dictũ est, Deum, tametsi virtute sua soloque nutu & verbo omnia possit, vti tamen instrumentis quæ ad id creauit.

Psal.106

Exo.19.

Et clausi sunt fontes abyssi, &c.

Meritò hoc addit, alioqui ventus solus non potuisset tantam aquarum vim exiccare. Obserua autem, quòd sicut Deo iudicante & irascente omnes creaturæ in interitum hominum conspirarunt, nam rumpebantur fontes, aperiebantur catharactæ cæli, descendebat pluuia, inualescebat aqua, obruebat impios; sic hic Deo iudicante omnia contrario modo se habent, imò piis seruiunt, nam clauduntur fontes abyssi, item fenestræ cæli, prohibetur pluuia, decrescit aqua, imò etiam fugit & reuertitur nimirum in abyssum, quo omnia flumina perueniunt,

Eccle.1.

ueniunt. Signanter autem consolationem iusto præbuit, cum arca iam stabilem locum cepisset, quæ hactenus fluctuauerat, hinc inde iactata. Quód autem in montibus resedit arca, quasi præmonitio fuit, ne amplius ita se terræ humilibusque rebus se immergerent sicut prius fecerant. Primò item apparent cacumina montium, eorum scilicet qui à terra eleuati sunt, hi facilè, etiam si ad tempus superentur à tentationibus, emergunt. Qui autem humilibus rebus se occupant, difficulter ab aqua liberantur. Ex hoc igitur loco duo hæc obseruanda sunt: primum, quantumuis magna esset aqua, quantumuis omnia submergeret, etiam altissimos montes operiret, tamen arcam submergere non potuit, sic nulla tempestas tam magna, quæ Ecclesiam obruere possit. Secundum, nedum arca perstitit in aqua, sed insuper aqua nunc cedere cogitur: sic quantacunque sit tentatio Ecclesiæ, tamen suo tempore cessabit. Igitur si tanta aqua delabi & minui potuit, cessabunt & alia minora pericula si pii fuerimus.

Post quadraginta dies aperuit fenestram, &c.

Hactenus descripsit quid Deus & contra impios, & pro piis egit, nunc ad ipsum Noe reuertitur, ostenditq; quomodo idem Noe nouæ generationis parẽs, vita & exemplo suo posteritatem nouam instruxerit. Et primò in ipso Noe videmus affectum tentati hominis cui omne tempus longum est, videturq; ei quod Deus nimium tardet, ideó vndiq; circũspicit si alicubi consolationẽ inueniat: sic Noë cùm iam per annum in arca fuisset, nec tamẽ adhuc Deus se ostenderet, aperit fenestrã arcæ, vt vel saltem cælum aspiceret, si quam inde consolationem reportaret. Ob eandem causam etiam aues emisit, si fortè lætum aliquod nuncium reportarent. Errant igitur qui putant sanctos non ita sensisse amaritudinem crucis vt nos: fuerunt & ipsi homines, gemuerunt sub cruce, iuxta illud: Euntes ibant & flebant. Itemque, Egentes angustiati afflicti, & cæt. non tamen sub cruce murmurauerunt, nec crucem abiecerunt. Hebr. 11. Deinde in Noë videmus exemplum veri patrisfamilias, qui cum alij quasi desperati essent, ipse curat & solicitus

 est, ita

est, ita tamen vt nihil contra domini præceptum agat: quia enim à domino iussus erat arcam ingredi, noluit per seipsum egredi & explorare, sed aues emisit. Hinc discát patres ita curare pro filiis, vt tamen non impiè agant in Deum propter filios.

Emisit coruum, qui egressus non reuersus est, &c.

Non sine causa coruum emisit, sciebat terram plenam esse cadaueribus mortuorum animalium, sciebat item coruum ex natura sua aduolare ad huiusmodi cadauera, vnde coniiciebat si non reuerteretur coruus, quod proculdubio insideret cadaueribus, quod signum esset aquas cessasse. Quod autem nos legimus, Non est reuersus, alii legunt, Et reuersus est. non tamen contraria sunt; etsi enim reuerti potuit coruus, non tamen expressum est quod iterum in arcam intromissus sit sicut columba, sicque quodammodo reuersus est & non reuersus: reuersus ad arcam, sed non intromissus.

Post coruum etiam columbam emisit: erat enim Noe solertissimus, & animalium naturas probè callebat. vnde quia coruus non amabat arcam, sed gaudebat cadaueribus, emisit columbam domesticum animal, vel auem quæ societate hominum gaudet, vt sic videret an resedissent aquæ. Rediit autem columba, quia non inuenit terram exiccatam: est enim animal mundum quod nec luto nec cadaueribus gaudet.

Non semel autem emisit columbam sed iterum atq; iterũ, donec certus fieret de exinanitione aquarum: Folium autem vel ramus oliuæ, planè erat indicium serenitatis & siccitatis super terram, cùm iam iterum arbores frondescerent: per hoc enim agnouit Noe gratiam datam.

Tertiò autem emissa non rediit columba, quia iam cùm omnia florerent, tempus erat vt etiam alii egrederentur ex arca & de illa captiuitate, vt iam nouum seculum conderetur quod Deo sanctius seruiret, quàm illud quod præcesserat, licet non in omnibus sic successerit. Et licet columba animal domesticum esset, non tum rediit, ex diuina dispositione, vt Noe inde spem cum suis conciperet iam tempus esse egrediendi ex arca.

Quis

Quis autem dubitet, eos tunc maximo gaudio repletos, ad gratiarum actionem & preces se conuertisse.

Hæc iuxta literam. Nunc etiam allegoriam videamus.

ALLEGORIA.

Supra dictum est, per Noe Christum, per arcam Eccle- 1
siam designatam fuisse. Sicut igitur Deus post longam
aquarum inundationem recordatus ipsius Noe adduxit
spiritum, &c. sic Deus pater recordatus est Christi filii
sui, postquam intrauerunt aquæ vsque ad animam eius,
postquam tribulationes, mortis pertransierunt animam
eius, cū teneretur sepulchro conclusus. Et adduxit spiri-
tum super terram: spiritum, inquam, id est, reducē vitam
adduxit super terrā exanimati corporis, suscitauit enim
eum à mortuis. Sed & super omnem terram per vnius re-
surrectionem adduxit Deus spiritum: dedit enim ex tunc
hominibus spiritum sanctum in remissionem peccatorū:
qui ita nebulas dissipāt, tentationumque fluctus exiccat,
quomodo ille spiritus quem post diluuium Deus misit.

Sicut autem aquæ non statim exiccatæ fuerunt per spi 2
ritum: sic & in nobis aquæ tentationum, tribulationum,
& etiam peccatorum non statim in nobis exiccat spiri-
tus sanctus sed cum tempore.

Quod autem arca primum in montibus requieuit, sig- 3
nificat, quòd tempore passionis Christi, Ecclesia in Apo
stolis constitit. Deinde per hoc etiam ostensum fuit, Ec-
clesiam non in terra deorsum, sed in mōtibus sursum de-
bere consistere, nimirum versus cælum tendendo, & lon
gè se à terrenis subleuando.

Sicut Noe quadragesimo die arcæ fenestram aperuit: 4
sic Christus quadragesimo die post resurrectionē ad cæ *Act. 1.*
los ascendit, atque ex tunc fenestra versus cælum, quæ
prius clausa erat, aperta est, & mansit, vt non solum cælū
videre nobis liceat, sed & spes data sit, quòd Christum in
cælum euntem suo tempore sequemur.

Coruus emissus est, & non reuertitur: quia infidelis Iu 5
dæorum populus de Ecclesia Patriarcharum & Prophe-
tarum eiectus foris vagatur, & veterum sacrificiorum ca
daueribus inhians, de antiquorum patrum prosapia vanè
gloriatur.

6 Columba spiritum sanctū significat, qui & super Chri-
Mat. 3. stum in specie columbæ visus est. Tertiò autem emit-
7 titur columba, quia de sacramētis Christi & Ecclesia, tri-
na spiritus sancti gratia cuique fideli animæ depromitur. Prima namque gratia est remissio peccatorum: secunda distributio diuersorum donorum: tertia remuneratio in resurrectione mortuorum.

Tertiò igitur columba ad nos venit: primò cum baptizamur in remissionem peccatorum: secundò, cum accipimus per episcopos impositionem manuum: tertiò, cùm suscitabit per spiritum corpora nostra. Hinc statim post resurrectionem Christus insufflans dedit Apostolis spiritum sanctum in remissione peccatorum, vnde dicebat: Accipite spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, & cæt. Deinde in die pēthecostes dedit spiritum sanctum in plenitudine donorum. Postremò per eundem spiritum suscitabit corpora nostra.

Quod autem columba emissa non sedit in terra lu-
8 tosa, vel in cadaueribus, significat quòd spiritus sanctus
Sap. 1. non intrat in maleuolam animam, &c.
9 Quòd columba ad vesperam venit, significat spiritum
Iohel. 2. sanctum in nouissimis diebus effundendum super omnem carnem.
10 Quòd eadem columba ramum oliuæ portat, significat per spiritus sancti aduentum nos consequi oleum diuinæ misericordiæ, itemq; pacem cum Deo.
11 Quòd Noë per columbam certificatur aquas cessasse,
Rom. 8. significat quòd spiritus sanctus nos certificat & testimonium reddit spiritui nostro quòd sumus filii Dei.
12 Postremò sicut Noë nedum fenestram arcæ aperit, sed postea etiam tectum amouit: sic Christus nedum cælum nobis conspiciendum dedit, sed suo tempore omnia impedimenta amouebit, vt liberum ingressum habeamus in cælum, quod tunc fiet cum dicet: Ve-
Matt. 25. nite benedicti patris mei, &c. Vel aliter, coruos malos prædicatores, columba autem bonos significat: vtrique enim in Ecclesia inueniuntur. Sicut igitur coruus niger est & immundus, immunda comedit, insuper & rapax ex natura: Is autem coruus quem Noe emisit non

rediit

rediit ad arcam, nec aliquod lætum nuncium attulit: sic pseudoprophetæ & nigri sunt in fama, & immundi in conscientia, & mala docent & rapaces sunt, suoque ventri seruiunt, & ab Ecclesia se seiungunt, nec curæ illis est consolari afflictos. Econtrà, sicut columba in se quidem animal mundum est, & non quælibet comedit sed tantum meliora, & hæc columba Noe non habens locum requiescendi, ad Noe rediit & ramum oliuæ portauit, nec simpliciter, sed virentibus foliis, & tota die explorans terram vesperi primum rediit: sic boni prædicatores irreprehensibiles se exhibent in vita, nec quæcunque docent sine iudicio, sed tantum vtilia & meliora, & vbi non audiuntur redeunt, & maximè in ore habent ramum oliuæ verbum gratiæ, quo afflictos consolentur: non solùm autem gratiam docent, sed etiam opera quæ per folia indicantur. Demum toto die laborant vsque ad vesperam vitæ. Possunt etiam per coruum intelligi mali Christiani, per columbam autem boni. Sicut enim coruus gaudebat cadaueribus, ipsisque inhærebat nihil curans de Noe vel arca: sic sunt in Ecclesia adeò voluptatibus dediti, vt nec Deum nec Ecclesiam curent. Econtra, sicut columba immunda loca fugit, ad arcam redit, cum hominibus versatur: sic pij homines vitia fugiunt, Ecclesiæ vnitatem diligunt, non vt pecora, sed vt homines viuunt. Imò in nobisipsis inuenimus geminas illas naturas corui & columbæ: in prima enim generatione antequam spiritus sanctus datur inuenimus nos esse carnales, ignorareque quæ spiritus Dei sunt: primo igitur immundi sumus, deinde succedit gratia per quam mundi efficimur & regeneramur.

Egredere de arca tu & vxor tua, &c.

Hic demum Deus post longam moram iterum alloquitur ipsum Noe, nec dubium est quin summè exhilarati sint Noe cum suis. Sicut enim Dei absentia tristitiam piis adfert, sic eius præsentia lætitiam, iuxta illud: Auertisti faciem tuam à me, & factus sum cõturbatus. Et paulò post: Conuertisti planctũ meum in gaudium *Psal. 29.*

Iob. 24. gaudium mihi,&c.Sic Iob poſt tentationem dixit:Auditu auris audiui te.Nunc autem & oculus meus videt te. Hic igitur videmus,quòd Deus ſuorũ non obliuiſcitur, imò in tẽpore adeſt eis.Sicut aũt tunc primus allocutus eſt ipſum Noe,poſtquã arefacta erat terra : ſic moraliter q̃ diu terra cordis noſtri humida eſt delectatione peccati,nõ nobis loquitur Deus:poſtquam aũt ſpiritu ſancto, maximè aũt ſpiritu timoris Domini arefactã fuerit,nedũ nos alloquitur & reſpicit,ſed etiam ſuo tempore vocabit nos ex hoc carcere in veram libertatẽ, è tenebris huius vitæ in veram lucem,è miſeria huius vitæ in meliorẽ & æternam.Ex Eccleſia in tribulationibus conſtituta,in eam quæ iam omnia euaſit & triumphat. Obſerua autẽ, quàm ordinatè omnia agit diuina ſapientia. Supra enim iuſsit viros ſeparatim à mulieribus in arcam ingredi.Ingredere,inquit,tu & filii tui,& poſtea vxor tua & vxores filiorum:vt vel hoc ipſo facto doceret nos tempore iudicii tam terribilis abſtinere à voluptatibus. Quemadmodum & Paulus coniugatos monet,vt conſiderata tẽporis breuitate,qui vxores habent, ſint tanquam nõ habentes,&c. Hic autem,cùm egredi iubentur,quia opus erat reſtauratione generis humani, mulieres viris intermiſcet.Egredere,inquit,tu & vxor tua,filii tui,& vxores eorum.Et quia Noe pater erat futuri,& noui ſeculi,repetit Deus,quæ ad patrem humani generis primũ dixerat: Creſcite & multiplicamini.

1. Cor. 7.

Nec ſine cauſa repetit,ne conſiderata malitia ſuperioris temporis,& etiam pœna hominum ceſſaret à propagandis hominibus,tanquam cito perituris.

Et egreſſus eſt Noe,&c.

Hic videmus exemplum veræ obedientiæ:tam diu fuerat in arca cum magno animi dolore,iã explorauerat per columbam,pacem terris redditam,imò detecta arca,vidit terram exiccatam,necdũ tamẽ exit, ſed expectat iuſſum Domini,quo apparet,quòd à ſola voluntate Dei pendebat,& omnem voluntatem ſuam reſignarat.Sciebat enim certiſsimum & ſecuriſsimum eſſe in omnibus volũtatem Dei ſequi,iuxta illud:Lucerna pedibus meis verbũ tuũ.

Pſal. 118.

Obſeruandum hic, quòd etiam animalia dicit egreſ-

gressa,& addit,secundum genus suum,id est,quælibet sibi in specie similibus iuncta, vt vel sic ordinis elegantia in brutis animalibus nos doceat,quantum homines,maxime autem ecclesiam dedeceat inordinatio,quam modo videmus in Ecclesia,&c.

Aedificauit Noe altare Domino,&c.

Maius quiddam exigitur ab homine, vtpote ratione prædito,quàm à cæteris animalibus. vnde Noe aliis animalibus pascua sua quærentibus, ad pietatem bonaq; exercitia se conuertit.Non enim homines,sed bestiæ sunt, qui sicut equus & mulus tantum carnalia quærunt. *Psal.31.*

Primò omnium autem Noe gratias Deo agit, quòd è maximis periculis ereptus esset, ita nos cum ad agnitionem Christi venerimus,per baptismũ regenerati ab hoc mundo, nihil antiquius habeamus, quàm gratias agere Deo,id quod etiam Dauid suo exemplo docuit in Psalmis. cùm enim recensuisset suam liberationem à morte & passione,subdit:Narrabo nomen tuum fratribus meis,in medio Ecclesiæ laudabo te. Obserua,item,quod Noe egressus nõ sibi statim domum ædificat,sed Deo ædificat, cultum Dei propriis commodis proponens. Econtra Iudæi arguuntur,quòd vnusquisque sibi ipsi domum ædificaret:domum autem Dei desertam relinqueret. Id quod etiam nos facimus. Deinde, nõ expectat donec quis eum admoneat,vt gratias agat, sed sua sponte hoc facit. Ipsa etiam natura nos docet gratos esse. *Psal.21.* *Aggei.1.*

Obtulitque ex animalibus mundis, &c.

Singula verba pietatem eius commendant. Primò,obtulit,inquit.Quid enim alias facere poterat?paratus erat omnia in Dei cultum expendere. Iamq; seipsum obtulerat,nunc etiam de suis obtulit. Quia enim omnia à Deo nobis conseruantur,de omnibus Deo seruiamus.

Quamuis autem huiusmodi sacrificia animalium nunc abominatio essent coram Deo,non cultus Dei : olim tamen permittebat Deus ea sibi fieri, vt populus in fide & cultu Dei teneretur,& ne aliàs immolarent dæmoniis.

In Ecclesia autem sacrificium nostrũ est Christus, qui semel quidem seipsum obtulit,memoria tamen & repræsentatio eius sacrificij quotidie in Ecclesia fit. Iuxta hoc offer-

Psal. 115. offerre debemus sacrificium laudis, item sacrificium iu-
Rom. 12. stitiæ, imò nosipsos. Subdit, de mundis animalibus. hic igitur videmus cur iussus sit plura ex mundis quàm immundis inducere in arcam. Cæterum quanquam coram Deo omnia munda sint, voluit tamen etiam in lege vt ex his tantum sibi immolarentur quę apud homines munda iudicantur, tum vt hinc discerent homines Deum magnum æstimare eiusque cultum, tum vt discerent quales ipsi esse deberent: qui enim mūda sacrificia habere vult, multò magis mundum vult habere offerentem. Noe igitur multo melius diuisit quàm Cain, is enim deteriora Deo obtulit, hic autem meliora. Præterea, non vnum tantum animal obtulit sed plura: nec de vna tantum specie, sed de cunctis: nec de animalibus tantum, sed & de volucribus, quod & ipsum pium eius animum indicat. Præterea holocausta obtulit: in aliis sacrificiis pars cedebat offerenti, in holocaustis autem omnia cremabantur: totū igitur Deo obtulit. Ex his igitur pulchrè videmus quid nobis agendum sit & quomodo, nempe vt grati simus, Deum corde & opere colamus, ea scilicet fide & deuotione qua Noe eum coluit, &c.

Odoratus est Dominus odorem suauitatis, &c.

De Deo loquitur humano more, sic enim solent homines nidore carnium delectari. Cæterùm de Deo non sic crassè intelligendum est quòd delectetur huiusmodi nidore vel odore. Imò cum holocausta obtulerit Noe, quæ totaliter incendebantur, palam est non admodum gratum vel bonum odorem illic fuisse. Suauis igitur ille odor qui in cęlum vsque ad Deum pertingere potuit, nō ex igne nec ex animalibus immolatis, sed è corde ipsius Noe processit, nihilq; aliud fuit quàm ipsius fides & deuotio, propter quam & ipse Deo placuit & ipsius munera. Habes igitur quòd Deo etiam externa opera nostra placent, si adsit fides & deuotio. Habes item quòd Deus primo omnium aspicit fidem & cor, postea etiam ipsa o-
Gene. 4. pera, quemadmodum & supra in Abel vidimus. Potest etiam sic dici quòd Deus in sacrificio Noe odoratus est odorē bonum propter passionem Christi, quæ per sacrificium Noe aliorumq; patrum præfigurabantur. Hanc

inquam

inquam pafsionem Chrifti Deus potifsimum attendit, propter hanc & præcedentium & fequentium opera placent, per Chriftum enim & propter ipfum gratos nos fibi fecit, & de plenitudine eius accepimus omnem gratiam,&c. *Ephe. 1.* *Ioan. 1.*

Nequaquam vltra maledicam terræ,&c.

Quia Noe gratus fuit pro priori beneficio, nunc aliud beneficium accipit, fecuritatem fcilicet, alioqui dicere potuiffet: Quę vtilitas eft acceptę benedictionis & quod dixit crefcite & multiplicamini, fi iterum poftquam multiplicati fuerimus pereundum nobis erit? Ne igitur talia fecum cogitando femper in angore effet, promittit ei Deus fecuritatem, quod de cætero non velit vniuerfæ terræ maledicere, ficut fecerat. Hinc autem non obftat quòd poftea aliquas terrę partes vaftauit & maledixit, vt terram quinque ciuitatum quas fubuertit.

Obferuandum etiam hoc, quòd terram quidem affecurauit, non autem homines, quare femper in timore Domini manendum: imò fecundum aliquos planè hic hominibus minatur, quafi dicat, hactenus propter hominem etiam terram & iumenta vaftaui, quæ nihil peccauerant: deinceps non innoxiam terram vel iumenta perdá, fed noxios homines: quemadmodum & ad Mofen dicit: Qui peccauerit eum delebo de libro meo. Et in Ezechiele: Non morientur filij pro parentibus,&c. Anima quæ peccauerit ipfa morietur. *Exod. 32.* *Ezech. 18*

Senfus enim & cogitatio hominis praua eft,&c.

Mira confequentia, ideò non maledicá quia mali funt, cum fupra propter hanc ipfam caufam dixerit, fe mundum velle perdere. Alij igitur hunc locum fic exponunt vt paulò ante dictum eft, nempe quia homines mali funt, ideo non terræ, fed hominibus maledicam. Alij fic exponunt, Si femper in hunc modum puniero homines, nihil aliud præter hoc agere potero, cum femper mali fint: verè enim fi iuxta malitiam hominis puniendo pergere velit Deus, cogeretur perpetuo omnem hominem perdere, quia fenfus & cogitatio cordis humani femper mala eft. Quod igitur nunc non fimili modo perdit vt olim, non iuftitiæ noftræ eft, fed ipfius gratię & mifericordię.

Cæte-

Cæterùm quòd Moses hanc sententiam etiam suprà positã iterum repetit, ideo fit, ne putemus, eos solos qui ante diluuium fuerũt, tam corruptam naturam habuisse: Deinde, vt nos ipsos plene cognoscamus, ad quod plurimum valet hæc sententia. Primò enim proni sumus ad malum: imò mali sumus. sic enim Hebræi legunt: Sensus & cogitatio hominis mala sunt ab adolescentia. Deinde nõ tantũ sensum dicit esse malum, id est, partẽ sensitiuã, sed etiam cogitationem, id est, partem intellectiuam, atq; adeo totũ hominẽ. Præterea nõ tantũ mali sumus in perfecta ætate, sed etiã ab adolescẽtia, imò ab vtero matris: omnes enim in peccatis nascimur, nec quisquã mũdus est à sorde, etiã infans recẽs natus. Nõ quidẽ adeò sentitur in pueris peccatũ, & corruptio naturę, vt in adulta ætate.

Cunctis diebus terræ, sementis & meßis, &c.

Etiam hoc verbo videmus, quòd magis assecurauit terram, quàm hominem in supradicta promissione. nõ enim hic dicit: Cunctis diebus terrę nullus homo interibit, sed cunctis diebus terræ manebunt vicissitudines tẽporum. quasi dicat: Talis annus quasi hic fuit, vltra non erit, qui careat vicissitudine tẽporum, qui totus procellosus expendatur pluuiis, nulloque modificetur beneficio caloris aut temperamento hyemis, quo nulla iaciatur sementis, nullaq; colligatur messis, sed erunt commodæ vices, nũc æstu, nunc frigore vicissim terras & sata coquente. Nunquam ita confundetur vultus naturæ aut situs mundi cũctis diebus, vsque ad finem seculi.

Obseruandum, quòd nõ simpliciter dicit, hæc semper sic mansura, sed cunctis diebus terræ, quo verbo significat aliquando cessatura: neque enim terra semper manebit vt nunc est, iuxta illud: Cælũ & terra transibunt, &c. *Luc. 21.*

Quod igitur promisit Deus, hoc etiam nunc experimur. Terra seminatur & metitur, nunc æstus, nunc frigus, nunc dies, nunc nox, nunc æstas, nunc hyems est. Et hæc omnia diuina ordinatione consistunt. Eaq; omnia in salutem humani generis sic ordinata sunt à Deo, frigus nõ minus prodest quàm æstas. Deus nouit quomodo illa debeat moderari. Et ideo illa fiunt, vt Deũ cognoscamus, illum adoremus veneremurq;.

Caput

Caput nonum.

Benedixitque Deus Noe, & filiis eius, & dixit ad eos: Crescite & multiplicamini, & replete terram. Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ, & super omnes volucres cæli, cum vniuersis quæ mouentur super terram: omnes pisces maris manui vestræ traditi sunt. Et omne quod mouetur & viuit, erit vobis in cibum: quasi olera virentia tradidi vobis omnia. Excepto quòd carnem cum sanguine non comedetis. Sanguinem enim animarum vestrarum requiram de manu cunctarum bestiarum, & de manu hominis, de manu viri, & de manu fratris eius requiram animam hominis. Quicunque effuderit humanum sanguinem, fundetur sanguis illius: ad imaginẽ quippe Dei factus est homo. Vos autem crescite & multiplicamini, & ingredimini super terram, & implete eam. Hæc quoque dixit Deus ad Noe, & ad filios eius cum eo: Ecce ego statuam pactum meũ vobiscum, & cùm semine vestro post vos: & ad omnem animam viuentem quæ est vobiscum, tam in volucribus quàm in iumẽtis & pecudibus terræ, cunctisque quæ egressa sunt de arca, & vniuersis bestiis terræ. Statuam pactum meum vobiscum, & nequaquã vltra interficietur omnis caro aquis diluuii, neque erit deinceps diluuium dissipans terram, Dixitque Deus: Hoc est signum fœderis, quod do inter me & vos, & ad omnem animam viuentem, quæ est vobiscum in generationes sempiternas. Arcum meum ponã in nubibus, & erit signum fœderis inter me & inter terram. Cumq; obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus in nubibus: & recordabor fœderis mei vobiscum, & cum omni anima viuente, quæ carnem vegetat: & non erunt vltra aquæ diluuij ad delendã vniuersam carnem. Eritque arcus meus in nubibus, & videbo illum, & recordabor fœderis sempiterni quod pactum est inter Deũ & omnem animam viuentem vniuersæ carnis quæ est super terram. Dixitque Deus ad Noe: Hoc est signum fœderis quod constitui inter me & omnem carnem super terram. Erant ergo filii Noe qui egressi sunt de arca, Sem, Cham, & Iaphet: porrò Cham ipse est pater Chanaan. Tres isti filii sunt Noe: & ab his disseminatum est omne genus hominum super vniuersam terram. Cœpitque Noe vir agricola exercere terram, & plantauit vineam. Bibensque vinum inebriatus est, & nudatus in tabernaculo suo. Quod cùm vidisset Cham pater Chanaan, verẽda scilicet patris sui esse nudata, nunciauit

ciauit duobus fratribus suis foras. At verò Sem et Iapheth pallium imposuerunt humeris suis, et incedentes retrorsum, operuerunt verenda patris sui. faciesq́; eorum auersæ erant, et patris virilia non viderunt. Euigilans autem Noe ex vino, cum didicisset quæ fecerat ei filius suus minor, ait: Maledictus Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Dixitq́;: Benedictus dominus Deus Sem, sit Chanaan seruus eius. Dilatet Deus Iaphet, et habitet in tabernaculis Sem, sitq́; Chanaan seruus eius. Vixit autem Noe post diluuium trecẽtis quinquaginta annis, et impleti sunt omnes dies eius nongentorum quinquaginta annorum, et mortuus est.

PErgit pijssimus Deus homines diluuii inundatione territos consolari: quia enim semel iram Dei experti erant, idque in summo gradu, indigebant copioso verbo, vt cõsolationẽ & spẽ reciperẽt: sic enim solent homines territi nõ facilè consolationẽ recipere, nec facilè terrorẽ cordis excutere possunt: hoc sciens Deus præter promissiones illas quas in fine superioris capitis audiuimus, nunc alias addit, imò repetit & confirmat ea quæ olim Adæ dederat, benedictionem scilicet suam & dominium animalium. Deinde specialia etiam quædam beneficia superaddit, omnia ad eum finem vt hominem è terrore in spem & fiduciam collocaret.

Et benedixit dominus Noe & filiis eius, &c.

Confirmat benedictionem quam primo Adæ dederat, eamque nunc denuo repetit & inculcat, ne putarent homines propter peccatum omnia reuocata esse quæ Deus dederat priuilegia. Cæterùm quòd benedixisse eos dicitur, nihil aliud est hoc loco, quàm quòd fœcunditatem eis contulit, hoc enim in scriptura benedictio Dei nominatur. Et verè est donũ Dei, natura enim ex se hoc non potest aut posset, vnde in psalmo: Ecce sic benedicetur homo qui timet dominum, & præmisit, Vxor tua sicut vitis abundans, &c. De hac benedictione hic potissimum loquitur, id quod sequẽtia verba indicant, Crescite, &c. Quanquam dubium non sit quin etiam in aliis donis tam corporalibus quàm spiritualibus benedixerit, alioqui quid eis profuisset sola fœcunditas corporalis?

Psa.127.

Crescite & multiplicamini, &c.

Hoc

Hoc verbum supra expositum est. Vide autem quàm circumspectè loquatur, non dicit coniungite vos vxoribus vestris, multo minus dicit, satisfacite libidini vestræ, sed crescite: ne putarent his verbis omnem ipsis libidinem concessam esse. Docet igitur hoc verbo, quòd in coniugio quærere debeant non voluptatem, sed filios ad Dei gloriam educandos. Hoc non fecerant qui ante diluuium fuerunt, sed tantùm pulchritudinem mulierum attendebant, & voluptatem quærebant, propter quod & perierunt. Vult igitur dicere, videte ne exempla illa malorum sequamini, crescere & multiplicari vobis cõcessum est, nõ libidinari, hoc enim nõ est crescere, sed prolem impedire. Item videte ne benedictionẽ Dei vobis vertatis in maledictionem, &c. Deinde homines etiam multiplicari voluit ad suã gloriam, vt omnes hinc discerent eius potentiam, sapientiã, &c. qui tot homines tã longè à se mutuo separatos possit nutrire, protegere, conseruare, &c. Deniq; terram replere iussit, omnẽ enim terrã eis dedit, adeo vt vbicunq; inueniatur terra, inueniantur etiã homines in ea, id quod videmus in nouis insulis inuentis. Voluit item vt homines replerẽt terrã, nõ vt terra impleret homines: vt scilicet nos domini simus terrenorum, non autem terrena nobis imperent & dominentur. Cæterum hoc primo verbo Deus etiam renouauit & confirmauit suum propositum de redemptione hominis per Christum, quod diabolus iam semel atque iterum impedire conatus fuit: propter hoc enim ipsum Cain incitauit ad interfectionem iusti fratris, vnde timebat Christum nasciturum: propter hoc etiam homines in tanta vitia coniecerat & impulerat, vt diluuio opus esset. sperabat enim totum genus hominum perditum iri, vt nullus superesset vnde Christus nasceretur. Et quidem in hoc heu nimium profecit, quòd multa milia hominum beatitudine priuauit, non tamen impedire potuit propositum Dei, in cuius signum Deus nunc denuo homini benedicit: quasi dicat, nondum me pœnitet promissionis meæ, nec propter hominum malitiam reuocare volo, vt non minus multiplicetur quàm prius, vt tandem Christus ex eis proueniat. Gen. 1.

Myſticè autem Deus bis benedixit homines, in veteri ſcilicet Teſtamento, & nouo: ſed tamen differenter. Benedictiones antiquorum pro maiori parte erant temporales, noſtræ autem ſpirituales. Vnde Paulus: Benedixit nos in omni benedictione ſpirituali in cæleſtibus, &c.

Eph. 1.

Deinde etiam Chriſtus ſecundò benedixit Apoſtolos. Primò, cùm diceret: Accipite ſpiritum ſanctum, & cæt. Secundò, in die Penthecoſtes, &c. Sic & nos dupliciter benedicit: dat enim primò remiſsionem peccatorum: ſecundò alia dona, vt ſunt ſapientia, ſcientia, gratia ſanitatum, interpretatio ſermonum, &c.

1. Cor. 12.

Præterea dupliciter etiam propagari & multiplicari voluit Deus humanum genus. Primò temporaliter vel corporaliter: Secundò, ſpiritualiter per fidem. Vnde Apoſtolis dixit: Euntes docete omnes gentes, & cæt. Quia igitur diluuium peccatorum euaſimus, duplicemq; hanc benedictionem conſecuti ſumus, ſciamus etiam nobis dictum, Creſcite, &c. non corporaliter tantùm, vt carnales intelligunt, ſed ſpiritualiter, vt creſcamus fide & deuotione: deinde, vt multiplicemur numero: ad hoc autem nemo non iuuare poteſt. Poſtremò, vt impleamus terram bono odore nominis Domini. Hæc igitur eſt vocatio noſtra: quam vtinam tanto ſtudio amplecteremur, quãto carnales verbum illud: Creſcite & multiplicamini, &c. Sic enim fieret, vt non ſolùm terram, ſed etiam cælum repleremus, id quod ſummè deſiderandum eſſet.

Sit terror veſter ſuper omnia animantia, &c.

Hoc verbo etiam aliud priuilegium primo homini conceſſum renouat & confirmat, nempe dominium ſuper omnia animantia. Iure autem etiam hic huiuſmodi poteſtas datur ſuper animantia: quia ſicut à principio propter hominem condita ſunt, ſic & nunc propter eundem hominem conſeruata ſunt. Duplici igitur de cauſa hoc ipſum quod ſunt, homini debent. Obſeruandum tamen, quòd aliis verbis hic vtitur, quàm ſupra. Adæ ſiquidem dixerat: Dominamini piſcibus maris, &c. hic autem dicitur: Sit terror veſter, &c. imò res ipſa declarat, quòd præſtantius erat dominum Adæ, cùm adhuc innocens eſſet, quàm hoc quod nunc habemus. Adæ enim

Gen. 1.

impe-

imperium ita metuebant, vt ad eius nutum cuncta promptissimè sine cunctatione parerent. Nunc autem necesse est, vt terroribus & pœnis ad obediendum cogantur. Præterea ad Adamum veniebant etiam feræ, nihil tamen ei nocebant. Nunc autem vel in eo hominis dominium agnoscunt, quòd ad conspectum eius fugiunt & terrentur. Atq; hoc vult, cũ dicit: Sit terror, &c. Nec vana fuit aut est hæc pollicitatio, id quod licet videre. Nonnunq̃ enim boues & equi à paruis puerulis aguntur. Deinde etiam feræ bestiæ ad conspectum hominis terrentur: vt quidam huc adferant illud Ezechielis: Facies hominis facies leonis. habet enim facies hominis quandã maiestatẽ, quam omnes bestiæ horrent: quanquam verbũ Ezechielis ad literam aliò spectet. Præterea genus humanũ cunctis etiam bestiis terribile est. Aues enim & feras homo sagittis deiicit: nec vlla bestia tam fortis, quæ nõ possit per hominẽ capi & domari. Maximè tamẽ hæc promissio in fidelibus impletur, quibus dicitur: Ecce dedi vobis potestatẽ calcandi super serpentes, &c. Itẽq;: Serpentes tollent, & si mortiferũ quid biberint, non eis nocebit. Hinc Paulo nihil nocuit vipera quæ manum ipsius momorderat. Hanc securitatem fidelium etiam Isaias prædixit, cũ diceret: Habitabit lupus cum agno, &c. non nocebunt, neque occident in vniuerso monte sancto meo, &c. *Ezech. 1.* *Luc. 10.* *Mar. 16.* *Acto. 28* *Isa. 11.*

Obserua autem, quòd non dicit: Sit terror vester super homines, sed super animantia: natura enim nullus homo alteri prælatus est, sed omnes æquales sumus. Nec in statu innocentiæ homo homini terrori fuisset: quia nullus malè egisset. Quod aũt nunc homo homini terrori est, quodq; potestate opus habemus, ex peccato est actiuè & passiuè. Actiuè, facit superbia & tyrannis fortiorũ, quòd infirmiores terrẽtur ac timẽt. Passiuè aũt facit peccatũ cuiuslibet propriũ, quod meritò timere cogitur potestatẽ. Vnde Paulus: Si malè agis time, nõ enim sine causa gladiũ portat, &c. Inter bonos aũt etiã nũc nullus terror est: parẽt quidẽ & ipsi magistratibus, sed nõ timent eos, sciũt enim, quod potestas nõ est timori bonis. Vnde Paulus vbi supra: Si vis nõ timere potestatẽ, bonũ fac, & habebis laudẽ ex ipsa. Idẽ fit in regimine spirituali. Est enim *Rom. 13.*

officium

officium apostolicũ summè consolatorium piis, interim tamen non paruũ terrorem ingerit bestialiter viuentibus, id quod videmus in iudicio Petri contra Ananiam
Act.5. & Saphiram, item in iudicio Pauli contra fornicatorem, imò contra omnes Corinthios: Quid, inquit, vultis in
1.Cor. 4. virga veniam, an in spiritu lenitatis? Et iterum: Cùm
1.Cor. 13. venero non parcam. cùm is idem Paulus erga credentes
2.Cor.4. fuerit mitissimus. Non, inquit, prædicamus nosmetipsos, sed Christum, nos autem seruos vestros, &c. Qui igitur ex eo quòd homini super animantia tantum potestas data hic sit, omnem ex Ecclesia potestatẽ tollere volunt, videant num ipsi animalia sint vel homines: si homines sunt & rationabiliter vixerint, nihil eos grauabit potestas: sin aũt bestialiter viuant, sciant se potestati subiectos. Discãt etiã hic magĩstratus tã seculares q̃ Ecclesiastici quibus terribiles esse debẽt, nẽpe animalibus, nõ hominibus, id est, malis, nõ bonis. Certissimũ signum boni magistratus est, si eũ mali timeant, boni diligãt, & ecõtra.

Omnes pisces maris, &c.

Non contentus piissimus Deus vetera priuilegia confirmasse, insuper etiam noua addit quæ priores non habuerunt. Adæ siquidem dictum est, ecce dedi vobis omnem herbam virentem. &c. & subdit, Eruntque vobis in cibũ. & tunc quidẽ tenuis ille victus homini adhuc felici & infirmitatis experti sufficiebat: nunc autẽ cõcedit homini & pisciũ & carniũ esum, idq; gratis, nõ rogatus: imò plus concedit q̃ quisquam hominũ petere ausus fuisset.
Iere.10. Meritò igitur exclamare possum cum Ieremia: Non est similis tui domine, Magnus es tu & magnum nomen tuum, quis nõ timebit te rex sanctorum? Cæterùm quod nunc homini cõcedit esum carnium & piscium, partim factum est propter hominis infirmitatem, qui semper cum tempore descrescit, partim propter terrę infœcunditatẽ, quę per diluuiũ corrupta, nõ tam efficaces fructus profert vt prius. Hic igitur cõsideremus Dei bonitatẽ, quomodo pro nobis curet, quomodo nobis cõsulat in oĩbus, etiam antequam nati sumus: nec enim soli Noe hæc dicit, sed omnibus posteris eius. Qui igitur p̃ nobis sollicitus fuit anteq̃ nati essemus, nunq̃ nos relinquet ipsi seruientes.

Obse-

Obſeruandum autem in hac conceſsioe quod priuilegium hoc cõmunitati datũ eſt, nõ cuilibet ſingulari perſonæ, igitur etiam ſi pleriq; raro vel nunq̃ piſcibus maris vel volatilibus cæli veſcantur, verum tamẽ eſt quod hic dicitur, omnes piſces & aues in manus hominum datas, & quod ab hominibus in cibum ſumũtur. Deinde obſerua, quód conceſsio hęc homini data eſt ad neceſsitatẽ nõ ad voluptatẽ, quẽadmodũ & de matrimonio ſupra diximus. non igitur cõceſſus eſt nobis luxus & ſuperfluitas. Cogitemus inſuper cõmiſsionẽ hanc ad ſolum corpus pertinere, nõ igitur ideò Chriſtianus eſt qui cõceſsione hac vtitur, ſed alia quoq; requirũtur: nõ enim eſt regnũ Dei eſca & potus. Rom.14. Pręterea obſeruemus hic, ꝙ nõ præcipitur hic vt carnes & piſces comedamus, ſed cõceditur & permittitur. Non igitur peccat qui vel ex deuotione, vel ex obediẽtia carnibus & aliis abſtinet (dum modo abſit ſuperſtitio) alioqui etiã Daniel peccaſſet & Rechabitæ, cu- Dan.1. ius tamẽ contrariũ ſcriptura docet. Nec hoc hic cõce- Iere.35. ditur quod in oẽs lacus, ſyluas, ſtabula, ſeditioſè irruamus, quæq; obuia rapientes, etiã cõtra ſuperiorũ obediẽtiã. nõ docet Deus ſeditionẽ, & Paulus mauult omni vita 1.Cor.8. à carnibus abſtinere q̃ proximũ offendere. Nec hoc vult textus hic ꝙ omnibus quæ ſuper terrã viuũt & mouẽtur veſci debeamus, nõ enim oĩa ad cibũ ſalubria ſunt, vt ſerpentes, &c. Ideò tamẽ tam vniuerſaliter loquitur, vt ſciamus oĩa quæ mouentur nobis in manus data eſſe, vt eis vti poſsimus pro libitu ad vtilitatẽ noſtrã, ſiue ad cibũ, ſiue ad remedium, ſiue ad laborẽ, ſiue ad ſolatium: imò vt his nedũ vti poſsimus, ſed etiã occidere & mactare ſine omni cõſciẽtia, vbi vtilitas noſtra hoc poſcat, ideò ſubdit, Quaſi olera herbarũ dedi vobis oĩa. Sicut igitur licet olera deſecare, ſic etiã aĩalia occidere & mactare ꝓ vtilitate nr̃a. Verè magna Dei bonitas, & merito collaudãda.

Excepto quòd carnem cum ſanguine, &c.

Hoc vnũ excipit, tũ vt obedientiã hoĩs ꝓbet, tũ vt augeret ęſtimationẽ ſanguinis humani, vt videlicet nõ leue q̃s arbitretur ſanguinẽ hoĩs intus in cõſcientia ponere, cũ ſanguinẽ pecudis nõ ſibi liceat in os forinſecus immittere. Tanta aũt ſapientia hoc ꝑceptũ imponit, vt nõ poſsit

inde conqueri homo. Primò enim antequam præceptũ imponat, magna & multa ei beneficia præstat, vt sic eum alliceat ad præcepti obseruationem. Deinde plura quidem beneficia præstitit, sed vnum tantum præceptum imponit, denique admodum leue est quod præcipit vel
Gene.2. prohibet. Eodem modo & ordine etiam circa primũ hominem egit imò sic etiam nobiscum agit. Nusquã enim, vel in nullo conferri possunt ea quæ à nobis exigit, his quæ nobis præstitit, & præstiturum promisit. Nec admodum ardua sunt quæ à nobis exigit: cùm potuisset lõgè maiora imposuisse. Nemo igitur de præceptis Dei conqueratur.

Cæterùm quod dicit: Carnem cum sanguine nõ edetis, variè exponi potest. vel carnem sanguinolentam, vel carnem crudam, more gentium quarundam: vel carnem eius animalis quod sine sanguinis effusione moritur: vel sanguinem per se sumptum, etiam coctum, non sumetis. carnem vobis concessi in cibum, non sanguinem. Mysticè Petro dicitur: Macta & manduca, quod Deus mundauit, tu ne commune dixeris. Omnes gentes adducendæ erant: sed non cum sanguine, id est, non cum peccatis eorum pristinis, quæ abluenda erant. Hic videmus, cur sanguinem prohibuerit, nempe ne assuescerẽt etiam parui æstimare sanguinem humanum, quod ne fiat, nunc de humano sanguine incipit loqui. Singula autem verba Emphasim habent. Primò, ego, inquit, exquiram. vbi vides, quantùm Deus curet homines. Addit: Sanguinem animarum vestrarum: non quòd anima hominis sanguinem habeat, sed animam hic pro vita accipit naturali, cuius sedes in sanguine est, & sine sanguine persistere non potest.

Addit: animarum vestrarum exquiram sanguinem: quo verbo differentiam facit inter sanguinem humanum, & sanguinem bestiarum, quasi dicat: Illarum sanguis impunè effunditur, non autem sanguis vester.

Item, quòd dicit: sanguinem animarum, auget æstimationem sanguinis humani: quasi dicat: non tantum sanguinem fundit, sed etiam animam, id est, vitam aufert.

Addit: de manu cunctarum bestiarum, quasi dicat: Nec

bestiæ

bestiæ impunè hominem occident. hinc est quod sæpe ab hominibus capiũtur, sicq; pœnas luunt: hinc est etiam quòd in lege præcipitur animal occidi quod hominẽ interemit. Vel de manu bestiarum: Non tantum homicidium punitur quod manu vel gladio facimus, sed etiam quod per bestias præparamus: sicut plerunq; martyribus contigit, qui bestiis obiecti fuerunt. non ob id tamen tyranni excusati sunt, quod non ipsi sed bestię occiderunt martyres. Per bestias etiam intelligi possunt impii homines bestialiter viuentes, è quorũ manibus sanguis sanctorum requirent. Vel nomine bestiarum maligni spiritus intelliguntur, qui pro more animarum hominum æternum iudicium sunt accepturi. Addit & de manu hominis, idq; mire exaggerat: De manu, inquit, viri & de manu fratris, id est, quicunq; ille sit, siue vir potestatem habens eaque abutens, siue frater aut affinis, siue homo extraneus: nemo impunè fundet sanguinem hominis. Vides quantum exaggerat vt magis incutiat horrorẽ? atq; hoc summè necessarium fuit & est, alioqui semper fortiores opprimerẽt infirmiores. Videmus item quãtum Deus pro nobis curet. His autem verbis planè ad charitatem nos inducit, & vt magni æstimemus hominem lædere. *Exodi 21* *Matt. 2.*

Quicunque effuderit sanguinem hominis, &c.

Quia plerunq; plus timemus temporales pœnas quàm æternas, plusq; potestatem mundanam quàm Deum: imò quia plerunque Dei comminationes contemnimus, subdit hic pœnam temporalem, ac perpetua lege sancit, quæ tamen pœna de iure intelligi debet non de facto: nõ semper enim homicidæ sanguis in hoc mundo funditur, verùm fundi iure deberet. Hoc igitur verbo potestatem secularem instituit & confirmat. Hoc verbo eidem potestati gladium in manum dat & porrigit. Hoc item verbo potestati præcipit vt puniat impios & defendat pios.

Vtrinq; igitur & dupliciter nos Deus premunit contra malos, primum in eo quòd se vindicem futurum pollicetur: secundo quod insuper potestati iniurias nostras cõmittit. Potestas igitur ex speciali Dei gratia propter iustos instituta est, quare nõ est quod grauemur, sed vnice gratias agamus: ob id Paulus iubet orare pro potesta

te. Hanc antem poteſtatem, imò & hanc ipſam hic poſitam ſententiã Chriſtus non ſuſtulit ſed cõfirmauit. vnde
Matt. 22. dixit: Reddite quæ ſunt Cæſaris Cæſari, &c. Et, Qui ac-
Matt. 26. ceperit gladium, gladio peribit. Aliud præceptum de non manducando ſanguine Chriſtus nõ renouauit, imò
Matt. 15. manifeſtè aboleuit cum diceret: Non quod intrat in os coinquinat hominem, &c. ideò non ſeruamus.

Quia ad imaginem Dei factus eſt homo, &c.

Cauſam reddit cur tantum curet pro ſalute hominis, Quia, inquit, ad imaginẽ Dei creatus eſt: qui igitur imaginem dehoneſtat, etiã eum dehoneſtat cuius eſt imago, & econtra. Hinc videmus quantum malum ſit hominẽ lædere, econtra quantum bonũ homini benefacere: vtrũq; ſic accipit Deus quaſi ſibi factum. Diſcamus hominẽ magni æſtimare propter eum cuius portat imaginem, &c.

Vos autem creſcite, etc.

Senſus eſt, Beſtias licet vobis occidere, inter vos autẽ ſit pax, cõcordia, charitas. Allegoricè, quòd hæc benedictio tertiò nunc repetitur, ad Chriſtũ pertinet, qui vt homo tripliciter à ſpiritu ſancto vnitus & benedictus eſt: in incarnatione ſcilicet, in baptiſmo, & in reſurrectione. Inquantum autẽ Deus eſt, etiam nos ter benedicit: in baptiſmo, in impoſitione manuũ, & in futura reſurrectione.

Ecce ego ſtatuam pactum meum vobiſcum, etc.

Pergit adhuc Deus iuſtum confirmare, veriſimile enim eſt iuſtũ adhuc in angore fuiſſe, & ſi quãdo ingrueret paruus aliquis imber, futurum triſtẽ & attonitum, quaſi denuo talis tempeſtas mũdum inuolutura eſſet. Non enim tam cito tanti iudicii obliuiſci potuit, quẽadmodũ qui quamdiu pœna durat timemus, nõ aũt vltra: nõ ſic Noe, ideo nunc vlterius & fortius confortatur. Et quãquam etiam ſupra promiſit non amplius futurũ diluuiũ, hic tamen manifeſtius explicat, vt verè dicere potuerit Noe:
Pſal. 63. Secundum multitudinem dolorum meorum, conſolationes tuæ lętificauerunt animam meam. Singula autẽ verba emphaſim habent: primo enim quaſi admirans tantam Dei bonitatem & curam dicit, Hæc quoque dixit Deus, quaſi dicat, Quamuis hactenus multa dixerit & dederit, nondum tamen ceſſat, ſed inſuper maiora addit: ſic enim ſolet

solet Deus facere, quamdiu grati sumus non cessat bene facere: cum autem cessamus grati esse, cessat & ipse. Et quis dubitat iustum illum Noe toto spiritu exultasse, cũ videret & audiret tam consolatoria? Deinde non simpliciter promittit, sed statuam, inquit, pactum vobiscum: quasi seipsum obligans ne posit reuocare. Addit & cum semine vestro: hoc ad nos pertinet. Videmus igitur quòd Deus memor nostri fuit antequam nati essemus: memor autẽ non in ira sed in gratia. Quanto magis nunc in fide eius ambulantes non obliuiscitur. Obserua autẽ, quòd si in fœdere quod pepigit cum Noe, etiam posteri eius comprehenduntur, multò magis in fœdere quod Christus nobiscum pepigit, paruuli nostri comprehenduntur, maximè cũ Christus dicat: Omnis qui venit ad me non eijciam foras. Et iterum: Sinite paruulos venire ad me, &c. Errant igitur Anabaptistæ, imo impie & crudeliter agunt, quòd paruulos nostros à fœdere & testamento Christi excludere volunt, eisq; signum fœderis, id est baptismum negãt. Addit & cum animantibus, &c. & meritò: quia enim propter hominẽ iudiciũ Dei senserant, nunc meritò cũ homine experiuntur beneficiũ Dei. Ioan. 6. Marc. 10.

Nec absonum est etiam animalia in hoc fœdere contineri, est enim tantum externum & corporale beneficium: in fœdere autẽ Christi quod spirituale est, & ad animam spectat, soli homines comprehenduntur. Pactũ aũt quod hic pepigit est, quòd nequaq̃ vltra interficietur aquis diluuij omnis caro. Vide etiam hic quod cum discretione loquitur, non enim dicit, nequaquam vltra interficietur homo, sed nequaquam omnis homo: sic enim promittit, ne tamen omnino securos & sine omni timore nos constituat: semper igitur timendum. Deinde signanter dicit aquis diluuij, ne quis putet mundum etiam ab igne conflagrationis assecuratum, itemq; ab aliis pœnis.

Hoc est signum fœderis inter me et vos, &c.

Vide bonitatem Dei, quantum nobis condescendat: solum & nudum eius verbum fide dignissimum est, propter imbecillitatem tamen nostrã addidit signum externum: ac nedum literas nobis scripsit, sed insuper & sigillum addidit. Sic postea etiã ipsi Abrahamo fecit: sic etiã

Christus

Christus suis promissis addidit signa & sacramenta quo fortius credamus.

Arcum meum ponam in nubibus, &c.

Iris secundum philosophos signum est pluuiæ, hic autem ponitur in signum ne diluuium fiat, quo ostendit se potentiorem creaturis: minentur creaturæ & signa quantumcunq; velint, Deus tamē in contrariū vertere potest, & huiusmodi effectus impedire. Vide autē quòd de hoc arcu longè aliter loquitur quàm philosophi: illi nescio quas causas naturales assignant Iridis, nūlla mētione Dei facta: hic autem dicit, Ego ponam arcum, &c. Esto enim quòd Iris etiam naturales habeat causas, Christiani tamē debent assuescere vt omnia Deo attribuant. hinc enim oritur admiratio, timor, & amor Dei, quorum nihil fit, si tantum naturæ ea attribuamus. Signanter autem dicit arcum meum, quia specialem quandam gratiam Dei significat & ostendit nobis. Cęterum quanquam Iris etiam ante diluuium apparere potuerit, nunc tamen primum in signum non venturi diluuij instituitur: sicut lapis de nouo potest statui in signum, qui tamen prius nihil significabat. Hoc autem signum non in terra, sed in cælo, vt ab omnibus videri possit: & in nubibus vnde diluuium timeri poterat. iterum vt ostēdat se fortiorem creaturis, merito igitur dicit: A signis cæli nolite metuere, &c. Iere. 10.

Recordabor fœderis mei, &c.

Loquitur Deo ad similitudinem hominum qui externis signis commonefiunt eorum quæ alias obliuiscerentur, Deus autem nō opus habet huiusmodi signis, vt qui nullius rei obliuisci potest. Quod igitur hic dicit, Recordabor fœderis mei, nihil aliud est quàm si diceret, cū apparuerit arcus, tunc cognoscetis quòd promissionis & fœderis mei non sim oblitus. Vel recordabor, id est, tunc recordari vos faciam, & per hoc signum admonebo vos fœderis mei. Quo verbo docet, quomodo hunc arcum intueri debeamus, nempe vt philosophi vana de ipso disputando vel curiosè inquirendo, sed recordando fœdus illud nobiscum factū. Admoneat igitur nos Iris, primo, horrendi illius iudicij quod in diluuio ostensum fuit: hinc veniemus ad cognitionem peccatorū nostrorum;

tum: hinc discemus timere futurum iudicium. Deinde admoneat nos summæ illius & ineffabilis misericordiæ, qua Deus non rogatus tanta promisit, qua denique tam misericorditer nos hactenus tolerauit. Discamus ex Iride, non iustitiæ nostræ esse quod mundus non iterum deletus fuit aut deleatur, sed diuinæ misericordiæ: Misericordiæ, inquit, Domini quod non sumus consumpti. *Thren.3.* Pactum hoc cum Noë, præfigurauit fœdus Christi cum Ecclesia, vt patet Isa.54. Iris designat Christum qui est signum reconciliationis perfectæ. Attendamus quàm multipliciter fidem nostram corroboret, & quomodo nos per externa ad se ducat. Cæterùm sicut Moses horrorem damnationis per diluuium multis repetitionibus expressit, sic nunc quoque vsque ad tautologiam, idem sæpius repetit clementiam Domini commendando hominibus affuturam, non vt sine timore viuant, sed vt patris sui benignitatem velut honestissimi filij minime obliuiscantur, quo sint amore propensiore in illum & obsequentiores.

Erant igitur tres filij Noe, &c.

Hactenus pluribus verbis descripsit qualem se Deus ostendit & exhibuit post diluuium, nunc deinceps ostendet quid homines inter se egerint. Vbi primo videbimus quàm facilè homo labitur, etiam si copiosum verbum habeat. Videbimus deinde, quòd tam boni quàm mali peccant, licet differenter: boni enim ex infirmitate vel ignorantia, mali autem ex malitia: deinde boni cadunt & resurgunt, impius autem si ceciderit non adijciet vt resurgat. *Psal.40.* Filios autem Noe iterum nominatim exprimit, vt aliquid addat, imò vt ingressum sibi faciat sequẽtis historiæ. Quod autem Cham non simpliciter hic nominatur, sed additur ei filius, Cham, inquit, ipse est pater Chanaã, ideo fit quod Israelitæ quibus Moses hæc scribebat, præ cæteris gentibus nosse debebant gẽtem Chananeorum, quorum terram Deus ipsis promiserat: quasi dicat, Cham iste de quo nunc loquor pater fuit eorũ quos Deus nunc ad introitum tuum perdet, tibiq; terrã eorum assignabit. Deinde per hanc additionem ostẽdere voluit iustè perditam & deletam gentem Chananeorum, vt quæ non solum in

lum in posteris, sed etiam in ipsa stirpe & radice, mala erat semperq; mala fuerat. Præterea aliqui volunt quod in ipso diluuij anno Cham genuerit, & quod Moses hoc ei exprobret, quasi dicat: Cham ille adeo infrenis libidinis fuit, vt in ipsa diluuij tempestate voluptati operam dederit: non mouit illum tanta tempestas & excidium humani generis, imo maledictus ille in medijs turbinibus cum omnes gemerent, operam proli dedit.

Ab his dißeminatum est omne genus, &c.

Hoc addit vt habeamus certá quandam humani generis originem, ne putemus res temerè ferri, & vel fato, vel constellationibus exordium habere genus humanũ, vel fuisse ab æterno, vt gentiles desipuerunt. Quomodo aũt genus humanum ab ipsis disseminatum sit supra vniuersam terram, infra dicetur.

Cæpitq; Noe vir agricola exercere terram, &c.

Quia hactenus tanta de ipso Noe dixerat, ne quis putaret eũ angelum fuisse, aut aliquid aliud dignius homine, dicit eum fuisse hominem, Erat, inquit, vir. Igitur quę de ipso legimus etiam nobis non erunt impoßibilia, cũ ipse ex natura non alius fuerit quàm nos. Deinde ne quis putet eum excellentis alicuius status & conditionis fuisse præ aliis, propter quod eum Deus præ aliis dilexerit, addit: Erat vir agricola. Neminem igitur Deus reijcit propter humile aliquod officium, etiam agricolas & sutores gratos habet si pij sunt. Videmus autem hic iustum Noe nõ ociosum fuisse, vt & nos discamus ociũ fugere, quod omnium malorum sentina est. Signanter autem agriculturam elegit, quæ est innocentißima vitæ ratio: tale igitur opus elegit quod in se non malum esset, & victũ præstaret: non tam rebus cumulandis, quàm conscientię tranquillitati studens. Nos ea tantum eligimus artificia vel studia vnde multum lucri accrescit, nihil curantes bona sint vel mala: imo manifestè lucrũ quærimus, etiam si sciamus cum Deo conscientiæq; puritate fieri non posse.

Plantauit vineam, &c.

Non sic accipiendum quod ante diluuium nõ fuerint vites, sed nunc primum creatæ: nihil enim noui creauit Deus post primam illam generalem creationem. Vites igitur

tur inter alia germina terræ tertia die creatæ sunt, vt supra dictum est. Cæterum fieri potest quòd hi qui diluuium præcesserunt, vel non curarint vel ignorarint vsum vini: non enim omnia simul reuelat Deus, sed nunc hoc nunc illud facit inueniri, vt semper habeamus vnde eius potentiam & bonitatem miremur. Ideo autem veteribus illis non ostendit vsum vini, non enim opus habebant: natura enim in ipsis adhuc fortis erat, omnesque fructus terræ efficaciores quàm nunc. Nunc autem postquã terra per diluuium corrupta erat, imò etiã ipsa hominis natura deterior vel infirmior effecta, piissimus Deus ipsi Noe ostendit vsum vini. Ex eadem igitur bonitate qua supra homini prouidit de cibo, etiam nunc prouidet de potu: & cum omnia alia animalia potu aquæ cõtenta esse oporteat, soli homini specialem potum, & quidem nobilissimum creauit, qui nedum sitim restingueret, sed etiam roboraret & remedio esset: vt vel hinc videamus quantã pro nobis curam gerat. Gene. 1.

Bibensq; vinum inebriatus est, &c.

In ipso statim exordio inuenti vini ostendere voluit Deus quòd abusus vini noceat, vt omnes posteri vel hinc admoniti essent ne vino abutantur. Cæterùm quòd Noe aliquanto largius bibit vinum, vel ideo fecit quòd adhuc ignoraret eius vim & virtutem, vel quòd per hoc voluit excutere tristitiam animi, quam etiam tum gerebat de morte tot amicorum suorum, imo de perditione tot animarum: verum malè ei cessit. Sic enim contingere solet, vbi non contenti diuinis consolationibus, externas quærimus. Hic igitur videmus quàm facilè labatur homo etiam pius, quamque procliues simus ad malum. Quis virtutes sancti huius patriarchæ satis commemoraret, tot annos crucem ferentis? is tamen labitur. Summa igitur custodia & vigilantia nobis opus est: si enim iustus non fuit securus, quanto magis nobis timendum & cauendum est. Quanquam, vt dixi, hæc ipsius iusti ebrietas facilè excusari potest, vt vel nullum peccatum, vel admodum leue fuerit: non igitur [illegible]t vt hoc exemplum prætexamus commessationibus & [illegible]ietatibus nostris. Aliud siquidem est, inexpertum & impru-

imprudentem citra voluntatem suam,& vim vini non intelligentem,inebriari,idq; tantum semel: aliud sese dedita opera ingurgitare, vino idq; frequenter & quotidie. Nemo est qui nõ semel imprudens vino sit obrutus & superatus,atq; hoc vt dixi non vsque adeo cũ vitio coniũctum est. Non igitur est quòd ebrietatem nostram conferamus cũ ebrietate ipsius Noë, fieri enim potest quòd ipse non peccauerit: fieri autem non potest, quin nos grauissime peccemus, maximè etiam ob id quòd exemplis aliorum admonemur.

Atque discoopertus est in tabernaculo suo,&c.

Vide quid ex homine faciat quantumcunque eum mutet vinum, Noë enim ille tam sanctus, tam pudicus, nunc iacet discoopertus, quod sobrius vel maximè exhorruisset. Sic autem permisit eum Deus cõfundi, vt postea cautior fieret, perpetuoq; ebrietatem vitaret: deinde etiam ad humiliationẽ eius, ne superbiret de diuinis reuelationibus, propter quam causam etiam Paulo stimulum carnis dedit. Præterea etiam ad terrorem & instructionem nostrã Deus sic confundi permisit iustum illum, quo magis abhorreremus ab ebrietate. Quantum fœdum enim sit vitium ebrietatis, quotq; ex hac incommoda & damna tam corporis quàm animi nascantur, etiam gentiles, vt

Ebrietatis incommoda. Plinius aliiq; ostenderunt. Primo enim ebrietas hominem dehonestat, facit eum bestiam imò truncum, exponit eum omnibus ludibrio, facit eum omnibus bonis viris abominabilem & exosum. Deinde ebrietas nocet rebus, vna enim die sæpe absumit, vnde pluribus diebus viuere potuisset quis. Præterea nocet corpori idq; vel maximè, multi enim variiq; morbi hinc nascuntur, vt veris-

Eccle. 37 sime dictum sit, plures crapula periisse. Ad hæc ebrietas interdum nocet etiam vitæ hominis, nunquã Iudith oc-

Iudith. 13 cidere potuisset Holofernem si non ebrius fuisset. Insuper etiam menti officit ebrietas, obruit enim & absorbet rationem, qua absorpta quid iam humani reliquum est in homine? verissimè igitur dicitur, ebrietatem esse voluntari ãinsaniã, vel volũtarium dæmonẽ, vt Chrysostomus ait. Maximè autem ebrietas officit animæ, nam & hominem impedit à bonis operibus, & causa est multorum pecca

torum

torum, hoc enim inter cætera mala habet ebrietas, quòd erubescentiam & verecundiam omnem tollit, quę vel impios à peccando cohibet. Hoc velo sublato quicquid in homine secretum est palam fit, profluunt impudica verba, fiunt indecora, & spurcissima quæque efferuntur. Vt interim taceam quòd etiam Deo displicet ebrietas, quæ facit vt bonis Dei abutamur, Deumq; offendamus. Omnia hæc ebrietatis mala Sapiens explicat cum dicit: Cui væ? cuius patri væ? cui rixæ? cui sine causa vulnera? cui suffossio oculorum? nisi his qui cómorantur in vino, &c. Et subdit: Noli attédere vinú cum flauescit in vitro, &c. Cùm itaq; ebrietas adeò dehonestet & dedeceat hominem, certum est quòd magis dedecet Christianos, & adhuc magis magistratus, maximè autem sacerdotes & religiosos. Nec tamen ideò culpandum est vinum aut Deus autor vini: non enim malum est vinum, sed abusus. *Prou. 23.*

Videns autem Cham pater Chanaan, &c.

Hactenus in iusto Noe vidimus quomodo pii nónunquam cadant, nunc hic videbimus quomodo impii cadant, vbi omnia contrario modo fiunt. Deinde in hac historia iterum videmus generationes variari, humanumq; genus iterum in duas partes diuidi, in bonos scilicet & in malos, quemadmodum & supra de Abele & Cain audiuimus. Hoc auté factum est occulto iudicio Dei, qui semper habet in quibus misericordiam suam ostendat, alios autem in quibus iustitiam, Rom. 9. 2. Tim. 2. Pulchre autem Moses peccatum ipsius Cham describit, habentq; singula verba emphasim quandam, imò nihil aliud sunt quàm circunstantiæ peccatum eius aggrauantes. Primò enim non ignotus quispiam homo facinus admisit, sed Cham vnus è tribus filiis Noe: tam sancti viri filius, qui præter exempla domestica, nuper etiam in diluuio seruatus à Deo, omnem Dei timorem abiecit, vt & in patré impius & contumeliosus fieret. Secundò auget eius peccatum quod additur, pater Chanaan: cùm enim ipse quoq; iam pater esset filiumq; haberet, cogitare debuit, si sic patrem dehonestaueris, etiam filius tuus tibi hæc faciet: verum nihil tale cogitauit. Deinde nó extraneo alicui hæc fecit, sed patri, cui iure naturę honorem debebat. Vidit,

P inquit,

inquit, nuditatem patris sui. Nec solùm hoc vidit casu, sed data opera, fuitque ei patris nuditas quasi voluptati: vnde apparet peruersitas eius ac intẽperantia. nec solùm nõ obtexit nuditatẽ patris, sed insuper foris propalauit. Demũ etiam fratres suos ad similẽ proteruiã allicere voluit. Hunc impiũ Cham imitantur omnes degeneres filii, quorũ nunc mundus plenus est, qui nedũ nõ honorãt parentes, sed insuper irrident, maledicũt, cõtumeliis & verberibus interdũ afficiunt, interdum etiã famẽ pati sinũt: crudeliores Scytis, qui parentum sepulchra nõ aliter honorabant, q̃ deorum tẽpla: imò bestiis sunt crudeliores, quorũ aliquæ parẽtes suos nutriunt, vt aquila & ciconia. Hi autẽ nõ cogitant quid à parẽtibus acceperint, qua cura & labore enutriti, &c. Non cogitant se Deum offendere, imò nec ignominiã curant corã mundo: qui enim patrem inhonorat, ignominiosus est etiam coram mundo.

Prou. 30

Cæterùm ridet quidem nunc impius Cham, sed non impunè feret vt statim sequitur: idem continget sequacibus eius qualis fuit Absolõ, filii Heli, &c. Deinde Cham etiam eorum figurã gerit, quibus summũ studium est peccata aliorum etiam occulta propalare, contra legem naturæ quæ dicit, Quod tibi nõ vis fieri alteri ne facias. contraq; prçceptũ Christi, Si peccauerit in te frater tuus, &c.

Matt. 18.

Sem autem & Iaphet sumens pallium, &c.

In his habemus exẽplum bonorũ filiorum, primò enim non probant hanc fratris leuitatem, nec dubium est quin etiam arguerint eum. Deinde quãuis pater in casu nonnihil reprehensibilis erat, tamen festinant ad contegendum eum, ne ad alios etiam hæc ignominia patris perueniret, quemadmodũ & Sapiens monet: Fili, inquit, suscipe senectã patris tui, &c. sequitur: Cũ defecerit sensu, veniã da, &c. Filius tantùm hoc debet cogitare quòd pater est.

Eccle. 3.

Præterea nec videre possunt aut volunt patris ignominiam, sciebant q̃ ignominia patris, ignominia est filiorũ. Atq; hi sunt mores verè generosi, qui filios decent. Huc pertinet quod scriptura vbiq; nos ad honorẽ parentũ exhortatur. Sic Tobias: Omnibus diebus vitæ tuæ hono[rem] habebis matri tuæ, &c. hoc idẽ docet Ecclesiast. ca. 3. [...] totũ. Discamus etiã hic ex duobus his fratribus nõ a[...]

Tob. 4.

lari aut aures præbere detractoribus. Discamus secundò tegere, occultare, excusare peccata fratrum, maximè autẽ pręlatorũ, qui si excesserint, magis obsecrandi sunt, q̃ arguendi, iuxta illud Pauli: Seniorẽ ne increpaueris, sed obsecra vt patrem, &c. quilibet sua peccata attẽdat, &c. 1.Tim.5.

Cumq; euigilasset Noe à vino, &c.

Etiam hæc verba emphasim habent, primò nõ tantùm dormiuerat, sed vino obrutus iacuerat, nec tãtũ à somno: sed etiam à vino euigilauit: iam cum duplici somno grauatus fuerat, non mirum quòd interim inimicus zizania inter triticum seminauerat: dormiente patrefamilias, non mirum quòd familia aberrat. Minorem autem filium nominat contemptus gratia, cùm non esset minimus natu; sed medius: propter peccatum autem suum iam honorem perdiderat, vltimusque omnium constituitur. Mat.13.

Emphasim item habet quod dicit, Quæ fecerat sibi. non enim vnum tantùm peccatum perpetrauerat, sed plura: contumeliosus fuit, prodidit peccata fratresque allicere voluit: denique patri hæc fecit.

Maledictus Chanaan: Seruus, &c.

Dura sententia, sed tamen iusta, nàm & lex maledicit dehõnestantem parentes, imò etiam necessaria propter terrorem incutiendum posteris: nec enim tantùm hominis verbum est, sed Dei: imò plus & potius est prophetia quàm vltionis auiditas, id quod ex sequentibus patet. Deut.27.

Non est igitur quòd hoc in exemplũ trahamus, non tantùm attendenda sunt quæ fiunt, sed à quibus fiunt & per quos: fieri enim potest vt duo aliqui idẽ opus faciãt, quorum vnus peccet, alter nõ. Sic nos maledicẽdo, peccamus propterea quòd interdictũ nobis sit, Noe autẽ maledicẽdo nõ peccauit, quia nõ ipse, sed Deus in ipso locutus est. Rom.12.

Quod autẽ nõ ipsum Cham, sed filium eius Chanaã maledixit, ideò factũ est. Primò, ne videretur Deo cõtrarius, quia supra nõ tam ipsum Noe quàm filios eius benedixit, Secundò ad confortationẽ Israelitarum, vt scirent Chananæos, ad quorũ terrã possidendam intrabant iam olim in ipsa radice sua maledictos esse. Tertiò, vt ostendatur Cham nõ solùm in persona sua maledictus, sed etiam in filiis: visitat enim Deus peccata parẽtum etiam in filiis, sed Exo.20.

temporaliter tantùm: neminem autem pro alieno peccato damnat æternaliter. huc enim pertinet hoc verbum:
Ezech. 18 Anima quæ peccauerit ipsa morietur. Propter peccatum igitur patris etiá posteros detestatur Deus, maximè cùm & ipsi imitatores fuerint paternæ impietatis. Præterea etiam ideò filius maledicitur, vt pater Cham vel hinc sentiret maiorem pœnam. Quàm graue autem sit vbi Deus maledicit, satis supra expressum est in Adam & Cain. Nec contentus est eum spirituali pœnæ, maledictioni scilicet, subiicere, sed insuper & corporalé addit, ac ipsum seruituti subiicit. Nec simpliciter dicit, seruus sit, quo nomine interdum etiá bona seruitus significatur, sed seruus, inquit, seruorum sit: vt ostendat extremam seruitutē, imò verè seruilem nequitiam. Propter peccatum igitur Cham perdidit ingenuitatem suam, & seruus factus est.

Atq; hic habemus originem seruitutis, dura illa, agrestia, inhumana, imò peruersa ingenia pepererunt seruitutem: & meritò quidem tales seruituti subiiciuntur, & potestate coercentur, qui nedum rationem, sed etiam timorem Dei amiserunt. Quamuis autem seruitus impiis pœna sit, piis tamen nihil nocet: apud Christum enim neque
Galat. 3. seruus neque liber est, sed omnes vnum sumus, ipse est qui à vera seruitute nos liberauit.

Benedictus dominus Deus Sem, &c.

Quantum impius Cham propter suam nequitiam humiliatus fuit, tantum hi duo propter pietatem in parentem exaltantur. & quamuis fratres essent, eosdem parentes haberent, natura æquales essent, eiusdem nobilitatis, tamen Cham ex secundo loco in vltimum detruditur, seruituti subiicitur, maledicitur. Econtra Iapheth ex vltimo loco in secundum statuitur, & cum fratre Sem dominus cōstituitur & benedicitur. Hinc igitur videmus quòd vera nobilitas ex virtute nata est: vera, inquam, nobilitas, nam & Nimroth nobilis fuit, verùm non ex virtute, sed ex oppresione aliorū, quē & nunc pleriq; imitantur, &c. Sicut autē vera nobilitas ex virtute est, sic nullos magis decet virtus aut dedecēt vitia, quàm nobiles, quanquam pauci sunt qui hoc attendant. Gloriantur de nobilitate generis, cùm omnibus vitiis cōspurcati sint, ac nusquam

minus

minus locum habeat virtus quàm apud ipsos. Atqui hoc magis facit ad ignominiam ipsorum qui tam degeneres sunt. Deinde circa hunc textum vide quid mercedis referant & reportent qui parentē honorarunt: Primò eos collaudat, sic tamē vt eam laudem potissimum ad Deum referat: Benedictus, inquit, dominus Deus, quasi gratias agens, quòd hos duos in virtute conseruauit, & maximè ipsum Sem, de quo Christus nasciturus erat. Discant hic parentes generositatē & profectum filiorum Deo adscribere. Secundò etiam bona ipsis imprecatur, imò & Deū ipsum: hæc sunt premia honorantium parentes. Sic & scriptura in aliis locis magna bona huiusmodi filiis promittit: primò gloriam: Gloria, inquit, hominis ex honore patris. Secundò prosperitatem: Qui honorat parētes, inquit, iocundabit in filiis. Tertiò diuitias: Honora, inquit, patrē tuū, vt superueniat tibi benedictio à Deo, &c. benedictio autem domini diuites facit. Quartò longam vitam, Exo. 20. Quintò etiam beatitudinem: Si vis ad vitam ingredi serua mandata, &c. Hæc nos moneant ad honorandos parentes, & qui parētum vice nobis sunt, vt sunt superiores nostri, maximè qui in spiritualibus nobis præeunt. Obseruandum autem, quòd hæ benedictiones etiam prophetiæ sunt futurorum: per Sem enim intelliguntur Iudæi à Sem descendentes: per Iaphet autem gentes ad Christum conuertendæ. Quòd igitur benedictionē Sem à laude Dei incipit, planè præuidit & ostendere voluit, quòd Deus magna in populo Iudæorum facturus esset, plusquam in aliis gentibus: id quod factum videmus. Deinde quòd de Sem loquens benedictionis meminit, ostendere voluit, apud posteros ipsius Sem, & maximè apud Iudæos, veras benedictiones veraq; bona futura esse: ea autem sunt, gratia Dei, promissiones, testamenta, legislatio, adoptio filiorum, &c. Imò ostendere voluit veram benedictionem ex illo populo orituram per Christum, in quo omnes gentes benedicuntur. Præterea quod signanter dicit, Dominus Deus Sem, præuidit in illo populo vnius veri Dei cultū mansurum, omnibus aliis ad idololatriam declinantibus. Postremò quod addit, Sit Canaan seruus eius, præuidit & prædixit Chananeorum

Eccle. 3.
Ibidem.
Prou. 10.
Rom. 9.

rum gentem olim per Iudæos subigédam imò delendã; id quod tempore Iosue factum est. Imo quod dicit, Dominus Deus Sem, pręuidit Christum verum Deum Deiq; filium ex posteris Sem carnem assumpturum.

Dilatet Deus Iaphet, &c.

Præuidit & prædixit posteros ipsius Iaphet præ cæteris dilatandos, id quod impletum videmus. Quod autem addit, Et habitet in tabernaculis Sem, pręuidit gentes sic dispersas & dilatatas ad vnam veram fidem quæ in generatione Sem remansit peruenturas. Item præuidit etiam gentes ad promissiones Israelitis factas peruenturas, inserendasque in bonam oliuam: id quod per Christum impletum est & impletum esse gaudemus: ex duobus enim populis vna ecclesia, vnumq; tabernaculum effectum est, nec minus ad gentiles pertinet Christus, q̃ ad Iudæos.

Quod autẽ etiam hic addit, Sit Chanaan seruus. pręuidit quòd increduli & ingrati Iudæi fidelibus ex vtroq; populo seruituri essent: quemadmodũ videmus impletũ. Seruiunt enim nobis Iudæi, primò corporaliter, quia subiecti sunt Christianis; Deinde etiã spiritualiter, scripturis scilicet sanctis, quas ipsi ad confirmationem fidei nobis portant. Generaliter autem, omnes impii velint nolint seruiunt piis, promouentq; ad meliorem vitam.

ALLEGORIA.

Noe Christum significat qui vineam plantauit, Iudaicũ scilicet populum. Isa. 5. Psal. 79. Matt. 21. Nimio autem amore ad genus humanum quasi ebrius factus est, vt seipsum negligeret, exinaniret, &c. tantùm vt nobis succurreret. Imo adeò amore ebrius fuit, vt obdormiret in cruce per morté, ac planè ignominiosus appareret, ac etiã à Deo relictus. Hanc eius ignominiã irriserũt Iudæi Matt. 26. Deinde etiam quidã hæretici: postremo omnes mali Christiani, qui crucẽ Christi eiusq; humilitaté, paupertatem, &c. contemnunt ac imitari dedignantur. Et quanq̃ Christus hæc interim toleret, tamen cum euigilauerit, æterna maledictio imminebit huiusmodi irrisoribus. Veri autẽ Christiani non offenduntur Christi humilitate, sed aliis irridentibus ipsi tegunt nuditatem eius: ostendunt enim ꝙ hæc propter nos facta sint, quodq; in scriptura

prædicta

prædicta sint, &c. Cæterùm sicut Moses historiam ipsius Noe terminat in maledictione & benedictione filiorum: sic Christus vltimo loco iudicium celebrabit, & bonis & malis pro cuiusque meritis præmia daturus.

Vixit autem Noe post diluuium, &c.

Tanto tempore eum viuere fecit, vt posteris inculcaretur horrendum illud iudicium Dei in diluuio factum, vt eò magis in timore Dei ambularent, quanquam apud plerosque frustra. Non dubium quin sanctus Noe constanter & incessanter posteros suos admonuerit, non tamen ab omnibus auditus fuit. Cæterùm si annos computes, inuenies eum vixisse vsque ad tempora Abrahæ. Tam diu viuere eum permisit, donec surgeret alius qui homines ad Deum verbis & exemplis duceret. Sic enim Deus nullo non tempore aliquos mundo dedit per quos instrueretur. Obseruandum & hoc, quòd hic non dicitur, & genuit filios & filias, sicut de aliis dictum est: vnde volunt ipsum post diluuium cõtinenter vixisse. nec dissimile est vero, quòd à voluptatibus omnibus abstineret, qui tantum iudicium viderat. In fine additur, Et mortuus est. Hic est finis omnium tam bonorum quàm malorum, sed dissimilis: nam mors sanctorum preciosa, mors autem impiorum pessima est. *Psal. 115.* *Psal. 33.*

Caput decimum.

HÆ sunt generationes filiorum Noe, Sem, Cham, & Iaphet: natique sunt eis filii post diluuium. Filii Iapheth: Gomer, & Magog, & Madai, & Iauan, & Thubal, & Mósoch, & Thiras. Porrò filii Gomer: Ascenex & Riphath & Thogorma. Filii autem Iauan: Elisa & Tharsis, Chetim & Dodanim. Ab his diuisæ sunt insulæ gentium in regionibus suis, vnusquisque secundum linguam suam & familias suas in nationibus suis. Filii autem Cham: Chus, & Mesraim, & Phus, & Chanaan. Filii autem Chus: Saba, Heuila, & Sabatha, & Regma, & Sabatbacha. Filii Regma: Saba, & Dadan. Porrò Chus genuit Nemrod: ipse cœpit esse potens in terra, & erat robustus venator coram domino, ab hoc exiuit prouerbium, Quasi Nemrod robustus venator coram

domino. Fuit autem principium regni eius Babylon, & Arach, et Achad & Chalanne, in terra Sennaar De terra illa egressus est Assur, & ædificauit Niniuē et plateas ciuitatis, & Chale. Resen quoq; inter Niniuem & Chale: hæc est ciuitas magna. At verò Mesráim genuit Ludim, & Anamim, & Laabim, & Nephthuim, & Phethrusim, & Chasluim: de quibus egressi sunt Philistiim, et Caphtorim. Chanaan autem genuit Sidónem primogenitum suum, Hethæum, & Gebusæum, & Amorrhæum, & Gergesæum, & Heuæum, & Aracæum, Sinæum, & Aradium, Samaræum & Hamathæū, & per hos disseminati sunt populi Chananæorum. Factiq; sunt termini Chanaan venientibus à Sidone Geraram vsque ad Gazam, donec ingrediaris Sodomā & Gomorrham, & Adamā & Seboim vsq; Lasa. Hi sunt filii Cham in cognationibus, & linguis, & generationibus, terrisq; & gentibus suis. De Sem quoq; nati sunt, patre omnium filiorum Heber, fratre Iaphet maiore. Filii Sem: Aelam & Assur. & Arphaxad, & Lud, & Aram. Filii Arā: Hus & Hul, & Gether, & Mes. At verò Arphaxad genuit Sale, de quo ortus est Heber. Natiq; sunt Heber filii duo, nomen vni Phaleg, eo quod in diebus eius diuisa sit terra: & nomen fratris eius Iectan. Qui Iectan genuit Elmodad & Saleph, et Asarmoth, Iare, & Adoran, & Vzal, & Decla, & Hebal, & Abimael, Saba & Ophir, & Heuila & Iobab, omnes isti filii Iectam. Et facta est habitatio eorum de Messa pergentibus vsque Sephar montē orientalem. Isti sunt filii Sem secundum cognationes & linguas, & regiones in gentibus suis. Hæ familiæ Noe iuxta populos & nationes suas. Ab his diuisæ sunt gentes in terra post diluuium.

HActenus Moses descripsit quæ circa hominem contigerunt in prima ætate mundi, ab Adam scilicet vsq; ad Noë: vbi pleraq; eximia exempla audiuimus tam de bonis quā de malis hominibus: exempla item tam gratiæ quàm iræ Dei. Nunc in hoc capite ad secundam ætatem mundi transit, ac primò ostendit, quomodo à filiis Noe tota terra impleta sit, & quomodo gentes in vniuersam terrā sunt diuisæ. Cæterùm quoniam tædiosum esset singulos populos & gentes hic nominatas recensere, cùm pro maiori parte nobis incognitæ sint: imò cùm nihil certi de quibusdam populis hic nominatis dicere possimus, propterea quod cū tempore

pore etiam nomina mutata sunt,& pleræq; gentes omnino periisse verisimile sit,tantum summatim hoc caput attingam, excerpendo ea quæ ad mores ædificandos facere possunt,reliqua ociosis committens. Primò igitur quod generationes illæ tam diligenter describũtur,ideò factum est,vt facilius historias scripturæ,in quibus sæpè mentio fit de diuersis populis,facilius intelligamus:alioqui nunquam intellecturi eas,nisi Moses summatim originem cuiusq; populi indicasset. Deinde etiam ad hoc cōducit, vt videntes omnes homines toto orbe sparsos vnius patris esse filios, mutuo nos diligamus & foueam⁹.

Absoluit autem primò breuibus generationẽ Iapheth & Cham,ex quibus gentes prognatæ sunt:vt de posteritate Sem,vnde patriarchę & Christus nati sunt,latius disseratur. Obseruandũ etiam hic, quòd tantum hi nominantur qui capita fuerunt singulorum populorum. Nominantur autem septuagintaduo, vnde quidam suspicati sunt septuaginta duas linguas esse,quod tamẽ ex hoc loco probari non potest:nam plures hic nominati vna tantùm lingua vsi sunt,vt omnes filii Chanaan, &c. Paucos autem populos de Iaphet hic recenset: Quid enim opus erat omnes recensere,cùm ignoti essent Iudæis, vtpote longinqui ab eis. De Cham autem & Sem,omnes populos enumerat:hos enim poterãt Iudæi nosse,vtpote propinquos. Colligi etiam hoc potest, quòd posteri filiorũ Noe secundum tres partes mundi diuisi sunt, singuli in singulas partes. Item quòd ea diuisio cœpit in Armenia, illic enim requieuit arca,vt supra dictum est.Posteri igitur Sem versus orientẽ regiones possederũt, Asiam scilicet totam. E Cham autẽ prognati versus meridiem, Syriam,Mesopotamiam,Palestinam,Aegyptũ, Libiã, Africam incoluerunt. Posteri autem Iaphet versus occidentem & Septentrionem in Europa obtinuerunt regiones, Græciam,Italiam,Galliam,Hispaniam, Germaniam,&c. Cap.8.

Hæc tamen diuisio nō ita præcisè accipiatur quasi omnes Asiam incolentes è Sem originẽ ducant:omnes item qui in Africa,è Cham:& qui in Europa,è Iapheth descẽderint. Constat enim ex historiis quòd aliquæ gentes relictis regionibus suis,nouas sedes quæsierunt. Sic Galli

olim in Italiam irruperunt, qui postea & Gallogræci vel Galathæ dicti sunt. Sic Gothi olim in Italiam turmatim se transtulerunt, &c. Hæc de huiusmodi generationibus dicta sufficiant. Reliqua doctis excutienda relinquo.

Obserua, quamuis Moses de sola posteritate ipsius Sem intēdat scribere, aliqua tamē in hoc capite de ipso Cham eiusq; posteris nos admonere voluit. Primò, quod posteri eius tametsi mali essent, & maledicti, etiā tamen in optimo terræ loco habitant, in Aegypto scilicet & Syria regionibus fertilissimis. Sic enim impii maximè eo tēdūt vt abundent in temporalibus. Filii huius sæculi prudētiores sunt filiis lucis in generationibus suis. Spiritualia aūt nihil curant. Deinde posteri Cham primò ædificasse memorantur ciuitates easq; fortissimas, nempe Babylonem & Niniuen. Sic enim impii solum in terra ædificant, solū externis munitionibus confidunt, sed frustra: nihil enim stabile sub sole. Magna & incredibilia narrantur de his duabus ciuitatibus, & tamen destructæ sunt. Quare pij homines sperant in Deo: hic ipsis est in scutum, refugiū, propugnaculum, & in murum igneum, &c. Idem studium ædificandi ciuitates etiam supra in filiis Cain audiuimus: vbi & plura de hoc dicta sunt. Præterea posteri Cham primò etiam imperium arripiunt, contra præceptū Dei, cùm deberēt esse serui. Nihil tale de aliis legitur, quibus tamen Deus dominium concesserat. Sic igitur impii hęc tria maximè quærūt, diuitias, voluptates, honores, quib⁹ tamen omnibus abutuntur. Sic cupiditas & ambitio ad omnia eos mala præcipitant & vrgent. Quid enim boni esse potest, vbi regnant auaritia & cupiditas? Radix oīm malorū est cupiditas, ait Paulus. Vide autem opera Dei. Cham maledictus erat vna cum posteris suis. Interim tamen omnia eis prosperè succedunt, diuitiæ, honores, &c. habent ciuitates, dominantur, &c. Quis hos crederet maledictos? Verùm nihil hæc te offendāt. Impiorum posteritas breuis: interim maledictio conscientiam eorū premit, & suo tempore erumpit. Id quod posteris Cham accidit, qui per Israelitas deleti sunt.

Luc. 16. · 1. Tim. 6.

Nemrod cœpit esse potens in terra, &c.

Hunc nominatim recenset. fuit enim primus qui post

diluuium

diluuiũ tyrannidẽ inuasit. Et in ipso pulchrè adumbrata est natura tyrannorũ, qui cum omnibus vitiis conspurcati sint, vi tamen & potentia aliis se præferunt, &c. Cõgruè autẽ tyrannus hic Nemrod dicitur, quod interpretatur transgressor vel apostata: huiusmodi enim hominibus leuissimum videtur transgredi præcepta Dei, nulla apud eos fides, nulla lex, nulla iustitia. Deinde, Nemrod, inquit, cœpit esse fortis, hoc est, non iure hanc præeminentiam habuit: sed cepit eam violentia. Fortis aũt dicitur, vel corporis magnitudine, vel animi magnitudine, vel fama rerum gestarum. Dicitur signanter robustus venator, non bestiarum, sed hominũ, oppressor scilicet, inuasor, spoliator, qui id agebat contra homines, quòd venator agit contra feras, ncpe insidiari, capere, occidere, vt nemo securus esset. Addit, Corã Domino, id est, permissus à Deo propter malitiã. Populi enim peccata Deus punire solet per tyrãnos. Vnde. Dabo eis regẽ in furore meo, &c. Vel, corã Domino, id est, aduersarius Domino, & nedum homines non timens, sed nec Deũ curans, qualis erat impius ille Iudex in Euangelio, Luc. 18. Denique de ipso exortum est prouerbium, quod & ipsum vel maximè insignem eius tyrannidem ostendit, vt deinceps omnes tyranni ab ipso cognominarentur, ac diceretur: En alter Nemrod. Postremo dicitur Babel fuisse exordium regni eius, vt vel ipsum ciuitatis nomen indicet, qualis fuerit eius rector. Babylon enim confusionem significat. Omnes hæ circunstantiæ etiam in nostrates tyrannos conueniunt, &c. Per Nemrod etiam diabolus significatur, qui imperium quod in cælo affectauerat, inde deiectus, in terra arripuit, homines miserè oppressit: ciuitatem confusionis condidit. Sicut è contra Christus rex pacis Ierusalem spiritualem condidit, quæ est visio pacis. Is etiam ipse nos à tyranno liberauit.

Caput Vndecimum.

Erat autem terra labii vnius, & sermonum eorundem. Cumq; proficiscerentur de oriente, inuenerũt campũ in terra Sennaar, & habitauerunt in eo. Dixitque alter ad proximũ suum: Venite, faciamus lateres, et coquamus eos igni.

Habue-

Habueruntq́; lateres pro saxis, & bitumen pro cæmento: & dixerunt, Venite faciamus nobis ciuitatem & turrim, cuius culmen pertingat ad cælum: & celebremus nomen nostrum antequam di uidamur in vniuersas terras. Descendit autem Dominus vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filii Adam, & dixit: Ecce vnus est populus, & vnum est labium omnibus, cœperuntq́; hoc facere, nec desistent à cogitationibus suis, donec eas opere compleant. Venite igitur, descendamus & confundamus ibi linguam eorum, vt non audiat vnusquisque vocē proximi sui. Atque ita diuisit eos Dominus ex illo loco in vniuersas terras, & cessauerūt ædificare ciuitatem. Et idcirco vocatum est nomē eius Babel, quia ibi confusum est labium vniuersæ terræ: & inde dispersit eos dominus super faciem cunctarum regionum. Hæ sunt generationes Sem. Sem erat centum annorum quando genuit Arphaxad, biennio post diluuium. Vixitq́; Sem postquam genuit Arphaxad quingentis annis: & genuit filios & filias. Porro Arphaxad vixit triginta quinque annis, & genuit Sale. Vixitq́; Arphaxad postquam genuit Sale, trecentis tribus annis: & genuit filios & filias. Sale quoque vixit triginta annis, & genuit Heber. Vixitq́; Sale postquam genuit Heber quadringētis tribus annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Heber trigintaquatuor annis, & genuit Phaleg. Et vixit Heber postquam genuit Phaleg quadringentis triginta annis: & genuit filios & filias. Vixit quoque Phaleg triginta annis: & genuit Reu. Vixitq́; Phaleg postquam genuit Reu ducentis nouem annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Reu trigintaduobus annis, & genuit Sarug. Vixit quoque Reu postquam genuit Sarug ducentis septē annis: & genuit filios & filias. Vixit verò Sarug triginta annis, & genuit Nachor. Vixitq́; Sarug postquam genuit Nachor ducentis annis: & genuit filios & filias. Vixit autem Nachor vigintinouē annis, & genuit Thare. Vixitq́; Nachor postquam genuit Thare centum decem & nouem annis: et genuit filios & filias. Vixitq́; Thare septuaginta annis, & genuit Abram & Nachor, & Aran. Hæ sunt autem generationes Thare: Thare genuit Abrā, Nachor & Aran. Porro Aran genuit Lot. Mortuusq́; est Aran ante Thare patrem suum, in terra natiuitatis suæ in Vr Chaldæorum. Duxerūt autem Abram & Nachor vxores: nomen vxoris Abram, Sarai: & nomen vxoris Nachor, Melcha filia Aran patris Melchæ, & patris Ieschæ. Erat autem Sarai sterilis, nec habebat liberos. Tulit itaq; Thare Abram filiū suum,

& Lot

& Lot filium Aran filium filij sui, & Sarai nurum suã, vxorem Abram filij sui, & eduxit eos de Vr Chaldæorũ, vt irent in terram Chanaan: veneruntq; vsq; Haran, & habitauerunt ibi. Et facti sunt dies Thare ducentorũ quinq; annorũ, et mortuus est in Harã.

SVPERIORI capite audiuimus quomodo totus orbis terrarum discretus sit à posteritate triũ filiorum Noe, nunc docet Moses, qua occasione dispersi fuerint: Resederũt principio aliquot annos, donec multiplicati sunt, iuxta montes Armeniæ: & inde per eã regionem habitauerunt aliquãdiu cum magna felicitate & cõcordia, nimirum adhuc regnante Noe, quem pleriq; suspiciebant. non enim erant tam impij adhuc, sicut illi qui ante diluuium fuerant, neq; tam grauia peccata de eis legimus, quamuis etiam mox cœperint prævalere etiam apud illos: quæ tandem fuere causa dispersionis eorum. In hoc igitur capite iterũ magnũ Dei opus, magnumq; iudicium videmus, quod in hunc vsq; dié manet, nempe diuisionem linguarum. Est autem historia notatu dignissima, hic enim videbimus quid sit in homine, quid cogitet & conetur: deinde iterum videbimus, quàm prope sit iudicium Dei omnibus impiis. vtrumque horum Moses summa diligentia describit.

Erat autem terra labii vnius, &c.

Hebraismus est, labium enim & linguã Hebræi frequẽter accipiunt pro loquela, vt cum dicitur: Venenum aspidum sub labiis eorum, id est, in verbis eorum. Item: Linguis loquentur nouis. Est igitur sensus: Omnes erant eiusdem idiomatis, nulla adhuc linguarum distinctio erat, vnus sermo vnaq; lingua ipsis erat. Quæ autem fuerit hæc lingua ignoratur: communiter tamen putatur quòd fuerit lingua Hebræa, hæc enim in generatione sancta permansit, hac vsus est Deus ipse, hac lex & prophetæ scripta sunt, hac etiam Christus vsus fuit. Non pauca autem commoda ipsis afferebat quòd vnam tantum linguã habebant, omnesq; inter se intelligere poterãt: sicut ecõtra magna incõmoda nunc interdum proueniũt ex eo, quòd alter alterũ intelligere non potest. Pro magno igitur beneficio Moses hoc reputat, quòd principio vnam tãtum linguam

Psal. 13.
Marc. 16

linguā habuerunt:imo ex spirituali gratia donū hoc hominis dederat Deus,vt eo meliùs inter se mutuo conuersari possent. Quia autem eo dono non in bonum,sed ad malum abutebantur:iustè eis ablatum fuit, vt dicetur,

Cumque proficiscerentur de Oriente, &c.

Hoc potissimum fecerunt posteri Cham,qui ab Oriente versus meridiem regiones occuparunt, inter quas & terra Sennaar vel Babylonia est.Inuenerunt,inquit,campum. Patet,quòd cū diligentia requisierūt locū amœnū & fertilem. Sic filij Adā semper quærūt alia,non possunt consistere intra suos limites,sed semper alia concupiscētes,maiora supra se appetunt. Atque hoc est quod humanū genus potissimū perdit,quòd nō vult naturę suę mensurā agnoscere,sed semper maiora desiderat,semperq; aggrauat cōtra se densum lutū, donec tādē in eo suffocatur.

Abac.2. *Venite faciamus lateres, & coquamus, &c.*

Hoc consilium condendæ turris Nemrod dedit,vt Iosephus refert.Supra enim dictum est, quòd nedum in Babylone fuit,sed etiam in ea regnauit. Dictum item,quòd fuit venator robustus coram Domino:quare alios blanditiis,alios minis ad hoc incitauit, habuit suos adulatores,qui facilè ei consenserunt (sic enim solet hominum genus.)alii vi ad hoc adacti sunt:vnde nō sine oppressione pauperū sic ędificant,id quod & alii principes fecerūt & faciūt.Summa , sicut venator non vna tantùm via feras aggreditur:habet enim laqueos,arma,canes,sagittas, &c.& quod vi non potest capere,insidiis capit:quod cursu assequi non potest,per canes rapit: quod ferro attingere non potest,sagittis conficit.Sic impii tyranni. Vide autem quanta prudentia opus aggrediantur. Cùm in plano esset,nec lapides haberent,aliud excogitant : nempe lateres:deinde vt fortiores sint,igne coquunt: præterea ipsos lateres bitumine inter se copulant.Deniq;, cū summa securitate ędificant,hoc intendentes,vt perpetuò maneret hoc ædificium.Interim nesciebāt, quod nisi Dominus ędificet domū,frustra laborarent qui ędificāt eā,&c. Psal.126.

Primum igitur peccatū eorum fuit nimia curiositas inquirendi terrena.Secundum vanæ studium gloriæ:Tertium,fiducia in suis viribus.

Venite

Venite ædificemus ciuitatem & turrim, &c.

Hoc omne impiorum studium est, quod pacem, securitatem, voluptatem, abundantiam terrenorũ quærunt: interim pij in tabernaculis habitant. Sic Adam longo tempore etiam domo caruit. Sic de Iaphet supra dictum est: habitet in tabernaculis Sem. Sciunt enim pij se peregrinos esse super terram. Impii autem hic in terra sedẽ suam constituunt. Vide etiam hic, quomodo impij seipsos alter alterum admonent, impellunt ad malum, quasi non satis vnicuique sit propria malitia, aut quasi timeant ne satis mali esse non possint. Deinde, ædificemus, inquiunt, nobis, non Deo. Vide quanta malitia in eis fuerit statim post diluuiũ. Viderant nihil potuisse homines ab ira Dei præseruare. nec tamẽ cessant. Præterea neq̃ ciuitatẽ, sed etiam turrim ædificant, vt suo iudicio satis muniti essent contra oẽs insultus. Deniq; vsq; ad cælum ædificare volunt, vt etiam Deo resistere possent, si denuo mundũ diluuio perdere vellet. O audacem temeritatẽ, iam præteritam internecionẽ non Deo, sed aquis tribuũt. Interim nihil de emendanda vita cogitant. Si pij fuissent, sic vtique cogitassent: Nobis iuxta consiliũ Dei, & verbum eius viuendum est, ne & nos sicut & patres nostros perdat. Igitur innocentia vitam muniamus, nõ speculis & arcibus. Cæterũ quod dicit: vsq; in cælum, hyperbolica locutio est. nihil enim aliud vult, quàm quod turris illa insignis altitudinis esset. Idem modus loquẽdi habetur in Deut. vbi dicitur: Ciuitates Chananæorũ munitæ sunt, & vsq; ad cælum muratæ. Item quod mons Synai ardebat vsque ad cælum, hinc & volucres cæli dicuntur. *Deut. 1.* *Deut. 4.*

Faciamus nobis nomen, &c.

Hic vides, quid eos ad tantum opus permouerit, nempe superbia. Vides igitur hic causam abominabilem. Hęc autẽ est fœlicitas seculi, habere clarum nomen coram hominibus: & quid hac stultitia vanius. Primo enim, quantumcunque ædifices, non tamen ad omnes perueniet fama nominis tui. Deinde, etsi peruenerit, non omnes laudabunt: imo fortasis hoc ipsum ædificium tuum posteris ad memoriam reuocabit tua peccata, vt dicant: En ille auarus, raptor, tyrannus hoc fecit, &c. Denique etiam si omnes

omnes posteri laudabunt, nihil tibi proderit ea laus: necdum enim laudatus es à Deo. Stultum igitur est sibi nomen facere huiusmodi ædificiis: si autem nomē æternum desideras, pauperibus distribue, tunc omnes posteri tibi
Psal. 111. bene precabuntur. Hinc in Psalmo dicitur: Dispersit dedit pauperibus, &c. Sequitur. In memoria æterna erit iustus, &c. In hac igitur historia videmus stultitiam & audaciam impietatis. quid non audet impietas? qui potentia sua & viribus, qui sapientia & consiliis suis nituntur, qui opibus inhiant, qui fœnori student, qui mercationibus rem parant, qui arcium & ciuitatum extructione se tuentur, magna quædam moliuntur: sed non interim cogitant quòd luto ædificant; quod nihil stabile in terre-
Isa. 40. nis: Omnis caro fœnum, &c. Videmus itē quid sit mundus, & quæ differentia inter Dei filios & filios mundi. Filij Dei vtuntur mundo, sed non immerguntur mundo, quasi perpetuò hic manere possent. Dei fide non satis habent aut contenti sunt temporalibus, sed insuper quærunt spiritualia. impij autem omnino immerguntur temporalibus, negligunt spiritualia, quasi perpetuo hic mansuri essent, &c.

Descendit autem Dominus vt videret, &c.

Non cessat iudicium Dei vbi data opera peccatur: loquitur aūt de Deo humano more, quasi dicat, Iam quieuerat ira Dei post diluuiū, iā quasi confecto labore quieti se dederat, non amplius puniturus hominem: sed ecce filij hominum de nouo eum impiis operibus prouocant, & quasi ad vindicandum cōpellunt, cogunt eum iterum descendere: hinc videmus quod peccata nostra Dei iudicium prouocant. Descendit, quia talis causa erat, quam indiscussam cæleste iudiciū nullatenus omittere debuit. Dissimulare quidem nouit Deus, vbi vel ex ignorantia, vel infirmitate peccatur, nō autē vbi ex malitia peccatur. Descendit iterato ostensurus iudicium suum in proteruis illis ad correptionem posterorum: sic enim Deus cum aliquem punit, aliis per hoc consulit. Cæterum quod hic dicitur descendere ad videndum, non sic intelligendum est, quòd mutatione loci descenderit: nec sic intelligendum, quòd nesciat quid in terra fiat nisi descendat.

in Iere-

in Ieremia enim dicit: Nunquid Deus à lõge ego ſum, & non Deus de prope. Et in Iſaia: Cęlum mihi ſedes eſt, terra autem ſcabellum pedum meorum. Itemq́; Sedes ſuper cherubin & intueris abyſſos. Semper igitur præſens eſt Deus omniaq́; videt & ſcit etiam antequam fiant. verùm non omnes eum vident, non omnes credunt eum adeſſe & videre. Dicitur igitur deſcendere quando vel intus in corde, vel aliquo effectu foris apparet, vel nouum aliquid operatur quo ſe declarat adeſſe. Sic in confuſione linguarum probauit ſe adeſſe, cùm putaretur quàm longiſsimè abeſſe. Summa, ſcriptura de Deo loquitur quemadmodum nobis videtur, cùm vel punit vel adiuuat, videtur nobis deſcendiſſe: cùm autem diſsimulat, videtur in cælo reſidere & nihil curare mortalia. Signanter autẽ dicitur, deſcendit vt videret, quo verbo longanimitatẽ Dei oſtendit, qui etiam ſi peccata hominum ſciret, tamen adhuc ſumit tempus ad cognoſcendum, non feſtinat ad pœnam. Declaratur etiam hic Dei iuſtitia, qui nullum punit niſi conuictum de peccato, id quod ſupra in Adamo & Cain quoque vidimus. Docemur hic non temerè iudicare, niſi cauſa viſa & cognita. Docemur etiam, iudices nullum indicta cauſa damnare. Emphaſim autem habet quod ſubditur, vt videret ciuitatem & turrim quam ædificabant filii hominum, vel filii Adam, quaſi dicat, miſerũ hoc mortaliũ genus, generatio illa carnalis, homines illi è luto formati, audent cõtra ſummum illum Deum regnatorem Olympi contendere & ædificare: ecce quanta audacia, quanta arrogantia. Vel filios Adam hic eos nominat, quia in eo quod nomen æternum ſibi facere, & in cælum vſq́; ædificare volebant, ſpecialiter imitabantur pręuaricatorem Adam, qui diabolũ ſecutus dicentẽ, Comedite & eritis ſicut dii, etiam ipſe in cælum vſq; ſe extollere voluit, quemadmodum & ante eum diabolus.

Iere. 23.
Iſaia. 66

Ecce populus vnus eſt, &c.

Aliqui hoc legunt interrogatiuè, quaſi dicat, Nonne prohibendi ſunt? hæccine patiar à miſera illa creatura? permittamne vt quantum vult progrediatur in peccatis ſuis? ea enim ſua eſt inſolentia vt omnino progrediatur niſi cum coercuerimus: ſi vnus hic populus hoc attẽdat,

quid alii facient? Alii legunt quasi admiratiuè, vt sit sensus, quasi dicat, Quis tantá malitiá in homine putasset? Ecce homines vnius linguæ, vnius gẽtis populus vnus, quibus rebus ad concordiam, amicitiam, ad mutua inter sese officia vti cõueniebat, non ad fastum, non ad violentiá: iam hoc, ꝙ eos arctissimo vinculo colligare debuerat, inter sese discordes abutuntur ad iniurias, & quasi alteri ab altero metuendum sit, ædificant & se muniunt, exaggerant hæc mirum in modum impiorum malitia. Alii legunt locum hunc ironicè vt sit sensus: En quomodo in malo conspirant omnes, certoq; sibi persuaserunt nemimem eos prohibiturũ, quandoquidẽ tam vnanimiter ædificant. Age igitur ostẽdamus eis quid etiam Deus possit.

Non cessabũt donec opere cõpleuerũt, &c. Sensus est, Si hoc eis permisero, si hoc inultũ & impunitũ sino, nihil erit tá magnũ quod nõ audeát: faciét enim quęcũq; proposuerint, quę libido suggesserit, putabũt sibi licere. Sic enim in malis solemus ferè progredi nullo instigante, cũ in bonis tardissimi sim⁹. Vel simplicissimè sic intelligi potest, Non desistent, &c. quantum scilicet in ipsis est. alioqui re ipsa hoc perficere impossibile erat. Satis autem diabolũ imitatur dicentẽ, Ascendã super altitudinẽ nubiũ, &c. qui quantũ potest extollit se aduersus Deum altissimũ.

Venite igitur descendamus & confundamus, &c.

Meritò punitur malus affectus, etiam si nõ sequatur effectus, sicut hic: nõdum ædificauerant vsq; in cælum, imò impossibile erat, & tamẽ puniuntur, quia corde hoc iam deliberauerant: patet igitur quòd etiá cogitationes malæ ad iudicium Dei pertinent. Habemus autẽ hic pluralem numerum, cùm vnus tantùm loquatur: vnde & veteres trinitatis mysterium ex hoc loco colligunt, quemad- *Gen. 1.* modũ & ex eo quod supra dixit: Faciamus hominẽ ad imaginem, &c. Non igitur hoc verbo angelorum multitudinem ad auxilium cohortatur, sed ad feriẽdam superbiam se adesse testatur tota trinitas, vnus Deus. Descendamus, hoc est, manifesto signo ostendamus quid Deus possit, ꝙ impios conatus eorũ viderit, &c. Confundamus linguam: potuisset eos aliter punire, verùm ostẽdere voluit se varijs modis posse punire impios. Deinde iustissimè

sic pu-

sic puniti sunt: Primò enim quia vnitate linguę abusi erát, meritò aufertur id donum. sic enim supra eadé causa mulierem viro subiecit, quia æqualitate abusa erat: & Adamo terram maledixit, quia fructibus terræ abusus erat. sic magna cōmoditas erat quòd vna tantùm lingua vtebantur. Deinde etiam ideo iustè sic puniti sunt, vt se mutuo amplius nō intelligerent, qui Deum prę̨cipienté audire noluerunt. Præterea etiam ideo linguarum diuisione potissimū puniti sunt, vt indignis absconderétur mysteria Dei. quasi dicat, Inueni in quo dignè quod merétur, iuxta modum culpę, retribuam eius: quoniā peruersa via tédunt ad cælum, verá viam abscondamus ab eis qua veraciter itur ad cælum. Etenim cùm hæc diceret Deus, futurū erat vt sanctam per hunc sanctū famulum suum Mosen cōderet scripturam, vnius Dei continenté notitiam, qua sola verè itur ad cælum. Vna auté tantùm lingua scribenda erat: vt igitur cum datæ fuerint illæ margaritę cælestis doctrinæ, nō conculcentur à porcis huiusmodi, venite, inquit, confundamus ibi labium eorū. Hoc tam mirandæ vindictæ incōmodum quo maximè homines à semetipsis diuiduntur, solus facere potuit Deus. Gen. 3.

Et cessauerunt ædificare, &c.

Hoc potissimum intendebat dominus, vt impedirétur eorū conatus. Ob eandé causam etiā nunc plerunq; pœnas infligit, vt scilicet cessemus à malis operibus. Hic igitur videmus, quòd nō est consilium cōtra dominum: dissipat enim dominus suo consilio omnia impiorum consilia, idq; facilimè: neq; enim armis carnalib⁹ vtitur Deus, sed spiritu oris sui & verbo virtutis suæ omnia cōterit. Quicquid enim cōtra ipsum erigitur, quantumuis firmū, quantumuis altum, virtute illius summi numinis corruit. Lateres ad petram comparati infirmi sunt & imbecilles: ita nimirum omnes conatus nostri ad petram Christum, ad diuini verbi flatum, cōcidunt & euanescunt, neq; arietum & machinarum impetum ferre poterunt.

Et dispersit eos dominus illinc, &c.

Rupit pacem & cōcordiam malam, sicut enim nihil melius inueniri potest quàm concordia bona, sic nihil peius concordia mala. Dominus, inquit, dispersit eos, alias non

recesſiſſent à ſolo natali,quod omnibus dulce eſt. diſperſit autem ſuper faciem vniuerſæ terræ: non igitur miremur quòd in inſulis nuper inuentis homines inuéti ſunt. ſunt enim qui mirantur quomodo illuc peruenerint homines: Dominus,inquit, diſperſit eos ſuper faciem vniuerſæ terræ: vbi igitur terra eſt non mirum ſi homines inueniantur. Sicut autem Deus tunc ex vno loco in omnẽ terram diſperſit homines,& ex vno populo linguaq́; plures fecit populos & linguas: ſic econtra per ſpiritum ſanctum electos ſuos ex omni terra in vnam eccleſiam congregauit,& ex variis populis & linguis vnum ſibi populum conſtituit: Deus enim eſt qui & ſuperbos diſpergere,& credentes congregare poteſt & ſcit.

Et idcirco vocatum eſt nomen loci Babel, &c.

Meritò Babel,hoc eſt,confuſio nominatur, vbi nihil aliud eſt quàm ſuperbia & iniquitas. Babel igitur ſignificat ciuitatem malorum & filiorum huius ſeculi, hi enim ſunt filii confuſionis. Econtra Hieruſalem,quæ viſio pacis interpretatur,ciuitas eſt filiorum Dei, qui pacẽ verã habent. Illis dominatur Nemrod tyrannus,diabolus ſcilicet: his rex pacificus Salomon,id eſt, Chriſtus. Illius primæ ciuitatis ciues ſunt ſuperbi,nomen ſuum celebrare volentes: huius autem ciues ſunt humiles, ſolius Dei nomen celebrantes. Et quemadmodum rex & ciues Babylonis maximè infeſti fuerunt ciuitati Hieruſalem, ſic diabolus eccleſiæ infeſtus eſt,omneſque impii piis moleſti ſunt.

ALLEGORIA.

Aedificare in ſcriptura eſt docere, iuxta illud: Dedit nobis poteſtatẽ in ædificationem. Aedificare in cælum, eſt docere veram iuſtificationem,hoc autem ſolus Chriſtus facit,is nobis à Deo datus eſt doctor iuſtitiæ & ſalutis,iuxta illud: Hunc audite. Verùm non contenti ho-
Matt.17. mines,& ipſi ædificare volũt,ac ſua doctrina hominibus iuſtitiam,ſalutem, & cælum promittunt. Hoc primum conati ſunt philoſophi, deinde pſeudoprophetæ apud Iudæos,poſtremò hæretici apud Chriſtianos. Aedificant autem non in monte aut ſuper petram quę Chriſtus eſt,ſed in loco plano Sennaar,in loco fertili,ventri ſcilicet &

cet & auaritiæ suæ consulentes. Aedificant magna pōpa, eloquentia scilicet verborum homines decipientes. Verum non lapidibus è mōte, sed lateribus è luto ædificant: hoc est, non vtuntur dictis solidis scripturæ, sed tantum adinuentionibus rationis humanæ. Econtra huiusmodi ædificatione primò sequitur confusio & illaqueatio con scientiarum. Deinde iusto Dei iudicio puniuntur huiusmodi doctores vt à seinuicē dissentiant, & se mutuo amplius non intelligant, sicq; sectas & hęreses introducunt.

Hæ sunt generationes Sem, &c.

Hic resumit quæ superius cœperat, vt tandē ad Abraham, imo ad Christum perueniat. Diligenter autem ponit numerum annorum, vt vel hinc certitudinem temporum colligamus. Deinde à Noe vsque ad Abraham decē generationes ponit, sicut & supra ab Adam ad Noe: erit itaq; Abram à Noe decimus, quemadmodum & Noe decimus fuit ab Adam. Atque hæc mysterio nequaquam carent: Noe typum gerit Christi, vltimus in veteri gene ratione, & primus in noua: ita Christus est Alpha & Ome ga, principium & finis, Christus enim hodie & heri ipse & in secula: vnicum inquam caput est, in quo saluantur omnes, tam præcedentes quàm subsequentes. Breuiter autem horum patriarcharum mentionem facit, quasi festinans ad historiam Abrahæ. Nihil etiam hic audis de potestate mundana aut tyrannide, sicut in ciuibus Babel vidimus: hi enim mundani erant. Isti autem de quibus nunc agitur, contenti erant potestate parentum, inter suos nullam aliam quærebant potestatem. Si numerum annorum computes, inuenies annos ducentos nonagintaquinque vsque ad natiuitatem Abrahæ. Supra autem dictum est, quòd Noe vixit post diluuium trecentos quinquaginta annos: patet igitur quòd post natū Abraham adhuc quinquagintaquinque annis vixit. Diuina autem dispensatione factum est, vt tam diu viueret Noe, de nec surgeret alius qui homines verbo & exemplo erudiret ad pietatem. Inter alios hic nominatos etiam Heber ponitur, à quo cognominatam putant linguam Hebręam quæ prius lingua humana dicebatur: quamuis aliqui putant Hebræos ab Abraham dictos esse. Nec additur in

Apoc. 1.

Gen. 9.

his ætatum aſsignationibus. Et mortuus eſt, ſicut ab Adã ad Noe, tunc enim nõ omnes mortui ſcribuntur, Enoch enim raptus eſt, hic autem nullus raptus legitur, ſed omnes mortui non ignorantur, vt ſuperfluum fuerit mortuos teſtari.

Vixit autem Thare, &c.

Hic cognationem ipſius Abrahæ breuiter tangit propter ſequẽtes hiſtorias. Inter tres autem fratres Abram præponitur, non quòd primogenitus eſſet, ſed quia aliis excellentior. Aram mortuus dicitur in Vr Chaldęorũ, quod quidam Iudæorum intelligunt, quòd in igne perierit propterea, quòd ignem adorare noluerit. Melius tamen videtur Vr ciuitas fuiſſe in Chaldæa. vbi prius habitauerunt. Signanter etiam dicit Sarai vxorẽ Abrę ſterilẽ fuiſſe: Sanctorum enim patrum matres ferè omnes ſteriles fuiſſe ſcribuntur, vt ſignificetur naturã nihil ſanctum producere poſſe, à ſolo autem Deo quæ ſancta ſunt proficiſci, ne de naturæ viribus gloriemur. Sicut mater Samuelis, Samſonis, Ioannis Baptiſtæ ſteriles fuerunt.

Thare eduxit ſuos ex Vr Chaldæorum propter tyrannidem Nemrod & idololatriam, vt Iudæi volũt: nõ hic dicitur quòd Nachor cũ ipſis egreſſus ſit, & tamen infra habetur ꝙ in Aram habitauerit: fortaſſe poſtea ſecutus patrem fuit. Cæterùm quamuis Thare à Chaldæa exierit, ad terram tamen promiſsionis nõ peruenit. Sic multi benè quidẽ incipiunt, ſed in via ſubſiſtunt, aut etiam retro-
Mat. 24. cedunt, Qui perſeuerat vſq; in finem, hic ſaluus erit, &c.

Caput duodecimum.

Dixit autem dominus ad Abram: Egredere de terra tua, & de cognatione tua, & de domo patris tui, & veni in terram quã monſtrauero tibi: Faciamq́; te in gẽtem magnam, & benedicã tibi, & magnificabo nomen tuũ, erisq́; benedictus. Benedicã benedicentibus tibi, & maledicã maledicentibus tibi, atque in te benedicentur vniuerſæ cognationes terræ. Egreſſus eſt itaque Abram ſicut præceperat ei dominus, & iuit cum eo Lot: ſeptuagintaquinque annorum erat Abram cum egrederetur de Haran, Tulitq́; Sarái vxorem ſuam, & Lot filium fratris ſui,

tris sui, vniuersamque substantiam quam possederant, et animas quas fecerant in Haran: & egressi sunt vt irent in terram Chanaan. Cumq; venissent in eam, pertransiuit Abram terram vsq; ad locum Sichem, & vsque ad conuallem illustrem: Chananaus autem tunc erat in terra. Apparuit autem dominus Abram & dixit ei: Semini tuo dabo terram hanc. Qui ædificauit ibi altare domino qui apparuerat ei. Et inde transgrediens ad montem qui erat contra orientem Bethel, tetendit ibi tabernaculum suum, ab occidente habens Bethel, & ab oriente Hai: ædificauit quoque ibi altare domino, & inuocauit nomen eius. Perrexitq; Abram vadens, & vltra progrediens ad meridiem. Facta est autem fames in terra: descēditq; Abram in Aegyptū, vt peregrinaretur ibi: prævaluerat enim fames in terra. Cumq; prope esset vt ingrederetur Aegyptum, dixit Sarái vxori suæ: Noui quòd pulchra sis mulier, & quòd cum viderint te Aegyptii, dicturi sunt, Vxor illius est: & interficient me, & te reseruabunt. Dic ergo, obsecro te, quod soror mea sis: vt bene sit mihi propter te, & viuat anima mea ob gratiam tui. Cùm itaque ingressus esset Abram Aegyptum, viderūt Aegyptii mulierē quòd esset pulchra nimis. Et nunciauerūt principes Pharaoni, & laudauerunt eam apud illum: & sublata est mulier in domum Pharaonis. Abram verò benè vsi sunt propter illam. Fueruntq; ei oues & boues & asini & serui, & famulæ & asinæ & cameli. Flagellauit autem dominus Pharaonem plagis maximis, & domū eius propter Sarái vxorē Abrā. Vocauitq; Pharao Abram, & dixit ei: Quidnam est hoc quod fecisti mihi? quare non indicasti mihi quod vxor tua esset? Quā ob causam dixisti esse sororē tuam, vt tollerem eam mihi vxorem? Nunc igitur ecce coniunx tua, accipe eam & vade. Præcepitq; Pharao super Abram viris: & deduxerūt eum & vxorē illius & omnia quæ habebat.

HIc Moses incipit magnificam & iucundissimam historiam incōparabilis & admirandi illius Abrā, cuius fides & obedientia nō solū in libris veteris testamenti, sed etiam in Euāgelicis literis cantata est: imò illius fides & obedientia omnibus Christianis imitanda proponitur. Quare summa diligentia hæc historia obseruanda est, idq; duplici nomine: Primò quia plena est exēplis fidei & morū, ꝓuidētiæq; diuinæ circa pios: Secūdò qa in eo renouatur promissio de Christo, idq; nō semel

 tantùm,

tantum & clarius: nam ab exordio vſque ad hunc vnam tantum promiſsioně habuerant de Chriſto, eam ſcilicet
Gen. 3. qua dictum eſt diabolo: Inimicitias ponam inter te & mulierem, ſemen tuum & ſemen eius, &c.

Et dixit dominus ad Abram, &c.

Hactenus nō ſemel audiuimus dominū locutum fuiſſe ad Adam, Noe, imò etiā ad Cain, an autē per externā vocem, vel tantū internè locutus ſit textus nō explicat, nec opus eſt de hoc plura inquirere. Scimus Deū vtroq; modo locutum fuiſſe, & adhuc poſſe: ſcimus item ꝙ ipſe nō opus habet externa voce quemadmodum nos: ipſe enim etiam cordi loqui poteſt, & vel vna tantum inſpiratione efficacius mouere hominem quàm alius, quantumuis clamoſa voce exterius mouere poſſet. Nec dubium eſt quin Abrahamo ſic internè locutus ſit, alioqui non tam ſtatim obediuiſſet: an autē cum hoc etiam externam vocem audierit Abram incertum eſt. Hoc primò videmus, quòd Deus incipit loqui: niſi enim Deus incipiat ſemper in peccatis manemus: è cælo igitur incipit ſalus noſtra. Quòd autē verbo incipit, indiciū eſt ꝙ ſalus noſtra à fide incipit: verbū enim Dei aliter accipi nō poteſt q̃ fide.

Obſerua ꝙ ante hanc Dei vocem nulla ipſius Abrahæ merita ſcribuntur, vt ſciamus gratiæ & miſericordiæ di-
Ephe. 2. uinæ eſſe ſalutē noſtram, iuxta illud: Gratia vocati eſtis, non ex operibus, &c. Quòd ſolum Abram vocat, nō patrem eius, non fratrem, inſcrutabilia ſunt iudicia Dei, de quibus Moſes: Cui vult miſeretur, & quem vult indurat.
Mat. 24. Et Chriſtus: Duo erunt in vno lecto, vnus aſſumetur, alius relinquetur. Quamuis etiam alii non caruerint diuinis vocationibus, Abram tamen ſpiritualem accipit vocationem, quia tanquam lumen ponēdus erat ſuper candelabrum vt omnibus luceret. Poſtremò etiam hunc tantum virum longo tempore quaſi incognitū reliquit, & in ſeptuageſimoquinto primum anno ipſi loqui incipit: ſic Deus etiam electos aliquouſque in peccatis vel erroribus iacere permittit, vt poſtmodum liberati gratiores ſint: id quod videmus in Paulo, Magdalena, Au-
Pſal. 67. guſtino, & aliis. Verè enim dictum eſt: Mirabilis Deus in ſanctis ſuis.

Egredere

Egredere de terra tua, &c.

Prius egressus fuerat de Chaldæa patria sua, vt supra dictū est, sed nunc iubetur longius recedere. Deinde hic etiam iubetur è cognatione & domo patris sui recedere. Atqui hæc sunt chara quæ quosuis homines tenēt: parentes, patria, liberi, amici: & hæc tamen relinquere iubetur Abram. Verè magnum præceptum, quod magnū & fortem requirebat animum. Summa, eis cōditionibus vocatur Abram, vt in terra nihil ex animo posſideat; quęcunque chara habebat in mūdo, iubetur relinquere, soli Deo impensè credendo inhærere, omnibus renunciare paratum, vt dignus fieret Dei promiſsionibus. Eisdem conditionibus etiam nos vocamur. Qui vult venire, inquit, post me, abneget semetipsum, &c. Et iterum: Qui amat patrem aut matrem super me, non est me dignus. Et iterum: Qui non renunciat omnibus quæ posſidet, non potest meus esse discipulus. & in Psal. Obliuiscere populū tuū, & domum patris tui: & concupiscet rex decorem tuum. *Matt.16.* *Matt.10.* *Luc.14.* *Psal. 44*

Hæc igitur est prima Dei vox ad hominem, vt nedum ex mundo, sed ex seipso quoque egrediatur nō corpore, sed affectu & voluntate, vt scilicet nihil in hoc mundo habeat, in quo confidat.

Et veni in terram quam monstrauero tibi, &c.

Ego, inquit, monstrabo tibi: Deus ductor suorū est & director: viæ enim hominis non sunt eius. Non nominat terram: vt totus à Deo pendeat. Item, vt magis probetur eius fides & obedientia in eo quod egressus est ad verbū & præceptum Dei, cùm tamen nesciret quo iret. Quocunque iubet verbum Dei cedere, sponte & summa alacritate cedamus, vbiq; enim Deus est, qui suos alit vbiq;. Statim igitur in exordio iubetur fidelis homo præeligere non apparentia apparentibus: sicut & alias vbiq; scriptura nos ducit à viſibilibus ad inuiſibilia. Hinc Paulus: Si surrexistis, inquit, cum Christo, quæ sursum sunt quęrite, &c. & Ioannes: Nolite diligere mundum, neque ea quæ in mundo sunt, &c. *Heb. 11.* *Col. 3.* *1. Ioan. 2*

Faciamque te in gentem magnam, &c.

Hæc est alia prædicatio. hactenus legem audiuit Abrā: hic audit Euangeliū. hactenus præcepit ei Deus, hic promittit

mittit. Magna quidem ab ipso exegit, sed longè maiora hic ei promittit. Eodem modo etiam nobiscū agit Deus. Quem igitur prima prædicatio grauat, conuertat se ad secundam, & ni fallor, leuiùs feret legem. Quis enim non libenter obediat Deo talia tantaque promittenti? Primò itaque Abræ promittit Deus veterano & sterili prolem maximam, non solum filios carnis, sed multò plures fidei & deuotionis virtutumq̃ue hæredes, quos vir sanctus ac Deo deuotissimus lōgè plures habebat, sicut & habere debebat, quàm filios carnis. Obserua, quòd non dixit, in gentē multā, sed magnā. Etenim gens illa quę hic promittitur cōparatione aliarū gentiū, nō valde magna futura

Deut. 7. erat. Vnde Moses: Non, inquit, quia cunctas gentes numero vincebatis, iunctus est vobis Dominus, &c. Bene ergo non dixit in gentem multam, sed magnā. Nam verè magna gens, cuius Dominus Deus eius, quā magnificauit & honorauit magnus Dominus, de qua magnos patriarchas & prophetas elegit Dominus, per quos veram Dei magnitudinem cogniturus erat mundus.

Et benedicam te, &c.] Alia promißio. Notandus autem hic ordo verborum, quòd benedictionem secundo loco posuit: ne putemus eam benedictionem tantùm ad carnis propagationem pertinere, quemadmodum supra, vbi ipsum Adam & Noe benedixit. Benedicere igitur hoc loco est donis naturalibus & gratuitis cumulare, fortunatū & fœlicē facere. Vides quāta bona suis ꝓmittat Deus? Quid felicius esse potest eo hoīe, quē sic bādicit Deus?

Et magnificabo nomen tuum.

Hoc est, toto orbe fides, probitas, religio, Dei gratia, animi fortitudo & obedientia tua diuulgabuntur, vt sis futurus exēplar sanctorum per oīa secula. Deinde etiā sic magnificatum est nomen Abrahæ: quia cū noīe Dei magno & tremendo profertur: dum per orbem terrarū prędicatur nominis Dei talis definitio: Deus Abrahā, Deus

Exod. 3. Isaac, Deus Iacob. vera magnificentia nominis Abrahæ est hæc. Vnde Paulus: Ideo, inquit, Deus non confunditur eorum vocari Deus.

Heb. 11.

Eritque benedictus, &c.] Nemo putet tautologiam esse, & idē bis dici, cū dicitur: Benedicā te, & eris benedictus. Est

Eſt enim ſenſus: Tãta te benedictiõe dignabor, vt in oĩa ſecula duratura ſit. Eris enim benedict⁹, ita vt oẽs ſummi honoris loco habituri ſint, ſi eis cũ Abraham familiaritas contingat. In Hebræo habetur: Et eris benedictio. Et eſt Hebraiſmus. Apud Hebręos enim frequentiſsimũ eſt, vt denominationes pro rebus denominatis ponãtur. Itaq; nõ dicitur in ea lingua id eſſe falſum, ſed falſitatẽ, nec id eſſe vanũ, ſed vanitatẽ, &c. Qua locutione & nos quoq; vtimur, vt cũ ſceleratũ hominẽ appellamus ſcelus, & guloſum appellamus ventrẽ, &c. Vel ideo dicitur: Et eris benedictio: quia benedictio futura erat in hũc modũ: Deus Abrahã benedicat te, &c. Poteſt etiam ad Chriſtũ referri: Et eris benedictio in ſemine, ſcilicet tuo Chriſto, qui filius tuus iuxta carnis aſſumptionẽ verã benedictionẽ oĩbus adferet. Vel ita: Eris benedictio, vt ſi quis proximo bene precari velit, optet ei fieri à Deo quod factũ eſt tibi.

Benedicam benedicentibus te, &c.

Senſus eſt: Propter te benedicã & benefaciã etiã poſteris tuis & amicis, fautoribus & laudatoribus tuis: id quod magnæ amicitiæ ſignũ eſt. Hic igitur videmus, quòd propter electos ſuos Deus etiã aliis benefacit, id quod infra re ipſa videbimus. Pollicetur inſuper Deus, ſe vindicem ſanctorũ ſuorum futurũ. Maldicam, inquit, &c. Id quod ſummè cõſolatur pios: ſummè autẽ terrere debet impios. Hinc in alio loco: Qui tãgit vos, tãgit pupillã oculi mei. *Zach. 2.*

Et in te benedicentur omnes gentes, &c.

Hoc eſt, gloriabũtur omniũ terrarũ, gentiũ, ſeculorũ familiæ oẽs fideliũ in tuo ſemine Chriſto, iactabunt tuos ſe eſſe filios per fidẽ: glorioſiſsimus eris tu in opiniõe omniũ familiarũ terræ. Maximè tamẽ hoc refertur ad Chriſtũ, in quo oẽs gẽtes benedictionẽ cõſequuntur. Signãter aũt dicit: Oẽs gẽtes, ne putemus hęc ad ſolos Iudęos pertinere. Vnde & Chriſtus: Multi veniẽt ab oriẽte, &c. & recũbent cũ Abrahã, &c. Hęc igitur eſt Euãgelij læta annũciatio, quę in oẽs gẽtes diffuſa eſt. Duplicem igitur promiſsionẽ hic accipit Abrahã, temporalẽ & ſpiritualẽ. Sic Deus ſuos & corpore & aĩa benedicit, & hic & in futuro. *Matt. 8.*

Egreſſus eſt itaque Abraham, &c.

Vix habemus aliud tam memorabile exemplum, vt exemplum

emplum hoc Abrahæ:cuius omnes filij esse cupimus.Nihil quidẽ magni præ se ferre videtur,quòd egressus est. At Paulus illud magni æstimare nouit. Fide,inquit,qui
Heb.11. vocatur Abraham obediuit in locum exire, quem accepturus erat in hæreditatem,& exiit,nesciens quo iret.

Primo enim hic habemus, quæ sit conditio & natura
Ibidem. fidei: nempe vt Paulus ibidem ait:Fides est subſtātia sperandarum rerum,argumentum non apparentium. Sic Abraham fide iam tenebat promissam terram, quam tamen nondum viderat. Atque hoc est verè ambulare in fide, expectando ire,& eundo expectare,ac res nondum visas, sed promissas tam certa fide tenere, quàm si viderentur.
2.Cor.5. Vnde Paulus: Per fidem ambulamus,non per speciem.

Videmus secundo hic insigne exemplum obedientiæ. Non cunctatus mox pergit,nō respõsat,nihil causatur, non nectit moras,nihil excusat,cum potuisset plura excusare.Primo enim præceptum in se graue erat,omnia chara semel & simul relinquere.Secundo,poterat causare,se nectutem patris quem relinquebat.Tertio,lōgitudinem & incertitudinem viæ.Quarto etiam propriam ætatẽ causare poterat:Iam enim septuagesimum annum excesserat. Denique & dicere poterat: Cur non hic benefacis mihi, quid opus longius ire?&c.Verum nihil horum facit: sed præcepto Domini promptissime paret. Constat igitur, Deũ plus apud eum valuisse, quàm quicquid erat in mundo charum:pluris facit patrem cęlestem,quàm terrenum.

Ad hæc,non dubium est,quin multa probra, conuitia, aduersitates in hac sua peregrinatione ab impiis perpessus sit,nihil tamen ob hoc impeditus fuit.cum enim esset veritatis amantissimus,videret tamen vbiq; populos superstitioni deditos,non poterat dissimulare,quin gloriā vnius Dei veri vendicaret: eamq; ob causam non mirũ, quin multa passus sit.Vnde in Deuteronomio Syrus persequebatur patrem noſtrũ,sed cogebatur malitia populi hinc inde migrare.Vide nunc,quantum nos ab huiusmodi obedientia absimus.

Fuitq; Abraam septuaginta quinque annorum,&c.

Numerum annorum ponit,vt videamus quàm diu tentatus fuerit,quàm diu expectauerit,donec acciperet promissum

missum semen. Adhuc enim expectauit viginti quinque annos, antequam nasceretur Isaac, qui in centesimo anno vitæ ipsius primum natus est. Discamus igitur & nos patienter expectare Dei promissa: nec statim desperemus, si non continuo dentur. Si moram, inquit, fecerit: expecta eum, quia veniet. *Abac.2.*

Tulit itaque Sarai vxorem suam & Loth.

Exemplum bene institutæ familiæ: quia enim sequūtur eum, signum est, quod velut bonus paterfamilias eos ad veri Dei cultum & fidem instituerat. Commendatur hic Sarai & Loth, quòd iustum secuti sunt, magis eligentes cum iusto peregrinari, quàm cum peccatoribus viuere in ocio. Signanter autem commendatur Sarai, quæ tanta fide maritum secuta est, etsi sexus infirmioris esset. Tulit secum substantiam, non onerabāt eum facultates, nec impediebant: quia non adiecerat animū. Si amicos reliquit, facilius reliquisset & facultates. Tamen Deus etiam has ei dedit, ne aliis esset oneri, & ne quis de eo posset conqueri. Præterea, vt virtus eius conspicua fieret per hospitalitatem, vt infra patebit. Quod autem dicitur: Et animas quas fecerāt. hic animas vel pro seruis & ancillis, vel pro iumentis & pecoribus accipit, vel etiam pro hominibus quos ad fidem conuerterat in Aram.

Cumq; venisset in terram Canaan, pertransiuit, &c.

Cum alij segnes fieri incipiunt, nempe in senectute, ipse alacriter ad iussum Domini peregrinatur. Deinde in hac peregrinatione, omnibus per quos transibat, & miraculo & exemplo fuit. Nec dubium quin vbique docuerit. Et hæc est vna causa, cur Deus eum hinc inde peregrinari iussit, & voluit vt omnes ex ipso discerēt, imò in ipso viderent, quali fide & obedientia Deus colendus esset. Cæterum quod hic dicitur Sichem, in Euangelio dicitur Sichar ciuitas Samariç. Conuallis autem illustris ea fuit regio vbi quinque illæ ciuitates fuerūt, Sodoma, Gomorra, & c. Alij legūt, vsque ad quercum illustrem vel altam. Alij, vsque ad quercetum More. *Ioan.4.*

Cananæus autem tunc habitabāt in terra, &c.

Canaan filium fuisse impudentis illius Cham supra audiuimus, ex quo Chananæi dictæ sunt gentes illç, quorū

terram

terram,expulsis illis,Deus filijs Israel promisit & dedit. Hoc autem interserit hic Moses, ostédere volens, quod ea gens præter ius eam regionem occupauerat,quæ tum filiis Sem debebatur. Deinde per hoc latenter insinuare vult Abram nō sine persecutione fuisse in ea terra quam pessima gens obtinebat.Prçterea per hoc ostendit,quòd Abram è mala gente ad malam gentem peruenit.Sic enim pij vbique inueniunt qui eos infestant. Quocúq; fugies, inuenies malos homines. Postremo per hoc etiam indicat Dei misericordiam,quòd ad eos potissimū mittit patriarcham,qui iam in patre suo iudicati erant & maledicti,fortè exemplo & verbis ipsius Abrahæ edocti resipiscerent,sicq; futurum iudicium euaderent.Sic Deus etiā impios non cessat admonere.Summa,hoc vno verbo latenter subindicare voluit, quid iustus hic perpessus sit. Cananæus,inquit,habitabat in terra,quasi dicat: Iam ex teipso conijcere potes, quid iusto inter malos patiendū fuerit,maximè cum iustus peccata eorum argueret.

Dupliciter igitur iam ferebat crucem sanctus hic.Primo in generatione.Secundò in persecutione,quā ab impiis patiebatur:nec tamen cessat aut desperat.

Apparuit autem ei Dominus,&c.

Hic tandem se ostendit Dominus post multas tentationes,quas iustus expertus fuerat:hoc enim exigebat iusti fides & obedientia:imò etiam necessitas solatij in aduersis ne desperaret.Sic enim Deus semper læta tristibus
1.Cor.10 immiscet:nō enim patitur suos tentari supra id quod possunt.Redit autem Deus ad Abrahamum cū fœnore:non enim tantum ei loquitur,vt prius consueuerat,sed etiam ei apparet,id quod nec Adam,nec Abel,nec Noe,nec alicui ex præcedentibus fecerat:hic enim primò legimus, Deum apparuisse aut visum esse. Quo aût modo apparuerit ei Deus,ignoratur, hoc certū est, quod nō vidit substantiam Dei:stat enim sentētia: Non videbit me homo,
Exod.33. & viuet.iuxta hoc tamen multas habet Deus vias,quibus
Osee.12. homini innotescat.hinc in Osea dicit:Multiplicaui eis visiones,& in manu prophetarū assimilatus sum. Sic Isaias
Isa.5. eū vidit sedenté super solium excelsum & eleuatum,&c.
Dan.7. Daniel vidit eū vt antiquū dierū,&c. Zacharias alio modo,&c.

do,&c.imò aliquibus tantũ internè apparet,aliquibus in somno,aliquibus externa specie.In essentia autem Deum nemo vidit vnquã,sed vnigenitus ipse enarrauit nobis. Ioan.1.

Semini tuo dabo terram hanc,&c.

Nedũ apparitione & præsentia sua,sed etiam verbis & promissis eũ cõfortat:his enim duobus modis Deus suos consolatur.Primò enim seipsum eis ostẽdit:Secundo magna prẽmia eis promittit.nullum autem malũ tam magnũ est, quod his duobus non leue reddatur,nec aliunde venit, quòd pij homines tã patienter quoq; aduersa ferũt. Vno aũt hoc verbo duo quædam ingentia bona ei promisit:Primo posteritatẽ,quàm maximè exoptabat.Secundò,terram etiam in qua tũc erat,& in proprietatem,& in cælestis patriæ significationẽ. In vtroq; autẽ mirabiliter fides iusti Abrahę apparuit,quia & cũ Cananęus tũc esset in terra,terrã illam sibi dandam,& cũ vxor sua sterilis esset,semini suo hæreditandã, Deo promittente credidit. In vtroq; cõfortatus est fide(vt ait Apostolus)dans gloriam Deo,plenissimè sciẽs,quia quæcũq; promisit Deus, potens est reddere.Quin & ipsa verba Emphasim hãbẽt. Primo enim,non dicit do,sed dabo. Promissiones enim suas Deus nõ statim implet,vt fides probetur.Deinde nõ tibi,sed semini,inquit tuo.Iusto enim illi quantumcunq; acceptus ipsi esset,ne passum quidẽ pedis in ea terra dedit:adeo vt ad sepulturã suam & suorũ agrũ emere cogeretur.Verę enim perfectionis exemplũ in hoc viro omnibus posteris ostẽdere voluit.Postremò,hãc,inquit,terrã: quasi dicat:quantũcunq; nũc Chananæi terrã hanc vi occupauerint,teq; vt peregrinũ despiciãt:fixa tamẽ est sententia,vt impij eijciantur,tui aũt posteri accipiãt hãc terrã.Sic enim Deus nouit humiles exaltare, & superbos humiliare.Obseruandũ quod dicit: Ego dabo terrã,&c.ne quis trãslationẽ regnorũ astris attribuat: Dominus enim est qui transfert regna,id quod clarè videm⁹ in Daniele. Rom.4. Act.7. Luc.1. Dan.2. & 7.

Aedificauit ibi altare Domino,qui apparuit ei,&c.

In signũ gratitudinis.Ita vbiq; Abrahã patriarchã studio sũ fuisse legim⁹ gratitudinis. Nõ tñ aũt in corde gratias agit,vel etiã ore,sed externo insuper cultu & ope,nã altare cõstruit.Nec dubiũ,quĩ suos illic cõuocauerit:imò & extra-

extraneos:verum Deum prædicauerit,promissionesque sibi factas confessus sit publicè,Deumq́; insuper inuocauerit. Omnia enim hæc altaris constructio in se complectitur,confessionem,laudem,prædicationem, oblationẽ & inuocationem. Ita nos quoque grati esse debemus, nõ solum in corde,sed etiam opere & externo cultu,per

Rom.10. cæremonias.Corde enim creditur ad iustitiam,ore autẽ confessio fit ad salutẽ:necesse enim est,vt externis symbolis fidem nostrã cõfiteamur. Errant igitur,qui omnem externum cultum damnant,falsò ad hoc allegantes dictũ Christi:Veri adoratores adorant patrem in spiritu & ve

Ioan. 4. ritate:cum nihil aliud illo velit Christus,quàm quòd pater velit adorari ex animo, sine hypocrisi & fictione, id quod etiam fieri potest in externo cultu.

Inde transgrediens ad montem Bethel,&c.

Pergit describere peregrinationes iusti huius:idq́; nõ abs re. Videntur quidem hæc humilia & leuicula esse, eo quod & alij peregrinentur,partim ex incõstantia,partim ex necessitate. hic autem nihil horum fuit, ideo rectè attendenti, vere magna hic nobis proponuntur. Hinc est, quòd scriptura tam magnifice de huiusmodi peregrinationibus loquitur. Sic Dauid: Aduena,inquit, sum apud

Heb.11. te & peregrinus,sicut omnes patres mei,&c,& Paulus: Iuxta fidem,inquit,omnes isti defuncti sunt, non acceptis promissionibus,sed à longè eas salutantes,& confitẽtes, quòd peregrini essent super terram,&c. Sic & Stephanus

Act.7. ait:Deus transtulit patrem nostrum in terrã istam,in qua tamen non dedit ei passum pedis,sed repromisit,&c.

Ideo autem Deus iustum hunc sic peregrinari voluit, Primo vt in pluribus locis verum Deũ prædicaret. Deinde,vt eius fides & obedientia omnibus posteris exemplo esset. Tertio, vt hinc discamus, qualiter super terram viuere debeamus,nempe vt peregrini supernam & meliorẽ patriam quærentes & expectantes. Non igitur leuitatis fuit,quòd in vno loco non mansit,sed partim diuinæ voluntatis,qui eum aliis mittebat,partim humanæ malitiæ, quia eum quietum non permittebant,sed expellebant.

Tetendit tabernaculum suum,&c.

Ex hoc indicat,sanctum virum verè peregrinum fuisse super

super terram non ædificauit ciuitatem vt filii Cain, nec saltem domum ædificauit, sed tantùm tetendit tabernaculum. Nusquam sic fixit pedem, quasi semper illic manere vellet, sed semper paratus erat alio transire, si id vel Dei volũtas, vel hominum malitia exigeret. Non pluris faciebat vnum locum quàm alium. Si requiem in hac vita quæsiuisset, poterat in suam patriam reuerti, vt Paulus ait. Poterat saltem inter Chananæos tacere, non reprehendere illos. Verùm aliam ciuitatem quærebat. Damnatur hic auaritia nostra, qui totis viribus agrũ agro, domum domui copulamus, quasi timendum sit, ne non sufficiat nobis terra. Nec credimus Deum nos posse nutrire, nisi in pluribus locis fixas & certas habeamus & mansiones & substantias. Sic nos imitamur patrem nostrum Abraham. Quid autẽ Christus dicit? Si filii Abrahæ estis, opera Abrahæ facite. Videmus item in hoc verbo, quàm frugalis fuerit sanctus hic, quamq; omnem luxum fugerit, qui tam expeditus, tamq; facilè cum vxore & familia hinc inde migraret. Vbi & nostra damnatur curiositas, superfluitas & pompa, qui in proximam villam ituri tãta opus habemus præparatione, tãtam circumferimus supellectilem, tantam pompam ostendimus. Quod si etiam eos attẽdamus, qui sanctũ hunc virũ comitati sunt, nõ minora exempla fidei habemus. Prima in Sarai, quæ cùm mulier esset nõ minus tenera quàm aliæ sunt, cõstanti tamen animo virum secuta. Aliæ mulieres aut omnino secutæ non fuissent, teneritudinẽ excusantes, aut nõ diu secutę fuissent, labore itineris fatigatæ, aut saltem equis & quadrigis se vehi procurassent, &c. hic nihil tale auditur. Quis non miretur fortitudinem animi in hac fœmina? Vnde autem hæc tãta inter hos cõiuges cõcordia? Ex eo potissimum, quòd vnam habebãt fidem: deinde quod æqualis conditionis erant. Nulla enim matrimonia fœliciora sunt, q̃ inter æquales.

Gen. 4.

Heb. 11.

Isa. 5.

Ioan. 8.

Deinde etiam insigne exẽplum habemus in adolescente Loth, quòd ea ętate in qua alii liberius viuunt, ipse sancto viro adhæsit, idq; in durissima & lõga peregrinatione: nec vnquã ab eo auelli potuit. Quàm rara sunt huiusmodi exempla in iuuenibus nostris? &c. Imò etiam in seruis & familia ipsius Abrahæ exempla pietatis videmus,

Gen. 14. qui cùm plures essent, vt infra dicetur, nullus tamē eorū aufugisse legitur: sed omnes secuti sunt sanctum. Nec mirum, cùm tale exemplum semper ob oculos haberēt. Nec dubium, quin etiam nunc filii & familia facilius ad pietatem reducerentur, si patres familias præcederēt, ac exempla pietatis monstrarent. Vides quàm non sine causa tam diligenter descripta sit peregrinatio Abrahæ.

Aedificauit quoque ibi altare Domino, &c.

Non semel tantùm ædificauit altare, nec in vno loco tantùm: sciebat enim Deo nihil acceptius esse, quàm gratitudinē. Omni igitur tēpore, pro omnibus beneficiis, in omni deniq; loco gratitudinē ostēdam⁹ erga Deū. Vnde
1. Tim. 2. Paulus: Volo viros in omni loco puras manus leuare, &c. Quod aūt additur: Inuocauit nomē eius: nō sic accipiēdū est, quasi corde solū cogitarit de Deo, aut orauerit. Imò magnificè hoc egit: alioqui scriptura non ita illud commemorasset. Obiter hic respondendū est his qui nimis temerè, & omninò indiscretè affirmare audent, Deo nihil placere, nisi quòd expressis verbis præceperit, ac per hoc damnare volūt omnes ceremonias, opera, status, quorum in scripturis non fit expressa mentio: semperq; in ore habēt huiusmodi argumēta, Vbi Deus sic præcepit ieiunare, orare, sic viuere, &c. ac planè sibi persuadēt, hęc argumēta fortissima esse, ac planè insolubilia. Atqui vel pueri sciūt locum ab autoritate nō tenere negatiuè. Deinde scriptura apertissimè affirmat, Deo multa humana opera placuisse, quæ tamen apertè non præcepit. Vbi enim Abeli præ-
Gen. 4. ceptū fuit vt offerret? & tamen scriptura planè affirmat, quòd Deo placuerint eius munera. Sic Noe nullum præceptum accepisse legitur ædificandi altaris, & tamē de eò
Gen. 8. scriptū est: Odoratus est Dñs odorē suauitatis, &c. Sic etiam hic Abram nō iussus altare ædificat: nec tamē ob hoc reprehenditur. Idē in multis aliis videmus. Sed dicis: Patres hi nō sua sponte hæc fecerūt, sed diuinitus inspirati. Cōcedimus & hoc, sed addimus: quòd is Deus adhuc viuit, & etiā nūc potest internè electis suis inspirare quę externè nō præcipit: id quod procul dubio factū est in cęremoniis Ecclesię. Temerè igitur asseritur, quòd Deo nihil placeat, nisi quod expressè præcipit. Quòd si hoc in eos

tantùm

ntũm torquerẽt,qui neglectis his quæ Deus pręcepit, er alia Deo placere cõtenderent,tolerari posset, verùm ic generaliter proferri temerariũ est. Nos igitur sequanur Ecclesiasten,qui dicit:Quæcunq; manus tua pôtest, nstãter operare.Quicquid ad deuotionẽ & pietatẽ exci tat(dummodo in se malum nõ sit,& cõtra expressam scri pturam)agere potes:nec dubium quin Deo placeat.Qui ęnim non est aduersum vos,pro vobis est. *Eccle. 9.* *Marc. 9.*

Perrexitq; Abram vadens, &c. Quia nesciebat adhuc locũ in quo Dñs vellet eũ habitare,quod poterat faciebat: euentũ verò & finẽ peregrinationis suæ Dño cõmittebat. Ad meridiẽ aũt proficiscitur, versus solitudinem scilicet, quę inter Aegyptũ & terrã Chanaan interiacet: fortè enim quia videbat incolis terræ nõ placere suũ aduentũ, eximiã suã mãsuetudinẽ declarãs,& quomodo trãquillitatẽ magnifaceret,& ne cum homine aliquid haberet commercii,solitudinẽ petit. *Facta est autẽ fames in terra, &c.*

Poterat Abrã post tã familiarẽ Dñi apparitionẽ & promissionis iterationẽ,meliora de cætero sperare:sed ecce maiores & plures tẽtatiões nũc sequũtur, vt verissimè dictũ sit:Fili accedens ad seruitutẽ Dei, pręparа animã tuam ad tentationẽ.Itẽq;:Militia est vita hoĩs super terram. Videm⁹ autẽ etiam hic,quanta fuerit fides iusti hui⁹: promiserat ei Deus:Bñdicam te,& eris benedictus:hic autẽ contrariũ experitur,nẽpe famẽ.Poterat dicere: Hæccine est benedictio quam promisisti,&c. Verùm nihil horũ ne in mentẽ ei venit:sed etiã in media fame nõ dubitat se bñdicẽdũ.Sic nobis faciẽdũ in tẽtationib⁹.Cęterũ ex hoc loco etiã id discam⁹,ne temerè bonos viros iudicem⁹,si nõ nunq̃ egeãt,& pgrè abeãt.Nõ sine cõsilio Dei talia fiũt. *Eccle. 2.* *Iob. 7.*

Descenditque Abram in Aegyptum, &c.

Quãuis firmissimè crederet promissionibus Dei,tamen nõ contẽnit humana media,ne tẽtaret Deũ, id quod summẽ obseruandũ est,ne sic ꝑmissionibus Dei fidamus, vt mediis cõcessis vti nolimus:id enim esset tentare Deum, vbi autẽ cessant humana media,ibi certè fidẽdum promissionibus Dei. Obserua quòd dupliciter tentatur Deus.

Tentatio à sinistris est:Non credam nisi videam, sicut Iudæi olim tentauerunt Deum in deserto.

Tentatio à dextris eſt:Credo Deo, ideo nolo vti mediis:poteſt me cõſeruare ſine his mediis,&c. Regia via eſt quę nec ad dextrã nec ad ſiniſtrã declinat, eã incedit Abraam.In Aegyptũ autẽ deſcẽdit,quia regio fertilis eſt: hinc & infra Iacob ob famẽ in Aegyptũ concedit.Magis aũt à Deo mittitur ſanctus hic Aegyptiis, vt illos verbo prædicationis & exẽplo virtutis erudiret:quemadmodũ & Palęſtinos erudierat.Sic malis bona promouẽtur,ignorantibus etiã electis, ſed ſemper quæ Dei ſunt curãtibus. Additur:vt peregrinaretur ibi,nõ vt ſemper ibi maneret. Sic ſancti in Aegyptũ tentationũ deſcẽdũt,& ibi periclitãtur,nõ vt ſemper ibi maneant,ſed tantùm peregrinãtur quaſi inuiti in hoc mũdo,prima oportunitate cũ ſalute,et ditiores meritis & fide,redituri ad promiſsionis patriam.

Noui quòd mulier pulchra ſis, &c.

Iam ſupra ſexaginta annos erat Sara, tamen tanta ætate poſt confectionẽ quoq; tãti itineris,ex cõparatione Aegyptiarũ mulierũ ſpecioſiſsima erat, quia ex vtriuſq; hominis pudore & caſtitate perſeuerabat formoſior.Cõtrariũ fit in aliis mulierib⁹.Obſerua quòd Sara pulchra fuit, ſed tamen cum hoc proba,ne pulchritudini imputem⁹,ſi quæ in peccatum cadit. Poteſt & pulchra mulier proba permanere,ſi animus adſit pius.Non igitur Dei dona culpanda ſunt,ſed malitia noſtra & laſciuia.

Et erit,cùm viderint te Aegyptii,&c.

Patet Aegyptios nedum malos fuiſſe, ſed etiam apud exteros malæ famæ,maximè autem propter luxuriam.Sic plerunque fit,vt copiam ſequatur luxuria.

Me interficient,& te reſeruabunt,&c.

Fami inuenerat remedium,ſed nunc maiora ſuccedũt, timor mortis,& periculum caſtitatis in vxore.Nec mirũ, quòd mortẽ timuit ſanctus,quæ adhuc terribilis erat, vt pote nondum per Chriſtum deuicta. Obſeruandũ autẽ, quòd Abram nuſquam ſibi plus timuit,quàm in Pharaonis regno,vbi minus metus & periculi eſſe debuit.Nã regis officium eſt,cauere ne cuiquam fiat iniuria. Sed vide quę ſit forma rerũ,qualis cõmutatio,à quo defendẽd⁹ erat vir bon⁹,ab eo ſibi metuẽdũ eſt maximè: vbiq; tutus eſt,prętereq; in regno,vbi vigere debuit publica iuſtitia.

Dic

Dic ergo, obsecro, quòd soror mea sis, &c.

Verbum hoc indicat, veram inter hos coniuges fuisse dilectionem & concordiam, in eo quod Abram fidenter vxori mandat: Ipsa autem non minus fideliter obedit, nihil recusans propter viri salutem. Et quid fœlicius esse posset huiusmodi coniugiis ? Quis autem nescit, quàm rara nunc sint huiusmodi exempla. Vnde igitur Abrahamo tam morigera contigit vxor ? quia timebat Deum: & tu igitur si cupis habere vxorem morigerã, time Deũ. Magna autem hic oritur disputatio: Vtrum Abram in hoc peccauerit: sunt enim qui dicunt eũ grauiter peccasse. Primum, quod falso dixit eam sororẽ suã esse. Deinde, quòd plus sibi ipsi timet, quàm vxori, cùm pluris debuisset facere vxoris pudicitiam, quàm propriam vitam. Postremò, quòd vxoris pudicitiã prostituebat. Quòd si Abrã in hoc peccauit, diuina prouidentia factum esse, nemo dubitabit, vt qui Dauidẽ tã audax tamq; perfidum facinus patrare permisit: qui Petrũ Apostolũ tam grauiter labi passus est, Is etiã Abrahæ charissimi amici conscientiã tam graui ariete quatit, ne familiaritate & cõsuetudine Dei efferatur. Ob eandẽ causam etiam Paulo stimulũ carnis dedit. Cõmuniter tamẽ excusatur Abram à doctoribus. Primò enim non fuit mendaciũ, quod dixit eam sororem suam esse, cùm vulgò fratres & sorores dicantur, qui de eadem cognatione sunt. Deinde adeò ei sanguine iuncta erat, vt vicinius iungi nõ potuerit, nisi soror esset. Vnde infra dicit: Verè soror mea est filia patris mei, sed nõ matris. Ideo aũt consiliũ hoc excogitauit Abrã, ne tentaret Dñm. Promiserat ei Deus, se protectorẽ suũ futurũ: interim tamẽ sciebat, nõ tentandũ esse Deũ. Vnicum igitur medium erat effugiendi Aegyptiorum insidias, si diceret, eam sororẽ suam esse. Ideo ait: scio quòd mulier pulchra sis, scio item Aegyptios esse homines feroces, & propter copiam vini & frumenti, libidini pessimè deditos. Vnde nõ dubium est, quin conspecta tua forma, te rapturi sint. Quòd si dixeris maritum te habere, me interficient, vt securi te frui possint. Sin autem dixeris, quòd soror mea sis, meam vitam conseruabis: interim & Dominus pudicitiam tuam custodire potest, teq; illesam conser-

2. Reg. 11. *Mat. 26.* *Gen. 20.*

conseruare: Confido enim in Deo meo, quòd hoc fieri non patietur. Hæc fuit intentio iusti, qua nedum nō peccauit, sed & multis modis cōmendandus venit, quòd tot promissionibus acceptis, non tamen externa media contempsit, ne Deum tentaret. Vide igitur in quanta angustia fuerit sanctus vir. Imò & ipsa Sara, cui summa tristitia futura erat, si à marito separanda esset. Sic iusti inter impios omnibus rebus periclitantur, rebus, fama, vita, pudicitia, &c.

Viderunt Aegyptii mulierem, &c.

Hic videmus, quales fuerint Aegyptii, quàm sine omni timore Dei, tantùm carnalibus voluptatibus dediti, quamq; meritò timuerit Abram. Videmus etiam hic ingenium aulicorum, quòd laudauerunt eam principes coram Pharaone. Sic enim fermè aulici nihil aliud faciunt apud principes, quàm adulari, & lenones esse. Amat etiam sui similes rex: & ex vita & moribus ministrorum, facilè manifestum fit, qualis sit princeps. Si adulter est, lenones fouet & adulteros. Si aleo, omnes aulici ludunt: si scortator, scortantur omnes: si potator, bibulos amat. Sic ergo officio suo satisfaciūt pessimi principis pessimi ministri: deferunt optimos quosque apud dominum.

Et sublata est mulier in domum regis, &c.

Ecce quàm grauem & indicibilem tentationem permittit Deus cadere in cor Abrahæ: vt videre cogatur dilectissimam & castissimam cōiugem suam, peregrinationis suæ comitem indiuiduam, ab impiis rapi: imò in domum regis, vt nulla spes esset eam recipiēdi: Nec tamē diffidit iustus, sed innixus promissioni diuinæ patiēter expectat.

Flagellauit autem Dominus Pharaonem, &c.

Hic tādem se ostendit Dominus, ac implet reipsa quod Abrahæ promiserat: Maledicam maledicentibus tibi.

Quomodo autem Pharaonem flagellauerit: & quæ fuerit illa plaga, ex litera non habetur. Certum est, talem fuisse, vt sentiret Pharao Dei flagellum esse propter vxorem Abrahæ immissum. Videmus igitur primò, verū esse

Psal. 145 illud Psalmi: Dominus custodit aduenam, pupillum & viduam suscipiet, &c. huiusmodi enim personæ derelictæ

Psal. 9. Deo speciali modo curæ sunt. Vnde Psalmus: Tibi derelictus

ictus est pauper. hinc in lege sæpè præcipitur: ne molesti sint peregrinis, hospitibus enim tutela & fides debetur. Secundò, videmus hic, quantũ Deus curet pro iustis. Vnus hic Abram iustus plus Deo curę est, quàm Pharao cũ omni regno, & propter vnum iustum etiam regem flagellat. Huc pertinet & illud Psalmi: Non reliquit hominem nocere eis, & corripuit pro eis reges. Quis igitur non libenter Deo seruiat, qui tam fideliter suis adest & assistit? *Psal. 105* Tertiò, videmus hic specialiter, quod Deus vindex est coniugii, nec impunitos sinit, qui aliorum coniuges rapiunt. Nesciebat rex Saram vxorem esse Abrahæ, & tamẽ flagellatur: nec ipse solùm, sed omnis domus sua, quia ei consenserant: tantum peccatum est adulterium.

Vocauit Pharao Abram, & dixit, &c.

Vexatio dat intellectum: flagella Dei luxuriam hominũ domare sciunt. Vide autem mirabilem rerum mutationẽ. Abram in Aegyptum veniens regem timebat: nunc ecõtra rex ipsum timet, ipsius gratiam ambit, adeò Cor regis in manu Domini, quocunq; voluerit, inclinabit illud. *Prou. 21.* Excusat autem se Pharao, ignorantiam prætexens. Sic enim solẽt impii. quasi dicat: Si sciuissem vxorẽ tuam esse, non rapuissem eam: sed mentitur. etiam si sciuisset, nihilominus rapuisset. Sed sic se excusat, ne malus fuisse videatur.

Nunc ergo ecce vxor tua: accipe eam, & vade.

Etiam Barbarus nouit legem naturæ: ne quis alterius vxorem rapiat & retineat. Deniq; reddit eam: postquam agnouit eam habere maritum. hoc pœna & castigatione didicit. Et beatus, qui castigatione Dei fit melior. At reperies plerosque, qui nec castigati resipiscunt, obstinati, excæcati malitia & impietate. hos æterna pœna manet.

Præcepitque Pharao super Abram viris, &c.

Qui Deum timet, vbique tutus est. Sic hic qui iustum prius regi prodiderant, nunc cum gloria deducunt. Tantum bonum est patientia, cum silentio scilicet præstolari salutare Dei. Sic pii proficiunt, sed per crucem. Non igitur Abram gratis Domino confisus est.

Qui sperant in Domino, non confundentur.

Caput decimum tertium.

AScendit ergo Abraham de Aegypto, ipse & uxor eius, & omnia quae habebat, & Lot cū eo ad australē plagam. Erat autem diues valde in possessione auri & argenti. Reuersusque est per iter quo venerat à meridie in Bethel usque ad locum vbi prius fixerat tabernaculum inter Bethel et Hai, in loco altaris quod fecerat prius, & inuocauit ibi nomē Domini. Sed & Lot qui erat cum Abram, fuerunt greges ouium, & armenta, & tabernacula. Nec poterat eos capere terra, vt habitarent simul: erat quippe substantia eorum multa, & nequibant habitare communiter. Vnde facta est rixa inter pastores gregum Abram et Lot. Eo autem tempore Chananaeus & Pherezeus habitabant in terra illa. Dixit ergo Abrā ad Lot: Ne quaeso sit iurgiū inter me & te, & inter pastores meos, & pastores tuos: fratres enim sumus. Ecce vniuersa terra coram te est: recede à me obsecro. si ad sinistram ieris, ego dexteram tenebo: si tu dexteram elegeris, ego ad sinistram pergam. Eleuatis itaque Lot oculis, vidit omnem circa regionē Iordanis, quae vniuersa irrigabatur, antequam subuerteret Dominus Sodomam & Gomorrā, sicut paradisus Domini, & sicut Aegyptus venientibus in Segor. Elegitq; sibi Lot regionem circa Iordanem, & recessit ab oriente: diuisique sunt alterutrum à fratre suo. Abram habitauit in terra Chanáan: Lot vero moratus est in oppidis quae erāt circa Iordanē, & habitauit in Sodomis. Homines aūt Sodomitae pessimi erant, & peccatores coram Domino nimis. Dixitq; Dñs ad Abram, postquam diuisus est ab eo Lot: Leua oculos tuos in directum, & vide à loco in quo nunc es ad aquilonē et meridiem, ad orientem & occidentem. Omnem terram quam conspicis, tibi dabo, & semini tuo vsq; in sempiternū. Faciamq; semē tuum sicut puluerē terrae: si quis potest hominū numerare puluerē terrae, semē quoq; tuū numerare poterit. Surge ergo, & perambula terrā in lōgitudine et latitudine sua: quia tibi daturus sum eā. Mouēs igitur tabernaculū suū Abrā, venit, & habitauit iuxta cōuallem Mambre, quae est in Hebron: aedificauitq; ibi altare Domino.

SVperiori capite Moses commendauit Abrahae fidem, obedientiā, & patientiā, praecipuas scilicet pij hoīs virtutes. Nūc in hoc capite alias eius virtutes nobis in exēplū ponit: nempe humilitatē, mánsuetudinē, terreno-

terrenorum cõtemptum,& ſtudiũ pacis & charitatis,quę & ipſa ad Chriſtianiſmum pertinent,quare & diligenter obſeruanda ſunt:dicitur enim etiam nobis, Si filii Abrahæ eſtis,opera Abrahæ facite. *Ioan.8.*

Aſcendit igitur Abram de Aegypto,etc.

Diligenter hunc Abrahæ reditũ Moſes deſcribit,imò magnum aliquid nobis per hoc ſubindicare vult, quaſi dicat: Conſidera quomodo Abram in AEgyptum deſcenderit,& quomodo econtra nunc aſcendat, & videbis quod non fruſtra ſeruiuit Deo: Deſcenderat in Aegyptũ grauı animo & cum magno timore: timebat nedũ bonis ſuis, ſed etiam vxori,imò & vitæ ſuæ: nunc autem redit cũ fiducia & gaudio,illæſis bonis ſuis, illæſa vxore & vita ſua.Tam bonus eſt dominus ſperantibus in ſe,animæ quærenti illum. Tam potens eſt dominus, vt ſuos etiam inter medios hoſtes illæſos ſeruare poſsit. Hoc ſubindicare voluit Moſes, vt & nos diſcamus timere Deum ipſique ſeruire. *Thren.3.*

Eratque Abram diues valde,&c.

Etiam hoc pertinet ad oſtẽdendam Dei erga pios prouidentiam,quaſi dicat: En qui ante paucos dies famelicus in Aegyptũ deſcenderat,nunc bonis omnibus onũſtus redit, adeò Deus etiam temporalia ſuis accumulat. Has autem diuitias Abram non vſuris,rapinis,fraudibus acquiſiuit,ſed partim ex donatione regis,partim & maximè ex benedictione domini, quæ ſola diuites facit.Non eſt igitur quòd hoc exemplum Abrahæ noſtris cupiditatibus prætexamus, quẽadmodum ſolent hi qui rebus parandis ſtudent:Etiam Abram,inquiunt,diues fuit,cur nõ & mihi liceat diuitias accumulare? Huiuſmodi homines parum cõſiderant quàm ſit res plena periculi diuitiis inhiare,vt etiam Chriſtus facilius camelum per foramen acus tranſire aſſerat,quàm diuitem intrare in regnũ cælorum.Raro enim fit vt nõ inſoleſcant qui diuitias poſſident:animant enim & ſpiritum adducunt,ſed malũ,vnde Paulus radicem omnium malorum eſſe dicit pecuniæ ſtudiũ, monetq; ne quis diues fieri ſtudeat. Deinde auari noſtri non attendunt qua via Abram diues factus ſit, ſed nec illud, quomodo diuitiis vſus ſit. Nec hoc exẽplo *Prou.10.* *Matt.19.* *1.Tim.6.*

plo Abrahæ excusantur qui largitiones à principibus câ piunt: Abram quidem à rege donatus est, sed propter virtutem: isti autē non propter virtutem, sed propter libertatis, iustitiæ, & veritatis proditionem & corruptionem. Ideo autē Deus etiam diuitem facit Abram, vt impleret quod ꝓmiserat, Benedicā te. Secundò, vt etiā Chananęi hinc discerēt verū Deū esse quē Abrā colebat. Tertiò vt hinc videamus etiam diuites Deo placere posse, si diuitias eo modo consequantur eisq́; vtantur vt Abrā, quod
Eccle. 31. tamen admodum rarum est. vnde Sapiens: Beatus vir qui post aurū nō abiit, &c. Quis est hic & laudabimus eū? &c.

Summa, in Abram impletū est illud Euangelicum: Pri-
Matt. 6. mum quærite regnum Dei & iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Reuersusq́; est Abram per iter quo venerat, &c.

Etiam hic obedientia Abrahæ ostēditur, qui sciens se prius malè tractatū fuisse à Chananæis, tamē ad eos redit propter præceptū domini, suam ipsius cōtemnens, vt domini satisfaceret voluntati: hoc est, verè propriam volū-
Mat. 6. tatē abnegare & dicere: Fiat voluntas tua. Itemque: Non
Matt. 26. sicut ego volo, sed sicut tu. Deinde quamuis admodū diues esset Abrā, nō tamē diuitias suas ostētat, nō inflatur, nō ciuitates magnas inquirit, sed primò ad Austrum, vel (vt alii) ad solitudinē pergit, quasi mundi tumultum fugiens. Deinde ad Bethel redit, singulari enim affectione & deuotione ad eum locū afficiebatur, propterea ꝙ dominus ei ibidē apparuerat: vbi iterū videmus quid Abrā quæsierit. Præterea redit ad locum vbi fixerat taberna-
Hebr. 11. culū suū prius, etiam in magnis diuitiis cōtentus tabernaculo, ac se peregrinū cōfitēs. Postremò etiā ad locū altaris redit vt gratias agat, vbi enim prius ante tentationē dominū orauerat, illic nūc post liberationē gratias agit. Sic igitur Abrā nec insolētior, nec minus deuotus factus est propter diuitias, sed in eadē deuotione permansit. Verè enim fortissimū & cōstantissimū pectus sit oportet, & ꝙ Deus ipse inhabitet, ꝙ prosperis rebus nō mollescat; ꝙ nusq̄ cedat, ꝙ diuitiis à vero & recto non abducatur.

Sed & Loth fuerunt ouium greges, &c.

Hactenus audiuimus quomodo Loth indiuiduus comes fuerit

fuerit Abrahæ, nunc audiemus quomodo ab inuicē sepa rati sunt, & qua ratione. Ponit aūt Moses tres causas huius separationis, quarū prima est, quod etiam Loth diues erat, vnde nō poterat eos capere terra: statim enim vt diuitiæ crescūt & augētur actū est, oritur dissidiū vel inter cōiunctissimos, nō fames, nō peregrinatio, nō vlla calamitas poterāt separare Abrā & Loth, & rerū copia alterū ab altero auellit. Sic diuitię sūt causa iurgiorū, imo hęc duo pronomina meū & tuū omnia bella pepererūt. Ecōtra de primis credētibus quia nihil habebāt propriū scribitur, quòd erat eis cor vnū & aīa vna. Secūda causa huius separationis fuit, quòd Chananæus & Pheresæus tūc erant in terra, hi enim occupauerāt terrā, ideo coacti sunt Loth & Abram à se mutuo discedere. Tertia causa, ꝙ pastores eorū litigabant inter se: Sic enim sæpè cū serui nimiū curiosi sunt dominisq́; placere volūt, magis ex adulatiōe q̄ fidelitate, inter dominos oritur cōtētio & rixa, sæpè etiā bella & homicidia. Hanc aūt intestinā discordiā maximè horrebat Abrā, ideò omnibus modis eā tollere festinat. *Acto.4.*

Ne quæso sit iurgium inter me & te, &c.

Hic primo videmus humilitatē ipsius Abrahę, quòd ei quasi defert sibiq́; æqualē facit, qui ætate & virtute, imò omnibus modis inferior erat. atq; hoc est quod Paulus ait: Honore inuicē præuenientes. Deinde videmus ipsius mansuetudinē, quòd orat & rogat, cum arguere posset & ipsum Loth & seruos ipsi⁹. Sic igitur impleuit illud Christi: Discite à me quia mitis sum & humilis. Pręterea omnibus rebus pręfert pacē & charitatē, omnibusq́; modis studet radicē discordiæ exscindere, ne lati⁹ serpat: nec aliud allegat quàm fratres enim sumus, nullos enim magis dedecet discordia quàm fratres. Eodē argumento & nos ad mutuā charitatē admonemur, quòd fratres sumus, quòd vnū Deum, vnū baptisma, vnam fidē & vocationem habemus, &c. Demum sanctus patriarcha inferiori optionem dat, nec suum damnum curat, dummodo cōcordia seruetur: Ecce, inquit, omnis terra coram te est, &c. Hoc est quod Paulus monet: Quare, inquit, non magis fraudē patimini quàm quòd cum fratribus litigatis, idq́; corā infidelibus? &c. Hoc præceptum multo ante impleuit Abrā. *Rom. 12.* *Matt. 11.* *Ephes. 4.* *1. Cor. 6.*

Suble-

Subleuatis igitur Loth oculis vidit, &c.

Maior diuisit, minor eligit, id quod etiam nunc in hæreditatum diuisionibus fieri solet: fuit autē Loth multò imperfectior quàm Abram. Primò enim cùm iunior esset, debebat seniori deferre & cedere, ipsique permittere electionem. Secundò tantùm respicit ad fertilitatem terræ, quasi Deus alibi eum conseruare non posset. Abram autem nihil curabat qualis esset terra, sed tantum hoc curabat vt Deum propitium haberet, sciens sibi nihil defuturum Deo propitio. Pulchrè autem describit fertilitatem regionis quam Loth elegit: Erat, inquit, sicut paradysus Dei, & sicut Aegyptus, &c. quasi dicat: Talis erat regio qualem Deus ipse inhabitare eligeret. Declaratur etiam hic virtus magnanimitatis in Abram, qui tam amœnam terram contemnere poterat fratris causa.

Diuisiq; sunt alterutrum à fratre suo, etc.

Hæc diuisio ad id profuit, vt & Chananæi virtutis exemplum haberent in Abram, & Sodomitæ in Loth, & vt vtrinq; prædicaretur verus Deus. Deinde vt Loth disceret quantū malum sit à piis se disiungere: multa enim perpessus est in Sodoma. Præterea vt terra Chanaan ipsi Abrahæ eiusq; posteris remaneret. Abram igitur in montanis habitat, Loth in vallibus: perfectiores enim semper ascendunt ad cœlestia. dum imperfecti in terra remanēt.

Viri autem Sodomitæ pessimi erant, &c.

Aggrauat his verbis culpam ipsius Loth, quasi dicat: Tametsi sciret pessimos esse homines in ea regione, tamē eam elegit, loci scilicet amœnitate captus. Vide quo nos affectus carnis trahant: Caro semper quærit quę sibi dulcia, iucunda, & grata sunt: leuis autem animi argumētum est euidens, eligere pessimorū consuetudinem: qui enim amat periculum peribit in illo. Loth igitur humano cōsilio elegit fertilem regionem. Sed quid fit? Cogitur cohabitare pessimis hominibus, incidit in maxima pericula, in graues angustias, quibus certò sibi pereundum erat, ni Deus gratia sua eum eripuisset. Coactus nihilominus hác quæ sibi amœnissima fuit visa terram relinquere, quamq; tātopere desiderauerat. Sic quod nobis optimū videtur, consilio domini aliter disponitur. Deinde mirū in modum

dum hoc verbo peccatum Sodomitarum aggrauat: Primò enim nō vnum aut alterum nominat, sed omnes simul mali erant. Secundò non simpliciter mali, sed pessimi erant: vbi terra optima est, ibi plerunque pessimi homines sunt. Tertiò & peccatores, inquit, propter detestandum istud peccatum, quod etiam nūc ab ipsis cognominatur. Postremò addit coram domino, hoc est, contra conscientiam propriam. Vel corā domino, id est, ne Deum quidē veriti: quemadmodum supra de Nemrod dixerat. Vel coram domino, id est, etiam redarguti non emendabantur, Loth enim eos instruebat & arguebat, sed frustra. Titulus igitur huius impiæ gentis terrere nos debet ab impietate, ne & nos talem titulū apud posteros inueniamus: turpissimi enim sunt qui dicere audent, quid ad me, quid post mortem vel dicatur vel scribatur? Actum de huiusmodi hominibus est, quos nec virtutis amor, nec pœnarum metus, nec bonum nomen à flagitiis auocat: bestiæ sunt, indigni qui homines vocentur. 2.Pet.2.

Dixitq; dominus ad Abram postquam diuisus est, &c.

Non cessat Deus suis assistere quamdiu ipsi in pietate perseuerāt, & sicut crucem super crucem eis immittit, sic econtra etiam consolationem super consolationem eis dat: semperq; læta tristibus & tristia lætis permiscet, vt pariter in bonis & malis tententur & probentur iusti.

Obserua autem, quòd tum primum Dominus Abrahæ loquitur, cum resecata dissensionis causa recuperasset pacem & mentis tranquillitatem Abram: amat enim Dominus eos qui mente sunt tranquilla. Qui in turba & tumultu sunt vocem domini internam raro audiunt, nimirum rebus & curis externis auocati. vnde Propheta: Bonum est homini cum silentio præstolari salutare Dei. Thren.3. Cæterū quòd Dominus Abrahæ loquitur postquam Loth ab eo diuisus est, consolari eum voluit: graue enim ei erat ab amico diuelli, maximè cum esset inter extraneos. Deus igitur ei loquitur, quasi dicat, Ne tristeris propter discessum ipsius Loth, adhuc me habes non minus quàm prius.

Docemur non egrè ferrè si amici nos relinquant, tantum vt Deum, qui constantissimus amicus est, non perdamus. Nec quicquam nos pœniteat, si cognatorum

aut

aut aliorum consuetudine priuamur. Retinemus sæpenumero quæ maxime obsunt, & plerunque deserimus quæ paulò post inuiti reciperemus. Non in amicis confidamus, sed in Deo: non hominum discessum ægrè feramus, sed Dei.

Leua oculos tuos in directum, &c.

Ad eundem modum etiam Abraham supra dixerat ad Loth: Ecce vniuersa terra coram te est, &c. Eam mansuetudinem Abrahæ, qua cesserat longè inferiori & iuniori, quasi remuneraturus dominus hæc dicit: Leua oculos, &c. quasi dicat: Tu prius inferiori cessisti terram optimam, ideo ego tibi nunc maiora do: Omnem, inquit, terram quam conspicis tibi dabo, &c. Vide quàm largiter Deus remuneret, si quid propter Deum, iustitiam, pacem relinquamus. In modico cesserat Abraham ipsi Loth, & nunc vniuersam terram accipit. Mundi homines timerent se ad famem redigendos, si vel in modico aliis cederent ex charitate, atqui Abram nihil ob id pauperior effectus est, quòd ipsi Loth cessit: imo eo maiora à Deo accepit. Huc pertinet quod Christus ait:
Matt. 19 Qui reliquerit domum, &c. propter me, centuplum accipiet, &c. Sic in eleemosina, pauca damus, & magna accipimus: Quomodo enim inter se paria sunt obulum pauperi dare, & obtinere remissionem peccatorum? pascere esurientem, & in illa horribili die fiduciam assequi & audire verba nullo regno conferenda, Venite be-
Matt. 25. nedicti? &c. Esuriui enim & dedistis mihi manducare, &c. Imo ideo Deus pauperes inter nos esse vult, vt & ipsi patientia multum mercedis acquirant, & nos per eleemosinam fiduciam consequamur: alioqui posset & ipsorum inopiam auferre. Quod autem in fine dicitur, Vsque in sempiternum tibi & semini tuo dabo terram hanc. non perpetuitatem, sed longum tempus significat, & tempus indeterminatum & indefinitum. Tam diu scilicet hanc terram dabo semini tuo, quamdiu pactum meum seruabit.

Faciamq; semen tuum sicut puluerem, &c.

Secunda promissio: Et seni & ne vnicum filium habenti promittit innumerabilem posteritatem, nec tamen

diffidit Abram, cum alioqui segniores efficiamur ad crèdendum ei, qui sæpè promittit & promissa implere tardat. Non sic Abram, sed in fide firma permanet, sciens Deum mentiri non posse, quantumuis differat. Hæc tamen promissio magis de vniuersis gentibus (quæ per Christum Abrahæ semen & benedictæ sunt) intelligi videtur, quàm de solis Iudæis: nam Iudæi non tanti nec tot fuerunt, quin numerari possent, sæpeque numerati sunt. Sed qui fidem Abrahæ imitantur, filij & semen Abrahæ sunt, & illorũ non est numerus. quasi dicat Deus: Ecce Abram fides illa quam in me habes, prædicabitur olim in vniuerso orbe in omnibus gentibus. Neque tu solus es qui mihi fidis, sed ad exemplum tuum tot fideles erunt, quot pulueres terræ. hoc est, adeo innumerabiles. Sic & prior promissio: Omnem terram quam conspicis tibi dabo & semini tuo; perfectissimè in Christo impleta est. Ipsi enim dixit Deus pater: Postula à me, & dabo tibi gentes, &c. Et iterum: Dominabitur à mari vsque ad mare, &c. *Psal. 21.* *Psal. 71.*

Surge ergo perambula terram, &c.

Sic agit Deus cum his quos maximè amat, variis exponit periculis, sæpè loca mutare compellit, & quæ chara sunt relinquere. Aut enim Deus suis temporalia nõ dat, aut si dat, sel admiscet, ne rebus caducis fidant, aut nimiũ oblectentur, sed anhelent ad cælestia, vtentes hoc mundo tanquam non vtantur: ideo Abram iterum cogitur mutare locum. Vide autem quàm facilè sanctus patriarcha hinc inde migret. Primo enim nulla locorum consuetudine tenetur, id quod tamen etiam sanctis alias euenire solet. Deinde quocunque spiritu Dei vocatur, fiducialiter pergit, nullum locum alteri præferens: omne enim solum forti patria est. Præterea nusquam legitur ciuitatem ædificasse, sed tantum tabernaculum erexisse, tanquam peregrinus, illud Pauli obseruans: Habentes victum & quibus tegamur, his contenti simus. Iterum deniq; altare ædificat, quemadmodum & prius: Diuini enim cultus nunquam obliuiscitur pius. *1. Tim. 6.*

Caput

Caput decimumquartum.

FACTUM est autem in illo tĕpore, vt Amraphel rex Sennaar, & Arioch rex Ponti, & Chodorlahomor rex Aelamitarum, & Thadal rex gentium inirent bellum contra Bara regem Sodomorum, & contra Bersa regem Gomorrhæ, & contra Senaab regem Adamæ, & contra Semeber regem Seboim, cōtraq; regem Balæ, ipsa est Segor. Omnes hi conuenerunt in vallem Syluestrem quæ nunc est mare salis. Duodecim enim annis seruierāt Chodorlahomor, & tertiodecimo anno recesserunt ab eo. Igitur quartodecimo anno venit Chodorlahomor, & reges qui erāt cum eo: percusseruntq; Raphaim in Astaroth & Carnaim, & Zuzim cum eis, & Emim in Saue Cariathàim, & Corrhæos in montibus Seir, vsque ad campestria Pharan, quæ est in solitudine. Reuersique sunt, & venerunt vsque ad fontem Misphat, ipsa est Cades: & percusserunt omnem regionem Amalecitarum & Amorrhæorum qui habitabant in Asasonthamar. Et egressi sunt rex Sodomorū, & rex Gomorrhæ, rexque Adamæ, & rex Seboim, necnon & rex Balæ, quæ est Segor: & direxerunt aciem contra eos in valle Syluestri, scilicet aduersus Chodorlahomor regem Elamitarum, & Thadal regem gentium, & Amraphael regem Sennaar, & Arioch regem Ponti: quatuor reges aduersus quinque. Vallis autem Syluestris habebat puteos multos bituminis. Itaq; rex Sodomorū, & rex Gomorrhæ terga verterunt, cecideruntq; ibi: & qui remanserant fugerunt ad montem. Tulerunt autem omnem substantiam Sodomorum & Gomorrhæorum, & vniuersa quæ ad cibum pertinent, & abierunt: necnon & Lot, & substantiam eius, filium fratris Abram, qui habitabat in Sodomis. Et ecce vnus qui euaserat nunciauit Abram Hebræo, qui habitabat in conualle Mambre Amorrhæi fratris Eschol, & fratris Aner: hi enim pepigerant fœdus cum Abram. Quod cum audisset Abram, captum videlicet Lot fratrem suum, numerauit expeditos vernaculos suos trecentos decem & octo: & persecutus est eos vsque Dan. Et diuisis sociis, irruit super eos nocte: percussitque eos, & persecutus est eos vsque Hoba & Phœnicen, quæ est ad læuam Damasci. Reduxitq; omnem substantiam, & Lot fratrem suum cum substantia illius, mulieres quoq; & populum. Egressus est autem rex Sodomorum in occursum eius postquam reuersus est à cæde Chodorlahomor, & regum qui cum eo erant in valle Saue, quæ est vallis regis. At verò Melchisedec rex

rex Salē, proferens panē et vinū (erat enim sacerdos Dei altißimi) benedixit ei, & ait: Benedictus Abrā Deo excelso qui creauit cælū & terrā: & benedictus Deus excelsus, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. Et dedit ei decimas ex omnibus. Dixit autē rex Sodomorū ad Abrā. Da mihi animas, cætera tolle tibi. Qui respōdit ei: Leuo manū meā ad dominum Deū excelsum possessorem cæli & terræ, quòd à filo subtegminis vsque ad corrigiam caligæ non accipiam ex omnibus quæ tua sunt, ne dicas, Ego ditaui Abram: exceptis his quæ comederunt iuuenes, & partibus virorū qui venerunt mecū, Aner, Eschol, & Mambre: isti accipient partes suas.

F*Actum est autem illo tempore vt Amraphel, &c.*

In hoc capite audiemus de bello quod ortū est inter reges Persarū & Sodomitarū, quod quāuis videatur prophana esse historia, nō pauca tamē in ea ponuntur obseruatu dignissima: ob id & Moses nō grauatus est eā tam diligēter describere. Primò enim in hac historia describitur infideliū ingeniū, eorū exercitia & cōditiones. Prima mundanorū cōditio est, quod belligerantur, tumultuātur, seq; mutuo perdūt, vastant, occidūt, idq; nō ob aliud quàm propter tēporalia. Pij homines contra vitia pugnant, contra diabolū, & regnū Dei rapere satagunt. Secūda impiorū conditio, quod libertatē quærunt, obedientiā fugiūt. Sic Sodomitę se ab obedientia Persarū subtraxerunt, sed in suū ipsorū malū & perditionē: nunquam deuastati fuissent, si in obedientia perstitissent. Sic seditiones subditorū plerunq; tyrannide principum puniuntur. vnde & in Ieremia dicitur cuidam abiicienti iugū: Cathenas ligneas contriuisti, & facies pro eis ferreas. Tertia impiorum conditio, quod facilè potestate abutuntur in subditos, imò potestatem vertunt in tyrannidem, nesciunt quomodo satis grauare possint subditos: quare & frequenter sua tyrannide populum ad seditionem excitant, iusto Dei iudicio, vt sicut seditio tyrannide, sic econtra tyrannis seditione puniatur. Sic verisimile est & regē Persarum sua tyrannide Sodomitis occasionem dedisse defectionis. Iere. 28.

Quarta impiorū cōditio, quod in malis cōstanter se mutuo adiuuat, consilia communicant, vires coniungunt, cōfœderationes faciunt, multitudine se armant, in hac parte multò prudentiores filijs lucis. Sic reges isti ex vtraque Lucæ. 16.

parte auxiliatores inueniũt, vtriq; tamẽ percutiũtur, vt videamus quàm nihil profint humana cõsilia contra Deũ. Quinta impiorum conditio, ꝙ rebus prosperè cedentibus superbiunt, sic reges isti adepta victoria, supra modũ in victos sæuierũt, nõ cõtenti prædas accipere, nisi insup & homines miserabiliter abducerẽt. Nulla misericordia
2.Re. 24 apud impios est, vt nõ sine causa Dauid præoptauerit in manus Domini potius incidere, q̃ in manus hominũ. Nec cogitant impij ꝙ etiam ipsis iudiciũ Dei præ foribus sit. Deinde in hac historia videmus prouidentiam Dei circa bonos & malos, puniendo & liberando. Primò enim videmus, ꝙ Deus peccatores multipliciter præmonet antequàm finaliter perdat: Sic Sodomitæ iã meruerãt exterminari omnino, prius tamẽ eos hac plaga admonere voluit, grauius iudiciũ futurũ, ni à peccatis cessarẽt: itidẽ & nobis facit. Secũdò videmus, ꝙ Deus vt plurimũ malos
Isa. 10. per malos punit & perdit, sunt enim impij quasi virga & flagellũ Dei, quo vtitur ad punitionem peccantiũ, postea aũt etiam ipsam virgã in ignẽ cõijcit. Sic Iudæos puniuit per Chaldæos, Chaldæos per Persas, Persas per Græcos, Græcos per Romanos, Romanos per Gothos, &c. Tertiò videmus quàm nihil prosint humana vbi Deus deest. Ad bellũ & pugnã quinq; reges contra quatuor ꝓcedebãt, sed tñ percutiũtur. Quartò videmus ꝙ etiam iustos Deus interdũ punit, sic etiã Loth cũ impijs captus est: nõ ergo turbemur si simile quid etiam nos patiamur, nouit Deus cur quæq; ꝑmittat, ad vtilitatẽ suorũ: imò suos hic punit vt in alio seculo parcat. Quintò videmus ꝙ Deus nõnunq̃ etiã impijs parcit. Sic ꝓpter vnũ Loth iustũ oẽs Sodomitæ pessimi euaserũt. Si impijs propter iustos parcit, quãto magis parceret nobis si oẽs pietati studeremus. Sextò videmus in hac historia q̃ facilè Deus deijcere possit omnẽ mundi potentiam: hos enim quatuor reges, qui tot ciuitates, regiones, reges, imò & tyrãnos & populos subiugauerãt, per trecẽtos decẽ & octo homines deiicit: vt vel hinc videamus, Deum victoriam dare, qui æquè per paucos vt per multos saluare potest:

Abduxerũt autẽ & Loth captiuum, &c.] Hic videmus quis finis eos maneat qui carnalia & tẽporalia prǽferũt æternis. Elegerat Loth amœniorẽ locũ & fertiliorẽ, putabat

sibi optimè cõsultũ, sed vide qualis exitus, q̃ fallit eũ opinio? Iã capitur, abducitur, parũq; abfuit quin occideretur, nisi ex tãto periculo per Abrahã erueretur. Sic etiam nunc cõtingit plerũq; his qui nihil nisi tẽporalia quęrũt. cùm enim ea adepti fuerint, maioribus malis obnoxij fiunt, vt nonnunquam pristinam paupertatem exoptent.

Cum ergo audisset Abram captum Loth, &c.] Hic videmus quid pietas & virtus faciat in periculo proximi. Abram proprias persecutiones patiẽtissimè pertulerat in Aegypto, in terra etiã Chanaã, hic aũt nõ patitur fratrẽ suũ perire: sic charitas nõ quęrit quæ sua sunt, sed quæ proximi. Deinde nõ cessat sed festinat, laborẽ & pericula cõtẽnens propter fratrẽ, nihil memor iniuriæ quã Loth ipsi intulerat, ab ipso recedẽdo, & optima eligẽdo. Præterea tantã in Deũ fiduciã habuit, vt nõ timeret cõtra tot tãq; potẽtes reges cõfligere, quibus nemo alius resistere potuerat. Cæterũ q̃uis magnã fidẽ haberet, noluit tamẽ tẽtare Deũ, sed humanis quoq; cõsiliis vtitur, & noctu super securos irruit. Deniq; & reges in fugã cõpellit, & oĩa quæ abstulerant reducit. Hic videmus quæ sit fortitudo fidei, & ꝙ fidelis homo fortior est omnibus. vnde Dauid: Si cõsistãt aduersum me castra, nõ timebit cor meũ. Et iterum: Oẽs gẽtes circũierunt me, & in noĩe Dñi vltus sum in eos. Videmus etiam hic qua ratiõe Christianis liceat belligerare, nẽpe vt proximũ, patriam, rẽpub. defendant ab iniuria & violentia oppressos liberent, vt salua & tranquilla sit respub. iustitia, veritas, &c. Vbi huiusmodi causæ sunt, & accesserit pręceptum superiorum, licitè pugnare possunt Christiani. Secus autem est vbi tantùm nos vindicari cupimus, aut aliorum bona appetimus, aut propter solam pecuniam bella sequimur. Hoc qui agunt, videant quomodo supremo iudici responsuri sint.

1. Cor. 13.

Psal. 26.

Psal. 117

Egressus est rex Sodomorũ in occursum, etc.] Hactenus ostẽdit Moses Abrahæ fortitudinẽ, fidẽ, charitatẽ, vigilantiã, prouidẽtiã, circũspectionẽ in bello: nũc deinceps ostendet qualis post primam victoriam fuerit, quæ vt plurimũ homines reddit insolẽtiores & peiores, nihil tale inuenimus in Abrahamo. Deinde in hoc textu videm⁹ q̃uo Deus cultores suos etiã in mũdo glorificet. Abram enim ille

hactenus ignotus & peregrinus, nunc à duobus regibus honoratus, quorũ vterq; obuiam illi procedit ac munera offert etsi dissimilia, vt infra patebit. Sic igitur verũ cõprobatur quod supra dixerat Deus: Magnificabo te vel nomẽ tuũ, &c. Cęterùm quod regẽ quidẽ Sodomorũ dixit exiisse in occursum Abrahę, nec addit quo exierit vel quid fecerit, idò factum est, primò quod omnes sciant qua pompa reges soleant obuiam procedere: secundò quòd non multũ ponderauit Moses quid impius ille rex fecerit: tertiò quòd ad alia & maiora properat, vnde statim subdit.

Gen.12.

At verò Melchisedech rex Salem, &c.] Quis fuerit iste Melchisedech incertũ est: Aliqui putauerũt eum nõ hominẽ sed angelũ fuisse, ex eo vel maximè permoti quod Paulus dixit eũ fuisse sine patre, sine matre, sine genealogia, sine initio, sine fine. Verùm hoc nihil est, nõ enim vult Paulus quod nullum habuerit patrẽ, nec principium, nec finẽ: sed quòd hęc in scripturis nõ habeantur, quis fuerit eius pater, quę mater, quando inceperit, quando mortuus sit: nihil horũ in scriptura inuenies. hoc Paulus ad mysterium accõmodauit. Hebræi putant eũ fuisse Sem primogenitum Noe, quem & constat vsque ad tempora Abrahæ vixisse: nihil tamen certi hinc constat.

Hebr. 7.

Proferens panẽ & vinum, erat enim sacerdos, &c.] Nec hic expressè dicitur in quẽ vsum protulerit panẽ & vinũ, aut cui ea dederit. hęc igitur oritur inter doctos cõcertatio: Qui negant missam esse sacrificium, volunt quòd non ob aliud protulerit panẽ & vinum quàm ad refectionem militum, qui in bello laborauerant, ac itinerando fessi erãt. Alii autem, & quidem vetustissimi sanctissimiq;, volunt quòd Melchisedech ideò panem & vinum protulerit, vt Deo sacrificium faceret pro victoria Abrahæ concessa. Hoc autem primùm ex eo probãt quod statim subditur: Erat enim sacerdos, & cæt. Si sacerdos fuit, certum est quòd sacrificauit: potissimum enim munus sacerdotis est sacrificare aut offerre. Quale autem fuerit eius sacrificium, scriptura non exprimit: hoc enim certum est ex Paulo & Dauide psalmo centesimonono, quòd alium sacrificandi ordinem habuerit quàm Aaron, alioqui quid opus fuisset dicere, Secundum ordinem Melchisedech?

Hebr. 5.

Constat

Conſtat igitur quod non obtulerit animalia, hoc enim fiebat ſecundum ordinem Aaron. Nihil autem aliud de ipſo legimus, quàm quod protulerit panem & vinum, quare neceſſe eſt vt dicamus, ſacrificium eius fuiſſe panem & vinum: aut oſtende ex ſcriptura aliud eius ſacrificium. Quamdiu hoc nõ feceris, ſicut facere nunq̃ poteris, nos cum Eccleſia dicemus, eum ideò protuliſſe panem & vinum, vt ea offerret. Imò etiam ſi concedamus, quòd pane & vino milites Abrahæ refecerit, nihil tamen obſtat quo minus ea prius obtulerit Deo. Sic enim etiam agnus paſchalis prius offerebatur, poſtea comedebatur. Imò magna pars ſacrificiorum veteris teſtamenti cedebat in vſum offerentium. Sed ad textum. Ideo Melchiſedech panem & vinum protulit, & etiam Deo obtulit, quaſi congratulans Abrahæ de victoria adepta: ſimulque gratias Deo agens, ac ſuo ſacrificio Abraham admonẽs, vt ſoli Deo victoriam adſcriberet.

Et benedixit ei & ait: Benedictus Abram, &c.

Alterum ſacerdotis officium eſt benedicere: Sic enim & Moſes docuit leuitas quomodo benedicerent populo: & Chriſtus Apoſtolis dixit: In quamcunque domum intraueritis dicite, pax huic domui, &c. Vide autẽ quomodo benedicat ſacerdos hic: Primò commendat ipſum Abram, non tamen in ſe, ſed in Deo excelſo. Imo nec ſolum Abram benedicit, ſed Deum ipſum. Hoc eſt ſacerdotis officium, omne bonum finaliter in Deum referre, hominesque ad Deum erigere. Hinc diſcamus ſanctos ita honorare, vt tamen dei non obliuiſcamur: imo non aliter ipſos honorare quàm in Deo, & Deum in ipſis: quemadmodum Melchiſedech hic facit. *Num. 6.* *Matt. 10.*

Et dedit ei Decimas ex omnibus, &c.

Ambiguũ hic eſt quis alteri decimas dederit, ſed Paulus explicat, nẽpe ꝙ minor maiori dederit, Abram Sacerdoti. Obſerua hic quod decimæ etiã ante datã legẽ datę ſunt, ne quis putet tantùm legale eſſe pręceptũ, ac nũc cũ ipſa lege abolitum. Imò ex hoc loco apparet, quòd ad legem naturæ pertinet, terrę naſcẽtium partem ſegregare, tum vt vel ſic confiteamur à Deo nos omnia accepiſſe, tum vt hinc ſuſtententur, qui aliis communiter ſeruiunt *Hebr. 7.*

docendo, cõsultando, iuuãdo, vel protegẽdo, & hi quoq;
Matt. 10. qui paupertate grauãtur. vnde & Christus: Dign⁹ est ope
1. Cor. 9. rarius cibo suo. Et Paulus: Qui Euãgelio seruiũt, de Euã-
gelio viuant. sicut olim seruiẽtes altari, &c. vide, & iterũ:
Gal. 6. Cõmunicet is q cathechizat ei qui se cathezat in oĩbus
bonis. Hæc ideo dixerim ꝑpter eos qui ꝑsuasi sunt se ab
oĩbus externis grauaminibus liberatos: interim tamẽ nec
illos excusare volo qui decimas recipiũt, videãt ipsi quo
iure eas accipiãt, quomodo vtãtur, qũo ecclesię seruiãt.

ALLEGORIA.

Melchisedech pręfigurauit Christũ, qđ patet ex Paulo:
Psal. 109 itẽq; ex eo qđ in psal. diciẽ. Iurauit Dñs & nõ pœnitebit
Matt. 22. eũ, tu es sacerdos ĩ ęternũ secũdũ ordinẽ Melchisedech.
Qui psal. ad literã de Christo intelligiẽ, vel ipso Christo
teste. Oĩa igitur q̃ hic de Melchisedech dicũtur, in Chri
sto ꝑfectissimè cõpleta cernimus. Primò enĩ verè rex est
Christus: Ipsi enĩ data est potestas in cælo, & in terra. Se
cũdò nõ qualiscũq; rex est, sed rex iustitię, q solus & pec
cata tollere, & verã iustitiã cõferre potest. Tertiò est rex
Salẽ. i. pacis, sic enĩ Paulus interpretatur: Ipse enĩ est pax
Ephe. 2. nostra, qui fecit vtraq; vnũ. Quartò est etiã sacerdos, imò
vnus & verus sacerdos, non cuiuscunq;, sed Dei excelsi,
qui solus Deo reconciliare potest. Quintò verissimè in
Christũ cõpetit, ꝙ est sine patre, sine matre, sine initio &
fine, Secundũ enĩ humanitatẽ nõ habet patrẽ, secundũ di
uinitatẽ nõ habet matrẽ, imò nec initium nec finẽ. Vnde
ex hoc Paulus ꝓbat sacerdotiũ Christi ęternũ esse. Quã
uis enĩ semel tantũ oblatus sit, virtus tamẽ sacrificii eius
semper manet. Et quamuis semel tantùm in sancta introi
Hebr. 9. uerit, semper tamen assistit vultui Dei pro nobis. Sextò
etiam Christus panẽ & vinũ suis protulit, cũ in cœna ac-
cipiens panẽ diceret: Accipite & manducate, hoc est cor
Matt. 26 pus meũ, &c. Itẽq;: Hoc facite in meam cõmemorationẽ.
Septimò, idẽ sacrificium panis & vini potissimũ ad hoc
ordinauit & instituit, in refectionẽ & confortationẽ eo-
rum qui cõtra diabolum pugnant. Octauò, queãdmodũ
Melchisedech prius obtulit, postea cibauit: sic sacrificiũ
hoc nedum refectio est lassorum & debilium, sed etiã sa-
crificium laudis & gratiarum actionis, quo in finẽ vsq;
mundi

mundi vti debemus:Hoc facite,inquit,in mei memoriã. Nec obſtat ꝙ quidã à nomine ſacrificii abhorrẽt,iuſtiſſimè enim ſacrificiũ nominatur,tũ quia verus vſus huius ſacramẽti eſt,vt in ſumptione eius Deo laudes & gratias offeramus,tum ꝙ in ipſo repręſentatur & quaſi ob oculos ponitur vnicũ illud ſacrificiũ quod Chriſtus in cruce perfecit,ac Deo ſiſtitur crucifixus ille filius eius,admoneturq; vt propter ipſius paſsionẽ & mortẽ nobis propitiari dignetur. Deniq; etiã per ſacramentũ hoc admonemur vt nos ipſos Deo offeramus:Congruè igitur ſacrificiũ dicitur,etiam ab antiquis. Nihil ergo opus eſſet tantas tragœdias excitare propter nomẽ illud ſacrificii, cũ nõ nuper inuentũ ſit,nec ſine cauſa vt iam dictũ eſt: Abuſus miſſę abolendi eſſent,nõ ipſa miſſa:alioqui ſi propter abuſum licet rem aliquam in ſe damnare, cur non totum Euangeliũ damnamus,quo tam miſerè imò impiè pleriq; abutuntur.Signanter etiam ad Chriſtum pertinet benedicere:per ipſum enim benedictio in omnes gentes peruenit. Poſtremò ex eo ꝙ Abram,è quo ortus eſt Leui & Aaron,decimas dedit Melchiſedech ſacerdoti qui Chriſtum pręfigurauit,Paulus ꝓbat ſacerdotiũ Chriſti maius eſſe ſacerdotio Aaron. Vide epiſt.ad Hebr.cap.7.& 8. *Ephe.1.*

Sic igitur in vna hac figura fermè videmus quicquid Euangeliũ dicit de Chriſto,eiusq; regno & ſacerdotio, cultuq; quẽ in Eccleſia inſtituit. Ex Euangelio ſiquidem habemus Chriſtum regẽ eſſe,nõ tamẽ qualẽcunq;, ſed regem iuſtitiæ & pacis:Luc.1.& Matt.2. Deinde Euangelium docet Chriſtũ ſacerdotẽ quoq; eſſe,ſed lõgè excellentiorẽ q̃ Aaron fuit,nedũ in perſona,ſed etiam in officio,ſacrificio,& longiturnitate. Aaron homo fuit,Chriſtus Deus & homo. Aarõ etiã ꝓ ſeipſo offerre cogebatur quia peccator,Chriſtus nõ. Aarõ ſuis oblationibus Deũ ꝑfectè placare nõ potuit,Chriſtus autẽ potuit. Aarõ mortuus eſt,Chriſtus autẽ eſt ſacerdos in æternũ. Prӕterea Euãgelium expreſſè dicit ꝙ Chriſtus in vltima cœna accepit panẽ,&c. idq; etiam præcepit Apoſtolis facere in memoriam ſui:Hoc facite,inquit,&c.Quo verbo omnia ſacra & ſacrificia externa veteris legis abrogauit,inq̃ eorum locum inſtituit,vt ſacrificiũ corporis & ſanguinis ſit

nostrum sacrum & sacrificium, quo Deo patri passionem Christi offeramus, circaq; ipsum sacrum fidem nostram, spem, charitatem, orationem, meditationem, laudes, gratiarum actiones, & cultum exerceamus, quẽadmodum antiqui fecerunt in suis sacris & sacrificiis, imo etiam ipse Melchisedech. Omnia, inquam, hæc in hac figura præostensa fuerunt, adeo vt hæc vna figura multas cõtentiones sedare posset si rectè attenderetur, ac tantopere spiritum quæreremus quantum propter verba cõcertamus. Ad hoc enim deuentum est apud quosdam, vt scripturarum interpretatio nihil aliud sit quàm verborum concertatio: dumq; vnus æditionẽ vulgatam, alius Græca, alius Hebraica citat, interim sensum amittimús, imo accedentibus affectibus manifestum errorem potius admittimus, q̃ nos vinci patiamur, sicque nimium altercando veritas amittitur. Id quod circa hoc sacrificium contigit, iusto tamen Dei iudicio, quia enim hactenus tam indeuotos & ingratos nos exhibuimus circa hoc sacrificium, imo in plerisq; abusi sumus, iusto dei iudicio permittit Deus, vt eo priuemur: quemadmodum & olim cum Iudæi templo & terra promissa abuterentur, permisit Deus vt templum exureretur, &c. Iustus est dominus, &c.

Da mihi animas, cætera tolle tibi, &c.

Dissimiles fuerunt hi duo reges, Melchisedech primo omnium Deo offert & gratias agit: rex autem Sodomorum Dei ne meminit quidẽ, sed tantùm de spoliis curat. Econtra etiã Abram longè aliter agit quàm supra: à Melchisedech quidem summa deuotione accepit benedictionẽm, ab hoc autem nihil recipere vult, quia tantum temporalia offert. Nos longè aliter affecti sumus: temporalia spiritualibus præferimus, Abram econtra.

Leuo manum meam ad Deum, &c.

Alios victoria insolentiores facit, vt obliuisci incipiãt Dei, nec præterita pericula curẽt, nec futura præuideãt, pii autẽ longè aliter agunt, nam hi semper vtramq; fortunam secum cogitant, & cum felices sunt cogitãt præteritam infelicitatem, sciuntq; iterùm fieri posse vt erumnosi fiant: ideò Abram nihil eleuatur ob victoriam. Deinde videmus quantum vir hic diuitias contempserit, primo enim

mo enim

mo enim magna erat præda,quæ ex ſeipſa allicere poterat:deinde iure belli eam acquiſierat:prætereà magnã occaſionem habuiſſet eam accipiendi, quia peregrinus,& ignotus & deſpectus, vt vel ſic in notitiã hominũ veniret, ac ab improbis tutus eſſet. Demum etiam rex liberaliter offerebat:Ipſe tamen nec filium quidem accipere voluit. Verè magna virtus,& pius animus. Vbi nũc inuenies qui hoc imitetur? Nobis longè alius animus eſt. Ideo autem accipere noluit, vt omnes viderent eum non propter lucrum pugnaſſe,ſed ex charitate, ad liberandos captiuos. Quàm paucos autem ſic bellantes inuenies? Secundò, ideo accipere noluit, quia ea bona pauperibus direpta erant:maluit igitur, vt eis reſtituerentur,quã vt ipſe hinc ditaretur. Tertiò,quia noluit eſſe obnoxius regi. Nihil enim, vt vulgo dicitur, carius emitur, quàm quod dono datur:tunc enim ſi nõ duplo repẽdas,ingratus iudicaris. hoc noluit Abram. Quartò, vt gloria ſoli Deo permaneret:Nihil,inquit,accipio à te. hoc enim poſſet redundare in iniuriam Dei,& nomen eius vileſcere. Non per induſtriam,inquit,meam diuitias illas acquiſiui,ſed ex beneficio Dei. Quòd ſi ego dona acciperem à te, omnes vicini dicerent: Ecce beneficio regis Sodomorum ditatus eſt Abram,& ſic auferetur gloria Dei, qui ſolus me ditauit. Vide quàm pium cor:non curat damnum ſuũ,vt Dei gloria permaneat. Quintò, vt etiam impiis oſtẽderet,ſe maius quiddam habere,quàm diuitias, ſimulq́; infideles arguat,qui omnem ſpem in diuitiis ponunt. quaſi dicat: habeo Deum,qui plus poteſt,quàm omnia mundi bona. Iurat autem, vt non dubitent eum ex animo loqui. Præterea etiam Deum coram infideli prædicat, quòd ſit dominus cæli & terræ:ſi fortè eum ad cultũ vnius Dei perducere poſsit. Summa, ex labore ſuo & opere charitatis, tantum ſumit victum pro militibus ſuis. Dignus eſt enim mercenarius cibo ſuo. Deinde tribus illis viris partes ſuas relinquit:Nam alia erat eorum ratio, illi nõ erãt ordinati, vt nomen Dei ſic prædicarent, Abram autẽ datus erat in exemplum omnibus gẽtibus vſque ad finẽ mundi: Ideo pro ſeipſo nihil accipere voluit. Verè inſignẽ virũ. Igitur ſi filii Abrahæ eſtis,opera Abrahæ facite. *Ioan*.8.

Caput decimum quintum.

His itaque transactis, factus est sermo Domini ad Abram per visionem dicēs: Noli timere Abram, ego protector tuus sum, & merces tua magna nimis. Dixitq; Abrā. Domine Deus, quid dabis mihi? ego vadam absq; liberis: & filius procuratoris domus meæ iste Damascus Eliezer. Additque Abram: Mihi autē non dedisti semen: & ecce vernaculus meus hæres meus erit. Statimque sermo Domini factus est ad eum dicens: Non erit hic hæres tuus: sed qui egredietur de vtero tuo, ipsum habebis hæredem. Eduxitq; eum foras, & ait illi: Suspice cælum, & numera stellas, si potes. Et dixit ei: Sic erit semen tuum. Credidit Abram Deo, & reputatū est illi ad iustitiā. Dixitq; ad eum: Ego Dominus qui eduxi te de Vr Chaldæorū, vt darē tibi terrā istā, & possideres eam. At ille ait: Domine Deus, vnde scire possum, quòd possessurus sim eā. Et respondēs Dominus: Sume, inquit, mihi vaccā triennē, & caprā trimā, & arietē annorū triū, turturem quoq; & columbā. Qui tollēs vniuersa hæc, diuisit ea per mediū, & vtrasq; partes cōtra se altrinsecus posuit: aues aūt nō diuisit. Descēderūtq; volucres super cadauera, & abigebat eas Abram. Cumq; sol occūberet, sopor irruit super Abram, & horror magnus & tenebrosus inuasit eū. Dictūq; est ad eum: Scito prænoscens quòd peregrinū futurum sit semen tuum in terra non sua: & subiiciēt eos seruituti, & affligent quadringentis annis. Veruntamen gentē cui seruituri sunt, ego indicabo: & post hæc egredientur cum magna substātia. Tu autē ibis ad patres tuos in pace, sepultus in senectute bona. Generatione autem quarta reuertentur huc: nec dum enim completæ sunt iniquitates Amorrhæorum, vsque ad præsens tempus. Cū ergo occubuisset sol, facta est caligo tenebrosa, et apparuit clibanus fumans, & lampas ignis transiens inter diuisiones illas. In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abram, dicens: Semini tuo dabo terram hanc à fluuio Aegypti, vsque ad fluuiū magnū Euphrátē. Cinæos et Cenezæos, Cedmonæos et Hethæos, et Pherezæos, Raphaim quoq;, & Amorrhæos, & Chananæos, et Gergesæos, & Iebusæos.

Quemadmodū è fonte largis fluēte riuis, etiam si oēs hauriant, non solum non imminuuntur fluenta, sed quanto plures sunt qui inde hauriūt, tanto magis aquarum natura scaturit: Ita etiam in patriarcha nostro fieri videmus. Multas enim hactenus virtutes audiuimus, sed

ſed nondũ finis:imo ſubinde maiora de ipſo ſcribit Moſes,narrationemq; de illo velut catenã auream contexit: nimirum omnibus nobis in exemplũ.Sic & in hoc capite hiſtoriam eiuſdem patriarchæ continuat, ſic incipiens:

His itaque tranſactis, factum eſt verbum Domini, &c.

Poſtquam, inquit,Abram magnũ illud opus charitatis oſtẽdit,captiuũ Loth aliosq; eruẽdo,inſignẽq; temperãtiã in eo quòd regis Sodomorũ dona contẽpſit,vt gloria victoriæ ſoli Deo permaneret · his,inquit,trãſactis,cũ ſe tã piũ in omnibus oſtẽdiſſet,ipſe Abrã,ſtatim adfuit De⁹, præmiaturus eius pietatẽ. Hic igitur videmus quod Deo placẽt ſancta & pia opera ſuorũ. Secũdo,quod Deus ſcit & videt bona opera noſtra,etiã ſi coram mundo occulta ſint.Pater,inquit,videt in abſcondito. Tertio,quod nullũ Deus bonũ irremuneratũ relinquit. Nõ igitur fruſtra laboramus,nõ fallit Deus,id quod hoc loco mõſtrare voluit,tantũ vt omnibus viribus pietati ſtudeamus,merces & remuneratio certa erit nobis. Amẽ,inquit,dico vobis, nõ perdet mercedẽ ſuã. Vide aũt mirã Dei dignationẽ & condeſcenſionẽ.Quod Chriſtus de ſeruis fidelibus in Euangelio dicit:Faciet illos diſcũbere,& trãſiens miniſtrabit illis:hoc fermè hic videm⁹:Primũ in eo quod Abrahe apparet.Secũdo,quod ei loquitur,nec qualitercũq;, ſed quàm familiariſsimè.Iã magnũ eſt vbi Deus hominẽ alloquitur:Imò nihil melius cõtingere poſſet,ſic nihil terribilius eſt,quàm vbi Dñs tacet,& verbũ ſubtrahit.Quod aũt Dominus toties Abrahæ loquitur,indicio eſt,quòd Abrã pius verborũ dñi auditor fuit,alioqui nõ toties eũ alloquio dignatus eſſet.Loquitur & nobis dñs,ſed vtinã tãta fide & deuotione ſicut Abrã ipſum verbũ ſuſciperemus.In viſiõe aũt noctis eũ alloquitur:tũc enim aptiores ſumus verbo Dei,nimirũ terrenis curis & negotijs aut tumultibus ſepoſitis.Quæ aũt hic loquitur Deus,admodũ conſolatoria verba ſunt,imò verè euãgelica, huiuſmodi enim verbis dignus erat, qui primũ illud verbũ admodũ durũ:egredere ſcilicet,&c.tã obediẽter impleuerat. Euãgelicæ eñ promiſsiões ad eos ſolos pertinẽt,qui ex toto corde ſe diuinis pręceptis mãciparũt:nõ ad leues illos q cũ totaliter vitijs dediti ſint,de euãgelio tantũ ſe iactãt.

Mat. 6.

Mat. 10.

Luc. 12.

Summa,

Summa, si vis vt Deus & tibi tam familiariter loquatur, cura vt sis Abram. hoc est, tam fidelis, tã obediẽs vt ipse.

Noli timere Abram, &c.

Sonare videntur verba, quasi Abram in aliquo timore fuerit, nec tamen exprimitur quis fuerit ille timor. Volunt igitur aliqui, quòd timuerit, ne accepta tanta victoria, totum iustitiæ præmiũ in hac vita accepisset, vt nihil illi expectandum esset in futuro. Sẽper enim timet iustus, cum prospera hic habet, ne in hac vita remuneretur, quẽadmodum diues ille, cui dictũ est: Recepisti bona in vita
Luc. 16. tua, &c. Vnde & Christus dixit: Vę vobis diuites, qui hic
Luc. 6. habetis consolationem vestram, væ qui ridetis nunc, &c.

Alij volunt, quòd timuerit, ne nimium fecerit in bello: In huiusmodi enim rebus facilè excedimus: piarũ autem mentium est ibi etiam culpam timere, vbi nulla est. Alij volunt quòd propterea timuerit, ne quatuor illi reges quos nocte oppresserat, iterum adunati in eũ irruerent. Hunc itaque timorem Dominus sua consolatione lenit, cum timere prohibet, & addit causam.

Ego protector tuus, &c.

Quasi dicat, Iam non semel accepisti protectionis meæ gustum: Primum in eo quòd propter te flagellaui Pharao
Gen. 12. nem regem Aegypti: Deinde, quòd me protegente, quatuor reges in manu tua fuere. Ergo & de cætero fidẽtior esto: qualis fui, talis adhuc sum & ero. Ego protector tu⁹, ego curam tui ago & agam. Non dicit: Angelus meus te custodiet, sed ego ipse. verè ingens promissio, magnaq; Dei condescensio. Quàm securus autem sit, qui Deũ ha-
Psal. 90 bet protectorem, psalmus nonagesimus indicat.

Et merces tua magna nimis, &c.

Non, inquit, te pœniteat, quòd non receperis spolia in re belli parta: Ego tibi maiora dare possum, nihil tibi deerit, quàm diu me habes. Deinde non graue videatur mihi obedire, Ego merces tua abunde laborem tuum remunerabo etiam in hac vita. Maximè autem in futura vita ego ero merces tua, non qualiscunque, sed magna nimis. Oculus enim non vidit, &c. quæ præparauit Deus timẽtibus se. Nec dicit, hoc vel illud tibi pro mercede dabo: sed ego ipse ero merces tua, omnia simul bona tibi communi-

municabo,& quàm diu ego Deus maneo,tã diu tua merces manebit,&c.Vere ingens promiſsio. Quis nunc dubitet,aut durum iudicet Domino ſeruire. Obſeruandæ ſunt hæ promiſsiones: multam enim efficaciam habent promouendi hominem ad bonum.Qui enim cogitat Dominum eſſe protectorem ſuum, facilè contemnet mundi mala,& qui futuram remunerationem attendit, non murmurabit de labore,ſciens nimirum,quod breuis eſt labor omnis huius vitæ,& modicus,ſi ad futuram remunerationem conferatur.Non enim ſunt condignæ paſsiones huius temporis ad futuram gloriam, &c. Quòd autem hæ promiſsiones ad omnes pertineant fideles, ex eo patet, quòd Chriſtus in Euãgelio fermè ſimilia ſuis ſequacibus promittit,vt cum dicit: Scit pater veſter cæleſtis, quòd his opus habetis.Item: Quid timidi eſtis,modicæ fidei? Et: Centuplum accipiet,vitamque æternam poſsidebit. Item: Qui mihi miniſtrauerit, honorificabit eum pater meus,&c.

Rom.8. *Mat.6.* *Idem 8.* *Mat.19.* *Ioan.12.* *Gen.3.*

Domine Deus quid dabis mihi? &c.

Et hic videmus,quàm beatus ſit,qui Deum habet propitium.Cũ enim alias Deus terribilis peccatoribus,adeò vt Adam vel ſola voce eius audita ſe abſconderit & fugerit:vnde & Moſes dicit Deũ eſſe ignem conſumentem.& Nahum: ante faciem,inquit,indignationis eius quis ſtabit,&c. Hic tamen Abram Deo aſtat,cum eo loquitur, audit reſpondentem:nullus hic terror aut timor:ſed merã gratia & charitas. Quis tam impius, qui non & ſibiipſi hæc optaret? Atqui etiam nos ad hoc pertingere poſſumus. Appropinquate Deo, inquit Iacobus,& appropinquabit vobis.Et Deus ipſe: Conuertimini ad me,& ego conuertar ad vos.Et Chriſtus: Nõ vultis,inquit,venire ad me,vt vitã habeatis.quaſi dicat:vobis imputate.Vide aũt,quàm reuerenter Abrã Deum alloquatur:bis enim in Hebræo dominum eum nominat.ſic enim habẽt Hebræi: Domine,Domine. apud nos autẽ Dominum & Deum nominat.Dominum,quia paratus erat obedire:Deũ autem, in quo omnem ſpem repoſuerat.Non tam reuerenter primus homo Deum alloquebatur:quamuis enim dominum eum nominaret:Vocem,inquit,tuam audiui Domine,tamen

Gen.3. *Deut.4.* *Nahum.1* *Iacob.4.* *Zach.1.* *Ioan.5.* *Gene.3.*

men tantũ ſemel Dominũ appellat, item tantũ Dominũ, non etiam Deũ appellat, Multo irreuerẽtius Cain impius
Gen. 4. Deum alloquitur, qui nec Dominũ, nec Deũ eum nominat, ſed abſq; vlla reuerentia: Nũquid, inquit, cuſtos fratris mei ſum ego? Cæterum quod Abrahã in hæc verba prorũpit, vt diceret: Domine Deus: ex magna admiratiõe diuinæ dignationis: itemq; ex magna dulcedine, animiq; iucunditate, quã ex tantis promiſsionibus ſenſerat, prouenit, id quod & Thomæ apoſtolo cõtigit, cũ viſo domi
Ioan. 20 no poſt reſurrectionẽ exclamaret: Dominus meus & Deus meus. Quod aũt ſubdit Abrã: Quid dabis mihi? nõ eſt diffidentis animi, ſed cõtriti & humiliati cordis, & cũ nimia humilitate Dominũ cõſulentis: videlicet, vt flebili queſtione pulſatus Deus certius quid reſpõdeat de ſuperiori promiſsiõe ſperãdæ ſucceſsionis. Nã dictũ ſupra fuerat: Faciam te in gẽtem magnam. Et ſi quis poteſt numerare multitudinẽ terræ, ſemen quoq; tuum numerare poterit. Hoc aũt nondũ ſatis certum erat, an ex ſuo ſanguine, vel aliunde hæredes habiturus eſſet, cũ adoptiui poſsint filij vel hæredes, ſeminis æquiuocatione ſignificari. Itaque quaſi proprij ſeminis definitionem efflagitat.

Ego, inquit, vadam abſque liberis, &c.

Hic tandem occaſionẽ nactus, Deo aperiet cor & deſiderium ſuum. Duo quędã angebant eius animum. Primũ, quòd ſobole carebat. Alterum, quòd timebat, ne ſi ipſe interiret ſine filiis, promiſsio illa de futuro ſemine Chriſto, benedictioneq; per ipſum futura interiret. Magis enim ſolicitus erat pius homo de ſalute totius generis humani per Chriſtum fienda, quàm de hærede ſibi in tẽporalibus ſucceſſuro: nec admodũ curabat, ad quẽ ſua bona deuoluerẽtur, ſed ne irrita fieret ſalus promiſſa toti mundo. Obſerua autẽ, quòd non dicit: moriar ſine liberis, ſed vadam. hi enim qui hanc vitã in virtutibus egerunt, quando ex hac vita emigrant, vere liberantur, quaſi ſoluantur à certaminibus, & à vinculis relaxentur. Eſt enim mors his qui bene viuunt, tranſlatio quædam ad meliora, à momentaneã & miſera vita ad perpetuam & beatam.

Et filius procuratoris mei iſte, &c.

Decurtatè loquitur, more eorũ qui dolore aliquo anguntur.

guntur. Duplicem auté habet sensum. Primò, quasi dicat, procuratori meo dedisti, quod mihi denegasti, filium scilicet. Secundo, quasi dicat: quia proprio filio careo, cogor filium serui hunc adoptare. In hoc autem nō accusat Dominum, sed tacite eum admonet promissionis factæ. Deinde doloré suum ei aperit qui adiuuare potest. Nihil tamen expressè petit, sed omnem rem tacitè Deo cōmittit, quemadmodum & Centurio ille Euangelicus contentus dixisse: Domine, seru⁹ meus iacet paralyticus, residuū commendat, num velit saluare eum. Præterea Abrā hoc verbū admiratiuè dixit, quasi dicat: verè mirabiliter mecum agis, aliis filios das, quibus nihil promisisti: mihi cui multa promisisti, non das filios. Ité: Multa mihi bona dedisti, & quod maximè desydero, sine quo alia iucūda nō sunt, non das. Sic verè etiā nunc Deus mirabilis est in sanctis suis: plerunq; enim etiā impiis dat quæ suis negat, vt diuitias, sanitatem, scientiam. Ité interdum quod maximè desideramus, nō dat, cum interim plura alia cōcedat. Omnia tamé propter nos facit: ipse scit quid nobis cōducat. Mat. 8. Psal. 67.

Non erit hic hæres tuus, sed qui egredietur, &c.

Statim adest Deus, nec sinit iustum diutius cruciari, sed cōsolatur verbis primum: deinde etiā desiderium eius implet: Prope est Dñs his qui tribulato sunt corde: itéq; omnibus qui inuocant eū in veritate. Nō potest enim nō exaudire oratiōes iustorū ad Dei gloriā pertinétes. Nō, inqt, erit hic hęres tuus, sed qui egredietur de vtero tuo, &c. hoc cupiebat Abram audire: Ideo Deus ei cōdescendit. Ex hoc auté verbo discim⁹ ad quos hęreditas & promissiones Abrahæ pertineant, nō ad seruos, sed ad filios tantum: quéadmodum & Christus dicit: Seruus nō manet in æternum: filius auté manet semper in domo patris. Serui sunt, qui vel timore pœnæ, vel spe præmij operantur, aliàs non operaturi: filij autem, qui ex amore operantur. Psal. 33. Psal. 144 Ioan. 8.

Suspice cælum, & numera stellas, &c.

Nō solū verbo, sed etiam signo eū certificat. Quia em in magna aīturbatiōe erat iustus, magna etiā opus habebat cōsolatione, quam & abunde pręstat Deus, vt verè dicere potuisset: Secundum multitudinem dolorum meorum in corde meo cōsolationes tuę lętificauerunt animam meā. Psal. 93.

Eduxit

Eduxit autem eum vel ſecundum literam, vel in viſione, quod videbatur ipſi Abræ, quaſi eum educeret. Promittit autem ei hoc loco nedum naturā, ſed etiam gratiam, nedum filios, ſed glorioſos filios, nedū multos, ſed etiam claros: quare hæc promiſsio longe maior eſt, quàm præcedens: hęc enim ad ſolos electos pertinet, ad eos ſcilicet qui fidem Abrahę imirantur. Superior autem promiſsio,
Gen. 13. vbi dicit: Si quis poteſt puluerem terræ numerare, numerabit & ſemen tuum, ad carnales pertinet, qui ſecundum naturam tantum, non ſecundum fidē & promiſsionem filij Abrahæ ſunt, quales ſunt Iudæi obſtinati. Pulchrè autem carnales filij Abrahæ pulueri terræ comparantur, tū quia tantū terræ inhiant, terreniſq; promiſsionibus: tum quia ſicut puluis leui vento hinc inde proijcitur: ſic apud
Pſal. 1. impios nihil ſtabile, firmū, ſed omnia vana, caduca, & ipſi & ea quæ ambiunt. Iuſti autem & ſpirituales filij Abrahæ ſtellis cęli cōparantur. Primo, quia ſtabiles & fixi ſunt, nō in terra, ſed in cælo, nec vllo vento aut tempeſtate deij-
Matt. 7. ciuntur, fundati enim ſunt ſuper firmam petram. Secūdo ſtellis comparantur, propter multitudinem. Sicut enim nemo ſtellas numerare poteſt, præter ſolum Deū, qui ſo-
Pſal. 146 lus multitudinem earum numerat, & omnibus ipſis nomi
1. Cor. 15 na vocat: Sic nemo nouit electorum numerum, niſi ſolus Deus. Tertio, propter differentiā. Sicut enim ſtella à ſtella differt in claritate, ſic & pij in gratia & cognitione, aliiſq; donis. Quarto, propter lucem. Pij enim lucent vt
Phil. 2. luminaria in firmamento cæli. Vnde & à Chriſto dicun-
Mat. 5. tur lux mundi, & iubentur lucere coram hominibus, &c. cum impij ſint tenebroſi, &c. Quinto, propter altitudi-
Phil. 3. nē, quòd etiam nunc corpore in terra conuerſantes, animo tamen in cælo conuerſantur. Studeamus igitur, vt inter eos Abrahæ filios numeremur, qui ſtellis cæli comparantur: non eis qui ſimiles ſunt pulueri terræ.

Credidit Abram Deo, & reputatum eſt, &c.

Etiam in præcedentibus promiſsionibus Abram credidit Deo: alioqui nunquam egreſſus fuiſſet de terra ſua. Hic tamen potiſsimum Moſes fidem eius commendat, verè enim magna & miranda fides fuit hic, quod cum ſenex eſſet, & vxorem ſterilem & vetulam haberet, credidit tamen

men Deo promittenti filium, contra naturam contra rationem, contra sensum humanum, vel vt Paulus ait, cõtra spem in spem credidit, Deo gloriam dedit, seipsum rationemque propriam captiuauit. Hanc tam insignem fidem cõmendare voluit Moses posteris in exemplum: imò nedum Moses, sed & Deus ipse hanc fidem magni æstimauit; Reputatum est, inquit, ei ad iustitiã, hoc est, Deo placuit: adeò vt propter hãc fidem iustus esset, & reputaretur coram Deo. Sicut igitur Adæ incredulitas reputata est ei ad iniustitiã: sic huius credulitas reputata est ei ad iustitiã Ex hoc dicto Paulus arguit, iustificationẽ non contingere ex operibus, sed ex fide. Loquitur autem non de qualicunque fide, sed ea qualem habuit Abram. Meritò autem fidei iustificatio tribuitur. Ipsa enim maximè Deum glorificat, cùm ei veritatem, bonitatem, iustitiam, potentiam tribuit, nobis ipsis autem mendaciũ, peccatũ, iniustitiam, impotentiam: Qui autem Deum glorificat, à Deo iterum glorificatur. Deinde etiam ideo iustè fidei tribuitur iustificatio, quia fides est radix omniũ bonorum. Ex ipsa enim primò oritur spes, postea etiam charitas. Qui enim credit Deum bonum & veracẽ esse, incipit bene de ipso sperare, imò & ipsum quoq; diligere. Ex dilectione deinceps bona opera sequuntur. A fide igitur incipiendum est spirituale ædificium, ac primò cogitandũ, quòd Deus gratiam promisit, non ex meritis hominis, sed ex mera misericordia, & propter Christi passionem & mortem. In hanc Dei misericordiam omnis spes ponenda est, & ex ea fiducia, confessio, oratio, ieiunium, aliaque pœnitentiæ opera perficienda: tunc enim etiam nobis reputabitur hæc fides ad iustitiam, &c.

Rom. 4.

In epistolis ad Roman. & Galat.

Rursumque dixit Dominus: Ego sum Deus, &c.

Iam credebat Abraham: iam per fidem iustificatus fuerat: adhuc tamen Deus alijs verbis fidem eius cõfirmat. Primo, ne iterum languescat. Secundo, vt insuper augeatur, & crescat. Nulla enim fides tam magna, quę non languescere posset: nec aliqua fides tam magna est, que non possit crescere. Vnde Apostoli: Domine adauge nobis fidem. Vnde & Paulus frequenter monet, vt in fide & *Luc. 17.*

cognitione Christi crescamus. Patet igitur ex hoc loco, quod etiam credentes opus habent quotidiana cõfirmatione ex verbo Dei. Cõtra eos qui cũ somniauerũt se habere fidem, ex toto negligunt verbum Dei & scripturam, quasi nihil his opus habeant. Duo autem Deus hic Abrahæ cogitanda inculcat. Primò, vt cogitet, non hominem esse, sed Deum, qui semen ei promiserat. Secundò, vetera ei beneficia ad memoriam reuocat, vt firmius credat. hæc duo etiam nobis consideranda sunt: mirum enim in modum confirmant fidem.

Domine Deus, vnde scire possum, &c.

Quia semel cum Deo loqui ausus fuerat, idq; bene cesserat: rursum hoc attentat, sed cum debita reuerentia, humilitate, & timore, sicut prius: iterũ eum nominat Dominum & Deum. Quod autem signum petit, non incredulitatis est, sed per hoc tanquam pius pater futuris filiis prouidit, ne fortè peccantibus illis, pœniteret Deum huius suæ promissionis: idcirco in promissione aliquod sibi dari optauit firmamentum fixæ stabilisque veritatis, & quasi interpositionem iuramenti, quasi dicat: nõ de te dubito, sed de me posterisque meis, ne fortè te ad iracundiam prouocantes, indigni reddamur hac tua promissione. Vnde igitur scire potero, quòd posteri mei hac promissione non indigni futuri sint? Vide pium animũ, quàm solicitus sit pro posteris, ne benedictioné Domini perdant. Summè desiderabat audire, posteros suos in fide permansuros. Vel aliter: Sciebat Abram, quod sicut Deus bona sua dat piè viuentibus: sic ea aufert impiè viuentibus: ideo quærit, quid ipse & posteri sui facere debeant, vt terram promissam, & semel acceptam retinere possint.

Sume vaccam triennem, & capram, &c.

Non differt Dominus, sed sponte offert, quod fidelis amicus optabat quidem, sed petere non audebat. Sic enĩ
Psa.146 Deus vbiq; piis cõdescẽdit, iuxta illud Psalmi: Volũtaté timentiũ se faciet, &c. Quanquam autem obscura, imo ridicula videantur quæ hic dicuntur, non tamen contemnenda sunt: imò & diligentius perscrutanda. Non sine
Ioan. 5. causa enim Christus dixit: Scrutamini scripturas.

Scriptura

Scriptura enim sacra plerumque sub verbis humilibus ingentia mysteria continet, id quod hic videbimus. Primò enim, cùm infra dicatur: In illo die pepigit Dominus fœdus cum Abraham, apparet quòd quæ hic dicuntur, nihil aliud sonant, quàm quo ritu aut modo Deus fœdus pepigerit cum Abraham. Tradunt autem hunc morem fuisse Chaldæorum in paciscendis fœderibus: Solebant diuidere taurum vel porcum, & hi qui fœdus inibant, solebant transire per diuisum taurum: in vnum latus vna pars, in alterum alia ponebatur: & imprecabátur sibiipsis talia: Qui prior fœd⁹ soluerit, sic à Deo occidatur ac diuidatur, &c. Tale quiddam etiam apud Romanos in antiquis fœderibus paciscendis inuenitur: tunc enim fecialis porcam silice aut saxo feriebat, imprecans vt sic feriretur à Ioue, qui prior fœdus soluisset. Ob hác causam etiam hic iubetur Abram animalia diuidere, nec vnũ tantũ, sed multa, vt firmius esset fœdus. Deinde ipse Abram transiuit inter partes: item trãsiuit etiam ignis, qui Deũ significabat: adeò Deus in omnibus se accõmodauit fragilitati humanę ꝓpter immensam misericordiã suam. Hoc erat certũ signũ quòd Deus fœdus cum Abram & eius posteritate percusserit, quo certi esse possent, ipsis terrã dandam Chanaan. Quod aũt iubetur animalia accipere, non vltra nec infra tertium annũ, latẽter subindicauit fœdus hoc Dei, cũ carnali posteritate Abrahæ, de posidẽda terra Chanaan, tãtum tria tempora duraturũ nõ vltra. Primum tẽpus ab Abram vsq; ad Mosen: Secundum, vsq; ad Dauidẽ. Tertiũ vsq; ad Christum: non enim vltra hoc tertium tẽpus seruauerunt terrã illã: nec mirum, tunc enim ipsi fregerunt fœd⁹ Christũ abiiciẽdo & crucifigẽdo, quare De⁹ nihil eis amplius obligatus erat, sed fœdus suum ad alios transtulit, ad spirituales scilicet filios Abrahę, &c. Secundò per ea quæ Abram hic iubetur facere, prę ostẽdere ipsi voluit Deus, quid circa posteros eius futurum esset, antequam terram promissam acquirerent. Animalia tantùm signabant posteros Abrahæ. Quòd animalia partim fuerunt terrena, partim cælestia, vt turtur, signabat, quòd in populo illo & boni & mali futuri essent.

Quòd ea animalia iussit sumere, quæ hoĩbus seruiũt,

ſignabat ſeruitutem poſterorum Abrahæ in Aegypto: Quod omnia trima ſunt, ſignabat per tres generationes, ſeruitutẽ illam duraturã, vel propter tres patriarchas, à quibus populus ille Dei nominatus fuit, trima accipi iubentur. Turtur quæ in deſertis habitat, ſignabat populum illum ad tempus in deſerto commoraturum. Columba autem quæ in domibus nidificat, quod poſtea in ciuitatibus habitaturus eſſet populus ille. Quod animalia diuiſit, volucres autem non: ſignabat carnales diſſenſionibus & ſeditionibus diuidendos in deſerto: pios autem in vnitate permanſuros. Aues ſuper cadauera irruentes, Aegyptios ſignabãt, perſecuturos ſemen Abrahæ. Quòd Abram aues abigebat, ſignabat propter fidem & promiſsionẽ Abrahę factam Iſraelitas liberandos. Quòd ſopor irruit in Abram, ſignabat ipſum in pace ad patres reponendũ. Quod autem poſtea horror eum inuaſit, ſignabat magnas anguſtias paſſuros poſteros ſuos. Tenebrę autẽ ſignificant tãtam futuram tribulationẽ, vt fermè fides promiſsionis extinguatur. Omnia hæc Deus Abrahæ prius ſignis, poſtea verbis prædicere voluit, ne dubitarent de promiſsione, ſi non ſtatim impleretur, aut contrarium videretur. Tertiò, per hæc quæ Dominus hic pręcipit, oſtendere voluit, quomodo poſteri eius terram promiſſam diu retinere poſſent: nẽpe per cultũ Dei, qui quamuis potiſsimum in ſpiritu conſiſtat, fide ſcilicet, ſpe, & charitate: tamen etiam externum cultum exigit. Ideo animalia ei oſtẽdit, quę ipſi & poſteri eius immolare debeant. quaſi dicat: Cole Deum, & manebit vobis terra perpetuò. Quartò, per duas illas partes diuiſorum animalium, & vnam columbam, præfiguratum fuit, duos populos per mortem Chriſti & ſpiritum ſanctum adunandos, verumq; fœdus Dei ad hoĩes in morte Chriſti ſanciendũ. Allegoricè autẽ per hoc quod animalia illa partim fuerũt terrena, partim cęleſtia, prępfigurata eſt duplex vita: Actiua ſcilicet & Cõtemplatiua. Animalia diuiduntur, quia actiua vita circa multa ſollicita eſt. Aues aũt nõ *Luc. 10.* diuiduntur: quia vnũ eſt neceſſarium, quod cõtẽplatiui ſequuntur. Moraliter, qui certus vult eſſe de adipiſcenda ꝓmiſsionis terra, accipiat primò vaccam .i. humilitatẽ

quæ

quę per vaccam iugo assuetam significatur. Ea humilitas sit trima, erga superiorem scilicet, inferiorem, & æqualé.

Secundò, sumat capram. i. pœnitentiam, quę trima sit, id est, tribus partib⁹ cóstat, cótritióe, cófessióe, satisfactióe.

Tertiò, accipiat arieté, fortitudiné, quę & ipsa triplex sit vt scilicet patiéter ferat côuitia, damna rerũ & corporis.

Quartò, accipiat turturem, castitatem scilicet.

Quintò, Columbam quæ sine felle est, id est, charitaté. Sciat autem volucres descensuros, hoc est, dæmones im pedituros bona ipsius incepta. Abrã igitur, id est, fidelis quisque vigilet, obseruet, oret, curet vt mundum maneat sacrificium, abigat malas cogitationes, resistat diabolo.

Scito prænoscens, quòd peregrinum futurum, &c.

Quod supra externo signo præmonstrauerat, hic verbis etiam exprimit, quid scilicet circa ipsum Abram & posteros eius futurum sit, Prędicit autem ei læta & aduersa, vt sciamũs omnia à Deo pendere. Deinde, vt discamus, quomodo Deus cum suis agat: nempe quod nec semper læta, nec semper aduersa eis dat: sed vtraq; permiscet, ne si omnia læta essent, superbirent, aut si omnia tristia essét, desperarent. Prius autem prædicit mala, quàm prospera. Sic enim semper tentatio pręcedit liberationé, labor mercedé, mors vitam, crux gloriam. Nõ coronabitur, inquit, Paul⁹, nisi qui legitimè certauerit. Quatuor aũt mala pdicit posteris Abrahę euẽtura. Primo, peregrinũ, inquit, erit semé tuũ in terra nõ sua. Sic peregrin⁹ fuit Isaac, Iacob, Ioseph: demũ oés de stirpe Iacob. Vnde Pharaoni dicebãt: Ad peregrinandũ in terrã tuã venimus. Secũdò, seruituti subiiciẽt: & hoc primò impletũ est in Ioseph, postea in omnibus filiis Israel, vnde dicebãt Aegyptii: Cur dimisimus Israel, vt nõ seruiret nobis? Tertiò, malè tractabunt nos. Quàm veraciter hoc impletum fuerit, Exod⁹ abundè docet. Quartò, annis quadringétis, inquit, nõ breui, inquit, tépore, sed lõgo admodum hæc patientur. Ideo auté tam diu distulit eis dare terram promissam, partim quia nondum cóplctæ erant iniquitates Amorræorum: partim vt nos disceremus, quomodo De⁹ pmissiones suas impleat. Primò enim nõ statim nos implet: sed differt, vt fidé probet. Sic diu distulit Christum promissum mittere, &c.

2. Tim. 2.
Gen. 47.
Exod. 14.
Exod. 1. & 2.

Deinde cùm tempus implendi adeò eo modo incipit, vt nihil minus videatur secuturum. Hęc pręmonuit Abram iustum, posterosq; eius, imò & nos ipsos, ne desperemus, si videamus promissiones differri: imò pmissionibus cõtraria fieri. Hæc est enim natura Dei, sic semper egit. Cæterùm quadringenti illi anni, non referendi sunt ad tempus quo fuerunt in Aegypto: non enim tam diu ibi fuerunt: Addẽdi igitur sunt hi anni quos Isaac habuit ante natiuitatẽ Iacob, & quos Iacob habuit ante ingressum in Aegyptum. A natiuitate igitur Isaac incipiẽdi sunt hi anni, terminati aũt fuerũt ingressu ex Aegypto: toto enĩ illo tẽpore semẽ Abrahę peregrinatum est in terra nõ sua.

Obserua etiam piam Abrahę mentẽ, qui cum tanta mala audiret posteris suis euentura, tamen non obmurmurabat Deo, non iudicia eius accusat, sed tacet, Deoq; gloriam dat, ipsi omnia permittit.

Gentem autem cui seruituri sunt, ego iudicabo, &c.

Hic læta intermiscet tristibus. Primò autem pollicetur se iudicẽ futurum: quo verbo indicat etiã eos quos nemo arguere audet, nõdum euasisse: sed suũ iudicẽ habituros, *Sap.5.* eumque iudicem qui fortior ipsis sit: quare non est quod superbiant potentes, id quod pulchrè monet Sapiens.

Videmus item, hoc verbo Deum esse vindicẽ suorum: Sic enim nedum hic, sed alibi quoq; promisit: Qui tangit *Zach.2.* vos, tangit pupillam oculi mei. Itemq;: Mihi vindictã, &c.

Non est igitur, quòd persecutoribus nostris mala imprecemur: imò potius eis misereamur: vt quibus certa & grauissima imminẽt mala. Quod autẽ hic cõminatus est persecutorib⁹ seminis Abrahæ, manifestè impletum videmus in Aegyptiis, quos cum decem magnis plagis frustra *Exod.14* percussisset, tandem omnes in mari submersit. Impletum etiam est illud quod subditur: Tunc egredientur cum magna substantia. Ex pręcepto enim Domini, vasis aureis & *Exod.12.* argenteis mutuò acceptis spoliauerunt Aegyptios.

Quicquid autem hic impletum diximus in carnali semine Abrahæ, hoc idem etiam nunc contingit in spirituali eius semine, id est, in quibuscunque fidelibus. Primò enim quamuis ipsis promissum sit regnum, non tamen statim illud accipiunt, sed primò peregrini sunt, seq;

tales

tales agnoſcunt, ac cum pſalmo dicunt: Ego ſum aduena & peregrinus apud te, &c. Deinde etiam ſeruituti ſubiiciuntur à malis. Præterea, plerunque malè tractantur, id quod videmus in Chriſto & Apoſtolis aliisq; martyribus: hæc autem non breui tempore patiuntur, ſed longo: imò nõnunquam tota vita præſenti. Ideo etiam Chriſtus ſuos præmonuit, hæcq; prædixit, vt non ſcandalizarentur. Contra huiuſmodi autem multa duplicem conſolationem habemus. Prima, quòd Deus nos vindicabit. Secunda, quod exibimus cum gaudio & magna ſubſtantia, & talibus theſauris, quos nec erugo, nec tinea demoliri poteſt, nec fures auferre. Opera enim illorum ſequuntur illos. Econtra impii egrediuntur hanc vitam cum magna miſeria & paupertate. Ioan. 16. Apoc. 14

Tu autem ibis ad patres tuos in pace, &c.

Hoc verbo etiã ipſi Abrę prædicit, quid ipſi in perſona ſua futurũ, adeò curat Deus pro iuſto, adeò ipſi placet pius animus. Singula aũt verba Emphaſim habẽt. Primò enim nõ dicit: morieris, ſed mitius ei loquitur: tu, inquit, ibis. Verbũ eñ moriẽdi, vel mortis terrorẽ habet. Vnde & Deus impios per hoc terrere cõſueuit. Sic Adæ dixit: In quacunq; hora comederis, morte morieris. Sic in Ezechiele: Aĩa quæ peccauerit, morte morietur. Iuſto autem dicitur: Tu ibis. quo verbo innuit, mortẽ ipſi nõ futuram terribilẽ: imo ipſum nõ guſtaturũ vim mortis. quẽadmodum in Euangelio Chriſtus dicit: Qui ſermones meos ſeruauerit, mortẽ nõ guſtabit in æternũ. Summa, iuſtis mors nõ eſt mors, ſed tranſitus ad meliorẽ vitam. Deinde, ibis, inqt, ad patres tuos, id eſt, cõnumeraberis inter electos, & hoc ingens promiſsio eſt. Addit: In pace, quod dupliciter intelligi poteſt. Primò, de pace externa, vt ſit ſenſus: Tu non videbis mala, quę ſemini tuo vẽtura prędixi. Secundo, intelligi poteſt de pace cum Deo, q̃uis enim pax vera, & recõciliatio hominis cũ Deo nondũ perfecta eſſet: nondũ enim Chriſtus venerat: tamen quia Abram Chriſtũ promiſſum iam vlnis fidei apprehẽderat, verè in pace iturus erat, nõ minus quàm Simeõ, qui Chriſtum in vlnis corporalibus tenebat. Addit adhuc: in ſenectute bona ſepelieris. Mundus ſenectutem bonam dicit, Gen 2. Ezech. 18 Ioan. 8. Luc. 2.

& esse putat diuitiis abundare, in luxu & crapula viuere, &c. Non sic autem hoc loco accipitur senectus bona, significat senectutē piam, in timore Dei perfectā, in bonis perseuerantem, non remissam & pigrā, vt in cæteris, &c. Vide quanta hoc breui verbo Abrahæ promittit. Verè inter summa & maxima bona huius vitæ est in bona senectute, & in pace mori, atq; ad patres trāsire: hoc omnibus piis summè optandum est, vt benè concludant vitā hanc. Ad hoc autem multum prodest, si à iuuētute in bonis ac piis operibus exerceamur, &c.

Quarta generatione reuertentur huc, &c.

Iterum redit ad posteros Abrahę, sciebat enim eū multū sollicitū pro posteritate sua. In Exodo videmus impletū quod hic prædixit: Quarta enim generatione peruenerunt ad terrā promissam: Leui siquidē cum patre Iacob intrauit in Aegyptum. Leui genuit Caath, Caath genuit Amram, Amram genuit Mosen & Aaron, in hac tertia generatione egressi sunt ex Aegypto, sed non peruenerunt in terram promissam. Aaron genuit Eleazar: Is cū Iosuę populum introduxit in terram promissam. Sic & nos quarta generatione perueniemus ad patriam nostrā, scilicet post tempus legis naturæ, post tempus legis scriptæ, post tempus Euangelii. In hoc quidem tertio tēpore egressi sumus, sed adhuc sumus in deserto: prope autem est tempus gloriæ, tunc intrabimus.

Nondum enim completæ sunt iniquitates Amorræorum, &c.

Poterat Abram apud se cogitare: cur nō modo sibi daret eam terrā: huic tantę quæstioni respōdet hoc verbo. Implere autem peccata, est incessanter peccare, sine omni timore, & obstinatè: item peccata defendere, nolle resipiscere, quod est peccatum in spiritum sanctū, quod nūquam dimittitur. Ex hoc autem verbo patet, quòd filii
Matt. 12. Israel, non propter suam iustitiam acceperunt terram illam, sed propter promissionem Abrahæ factam: & quia Chananæi meruerant exterminari, id quod Moses mani-
Deut. 9. festè dicit in Deuteronomio.

Deinde videmus hic Dei misericordiā, quòd etiā eos qui pœnam meruerunt, & quos diffiniuit perdere, tamen

adhuc expectat si fortè corrigatur. verè igitur dixit. No lo mortem peccatoris, &c. Præterea videmus hic Deū iustum esse, primùm in eo quòd nō punit circa demerita: secundò peccata impunita non finit, etiam si diu taceat. Ezech. 18

Insuper videmus ex hoc verbo, quicquid peccamus quasi in vnum cumulum & mensuram venire, vt mensura impleta, certum super nos cadat exitium. Non igitur leuia putemus esse peccata: quantulacunq; enim sint, tamē addunt aliquid ad cumulum. Denique videmus gratiam esse vbi Deus cito punit, per hoc enim cumulus peccatorum decrescit. Ecōtra autem magna ira est, vbi Deus diu differt & dissimulat: tunc enim cumulus subinde crescit & augetur, & ex consequenti etiam pœna. Demum in hoc verbo videmus, quòd sicut Deus nō patitur suos tentari supra id quod possunt, sic & impios ad certum terminum patitur & tolerat, quem transgredi nō possunt sine Dei punitione. Ideò autem nonnunquam peccata in summum crescere sinit, vt hinc discamus naturā nostram semper ad peiora tendere, nisi retineatur: deinde vt eo magis ostendat iram suam ad terrorem aliorum. Igitur cum omnes fateamur malitiā hominum hoc tempore ad summū peruenisse, meritò terrere nos debet hoc verbū. Si enim peccata nostra ad summum peruenerunt, certum est iudicium Dei non longè abesse: quare ad pœnitentiam conuertamur. Hoc etiam verbo curiositati hominum respōdet, qui semper quærunt, Cur Deus hunc tam diu impunè tolerat? &c. Respondet, Nondum impleta sunt peccata eius: non impunè faciet, expecta. Sic etiam differtur iudicium futurum & conflagratio mundi, partim quia nondum impletæ sunt iniquitates, partim etiam quia nōdum impletus est numerus electorum. Apoc. 6.

Cum autem sol occubuisset, facta est caligo, &c.

Simile quiddam etiam supra dixit, non sine causa tamē hic repetit, bis enim filiis Israel sol occubuit, bis fuerunt in igne & tenebris, bis deniq; liberati fuerunt: primū ex Aegypto: secundo ex Babylone. Caminus ignis tribulationem designat: sicut enim ignis vrit, comburit adulterina, purgat verum aurum, sic & tribulatio, &c. Ignis transiens per partes, significat Dei potentiam & bonitatē,

qua eis & in Aegypto,& in Babylone affuit potenter cõtra regẽs,benigniter quo ad ipsos. Sic & ecclesia fideliũ in exordio sui,terrorem perpessa est à persecutoribus,in fine autẽ mundi caminum ignis ferre cogetur: Erit enim

Mat. 24. tunc tribulatio maxima qualis nunquam fuit, &c. Cæterùm sicut Christus Ecclesiæ suæ affuit in prima persecutione,sic & in secunda aderit.

In illo die pepigit dominus fœdus cum Abram,&c.

Hoc est quod supra dixi diuisionem illam animalium nihil aliud fuisse,quàm externam quandam paciscendæ fœderis solennitatem.Hoc itaq; tam diligenter descripsit Moses,verè enim magnum est quòd Deus ita cõdescendit hominibus, vt nõ tantum promittat,sed & iuret, quasi teneri possit,si aliter facere prætendat q̃ promisit. Sic Moses cõmemoratione huius fœderis eum retinuit,

Exo. 32. ne populum perderet in deserto:Memento,inquit,domine Abram Isaac & Iacob,quibus iurasti dare terram,&c. Cæterùm cum dicit,Semini tuo dabo terram hanc. manifestè ostendit,quòd fœdus hoc potentissimum ad car

Gen. 17. nalẽ Israël pertinet, his enim promisit & dedit terram hanc.Infra autẽ aliud fœdus facit,quòd etiam ad spiritu ales filios Abrahæ pertinet. Ad maiorem autẽ certificationem ipsam terram describit & determinat, primò per latitudinem, A fluuio inquit Aegypti, &c. deinde per gentes quę eam terram inhabitant. Decẽ autẽ gentes hic nominantur,cùm Iosue tantum septẽ subegerit,reliquos autẽ reges Israel subegerunt.Vide autem hic iudicia Dei, alios expellit,alios introducit:Ipse transfert regna & po

Dan. 2. testates,&c. Itẽ aliud iudicium:Iam sententiam ferebat has gentes exterminandas,cùm ipsi interim lasciuirẽt nihil minus timentes.Itidem & nunc peccatores garriunt, nesciẽtes nec cogitantes quale interim iudicium in cælo super ipsos latum sit. Vidimus etiam nostris tempori bus plerasque gentes expulsas,& alias introductas, necdum tamen timemus Deum. Præueniamus igitur faciem Dei in confessione, virgamq; pia conuersatione & crebris orationibus ei extorqueamus. Sic enim in Ieremia

Iere. 18. dicit: Si pœnitentiam egerit gens illa, &c. agam & ego pœnitentiam,&c.

Caput

Caput decimumsextum.

IGitur Sarái vxor Abram non genuerat sibi liberos: sed habens ancillam Aegyptiam nomine Agar, dixit marito suo: Ecce conclusit me dominus ne parerem, ingredere ad ancillam meam, si fortè saltē ex illa suscipiā filios. Cumq; ille acquiesceret deprecanti, tulit Agar Aegyptiam ancillam suam post annos decē quàm habitare cœperant in terra Chanaan, & dedit eam viro suo vxorem: qui ingressus est ad eam. At illa concepisse se videns, despexit dominā suā. Dixitq; Sarái ad Abram: Iniquè agis contra me: ego dedi ancillam meam in sinum tuum, quæ videns quod conceperit, despectui me habet: iudicet dominus inter me & te. Cui respondens Abram: Ecce, ait, ancilla tua in manu tua est, vtere ea vt libet. Affligente igitur eam Sarái, fugā iniit. Cumq; inuenisset eam angelus domini iuxta fontem aquæ in solitudine quæ est in via Sur in deserto dixit ad illam: Agar, ancilla Sarai, vnde venis? & quo vadis? Quæ respondit: A facie Sarái dominæ meæ ego fugio. Dixitq; ei angelus domini: Reuertere ad dominā tuam, & humiliare sub manu illius. Et rursum: Multiplicans, inquit, multiplicabo semen tuum, & non numerabitur præ multitudine. Ac deinceps: Ecce, ait, concepisti, & paries filium, vocabisq; nomen eius Ismael, eo quod audierit dominus afflictionem tuam. Hic erit ferus homo, manus eius cōtra omnes & manus omnium cōtra eum: & e regione vniuersorū fratrum suorum figet tabernacula. Vocauit autem nomen domini qui loquebatur ad eam: Tu Deus qui vidisti me. Dixit enim, Profectò hic vidi posteriora videntis me. Propterea appellauit puteum illum, Puteum viuentis & videntis me. Ipse est inter Cades & Barad. Peperitque Agar Abræ filium: qui vocauit nomen eius Ismael. Octoginta & sex annorum erat Abram quando peperit ei Agar Ismaelem.

PErgit Moses etiam in hoc capite ipsius Abrahæ vitam describere, nō enim satis admirari potest pium eius animū. Deniq; cuperet eum omnibus in exemplū proponere, ideò tā diligēter singula describit. In hoc aūt capite admonitos nos esse oportet ne offendamur ex eo quod Abram viuēte vxore aliam duxit, ne quis etiam hoc in exemplum trahere velit, id quod quidam conantur, qui patrum historiis tantùm vtuntur in liberta-

libertatem carnis,& prætextũ vel velamen malitiæ.Non hic tantum attendendum quid Abram in hac re fecerit, sed quam ob caŭsam:non res tantum attẽdenda,sed persona. Abrahæ hoc licuit quia promissionem habuit,nobis non,quia non eandem promissionem habemus. Sic
Exo.12. Israelitis licuit spoliare Aegyptios,quia verbum domini habebãt:nobis nõ licet denegare quę mutuo accepimus.

Sarai uxor Abrahæ non pariebat, &c.

Magna grauitate & Emphasi hoc ponit Moses,quasi dicat,Quantumcunque Deus promitteret,Sara tamẽ nõ minus sterilis manebat quàm prius.Mirabilis Deus in operibus:Ideo tam diu differt,vt ipsi omnis gloria tribuatur quod factum non fuisset si fœcũda fuisset,aut in iuuentute peperisset:cum autem nonagenaria parit,nemo non Deo tribuere potest.Sic alias quoque suas promissiones differt donec omnia desperata videãtur,ne quid nostris concilijs aut viribus tribuamus,sed vt cum Dauide dice
Psal. 17. re cogamur:Dominus firmamentum meũ,liberator meus Deus meus,virtus mea,protector meus &c. Deinde videmus hoc loco quanta fuerit fides Abrahæ, qui decem iam annos expectauerat,vt infra dicitur:& ex tãtis totq; promissionibus nihil nisi nuda verba habebat, tamen nõ dubitabat,sed firmiter credidit. Non sic faciunt carnales,sed cùm non statim vident impleri quæ promittuntur aut comminantur, putant dolum & circumuentionẽ esse mendacii,arguunt prædicatores.Sic Ieremiæ conti-
2. Pet. 3. git.Sic & apud Petrum impii dicunt : Vbi est promissio & aduentus eius? &c. Pii verò constantissimè credunt quæ Deus loquitur,nec vnquam à spe & expectatione excidunt.Sciunt enim etsi nõ vni,at alteri impleri promis-
Rom. 3. siones Dei, Deus enim verax est.Imò etiam si ipsi interim corpore pereunt, sciunt hoc esse ad gloriam Dei: Siue e
Rom. 14. nim morimur siue viuimus, domini sumus . Præterea videmus hic etiam mansuetum huius iusti animũ:Non improperat illi sterilitatẽ,nõ eo minus amat eam,nõ ipsi adscribit sterilitatem, sed Deo: patienter tolerat hanc eius indispositionem,qualem eam Deus ei dederat,talem retinet & contentus est, reliqua Deo cõmendat. Alius nunquam non illi improperasset sterilitatis vitium,imò se ab

ex se-

ea separasset: hic nihil tale nec cogitat, &c. Hinc igitur discant coniuges mutuos defectus inuicem tolerare, sic enim manebit charitas.

Ecce conclusit me dominus vt non pariam, &c.

Etiam ipsa Sarai probam & piam se ostendit: Primo enim non impatienter fert sterilitatem, quemadmodum infra de Rachaele dicitur: nec quicquam asperum contra Deum loquitur. Non deplorat sterilitatem suam, nec alijs inuidet fœcunditatem. Pro magno quidem dono filium accepisset, verum quia Deus non dabat, iudicabat se indignam, boniq; consulebat quomodocunq; Deus promissionem suam impleret. verè pius animus. Et hinc igitur discamus nos diuinæ voluntati attemperare, vt verè possimus dicere, Fiat voluntas tua. Deinde, veram etiam charitatem erga maritum ostendit, plus enim de ipsius orbitate, quàm de sua sterilitate solicita erat. Egrè ferebat propter suam sterilitatem tantum virum gaudio filiorum benedictioneq; Dei priuari, tãtasq; Dei promissiones irritas fieri. Itaque sui ipsius oblita omnibus modis hoc agit, vt Dei promissio propter ipsam nõ impediatur: itéq; vt iustus solatio suo quod ex filijs habere posset non careret. Igitur vt Dei promissio impleatur, ipseq; iustus successorem habeat, ius suum ancillæ concedit, viroq; permittit vt ancillam in vxorem ducat: imò ipsa vxorem ei dat, ac omnibus modis persuadet vt consentiat: Ecce, inquit, conclusit me dominus. quasi dicat: Scio quòd ego in causa sum quòd nõ habes filios, vides item & tu quod frustra ex me filios speres, video quod promissiones suas per me non implere velit Deus, nec id ægrè fero, mihi enim nihil adhuc promisit, ipsum scio esse autorem naturæ, qui facilè tollere posset sterilitatem: quod quia non vult, fiat voluntas ipsius. Non multum refert ego pariam nec ne, multum autẽ refert vt tu filios habeas; hoc enim non nostra tantum refert, sed totius mundi. Ex semine enim tuo non meo promissus est, qui benedictionem omnibus gentibus afferat. Ingredere igitur ad ancillam, sic enim nedum tu habebis filios, sed etiam ego ex ipsa ædificabor. Cũ enim mea sit ancilla, quicquid pepererit meũ erit (sic enim olim partus seruorum & ancillarum ad dominos

Gen. 30.

Matt. 6.

minos pertinebant, poterantq; eiectis seruis & ancillis filios earum retinere.) Hoc fuit cõsilium sanctæ illius mulieris: In quo primò videmus ipsius fidẽ & pietatem erga Deum, quòd suæ ipsius dignitatis oblita hoc agit, vt Dei promissio impleatur. Secundò videmus eius prudentiá, quòd nõ extraneam marito vxorem dat, sed ancillam: vt vel sic natos filios etiam sibiipsi adscribere possit. Tertio videmus in hoc ipsius humilitatẽ, quòd spõte iuri suo cessit, ac honorẽ suum alteri cõcessit, ancillamq; sibiipsi æquauit imò prætulit, propter quod & postmodum eam mirabiliter exaltauit Deus & honorificauit: Qui enim se
Luca.18. humiliat exaltabitur. Quarto videmus in hoc verã ipsius erga maritũ dilectionẽ. Quinto videmus in hoc eius castitatem, quæ cum videt se concipere non posse, nec virum amplius appetit. Summa, quamuis alias pauca de ipsa scribat Moses, ex hoc tamen vno facto apparet quàm pia & sancta fuerit mulier. Nihil igitur in hoc facto peccauit, quandoquidem omnia ex fide & charitate fecit. In vno tantùm imperfectior fuit quàm ipse Abraham, in eo scilicet quòd nimium festinauit, quemadmodum solent mulieres: Abrahã diutius expectasset, nec per se tale quid
Abac.2. ausus fuisset. Verè enim fidelis expectat, etiam si moram fecerit dominus.

Acquieuit Abram sermonibus eius, &c.

Nec Abram in hoc peccauit. Primò enim nondũ prohibitũ erat plures vxores habere. Deinde verisimile credere poterat voluntatẽ Dei esse quod Sarai persuadebat, cũ alias nulla in huiusmodi rebus viro consentiat, multo minus præcipiat aut roget. Præterea, non ipse ex seipso hoc attentauit, sed ab vxore rogatus: Qui ex seipso tale quid attentat, meritò in suspicionem venit, quod aliquid aliud quærat quàm prætendat, nempe voluptatem. Denique cùm in semine suo benedicendæ essent omnes gentes, timere poterat se iram Dei incursurum, si cunctatiõe sua salutem humani generis impediret. Demum etiam Deum tentasset si dixisset ad Saram, Ex te expectare volo filios, cùm nõdum sciret vtrũ Deus ex ipsa dare vellet, & iã consentiente vxore alio medio filios acquirere posset.

Obseruandum etiam quod nõ ob id minus charam habuit

buit Saram quòd nouam habebat vxorem, vt facilè appareat eum nihil minus quàm voluptatis causa hoc fecisse. Nobiscum autem alia res agitur, nō magni refert etiamsi nos non habeamus hæredes: nec ob id alias vxores licet ducere viuente prima. Plurimũ autē referebat vt Abram filios haberet: per semen enim eius, & non aliunde, Christus promissus erat. Deinde cum Christus matrimonium ad primæuam institutionem reuocauerit, vbi tātum duo dicuntur esse in carnem vnam, nec licet iam, imò prohibitum est plures vxores simul habere. Nemo igitur hoc factum Abrahæ in exemplum trahere debet. Si talis persona fueris qualis ipse fuit, hoc est, talem promissionem habes, poteris facere quod ipse fecit. Interim quamdiu nō habeas talē promissionem, scias tibi interdictum esse. Si Abrahamum imitari volueris, habes alia pleraque in quibus eum securè imitari potes, vt sunt eius fides, spes, charitas, patientia, &c. Matt. 19

Dedit eam viro suo vxorem, &c.

Vel hoc argumentum est, nihil hic ex libidine, nihil ex affectibus gestũ esse. Cauit autē scriptura his verbis adulterium, ne quis aut Abram adulterum fuisse suspicetur, aut adulteri hinc peccato suo prætextum petant.

Illa concepisse se videns contempsit dominam, &c.

Et hæc puerilia videntur, & indigna quæ à tanto viro scribantur, cum non rarum sit mulieres inter se concertare: verum magna etiam per hanc mulierem concertationem & rixam nobis proponuntur. Primò enim hinc videmus quàm infeliciter nobis cedant consilia nostra: putabat Sara se consilium reperisse, quo & ipsa filios ex ancilla susciperet, & ipsam ancillam deuinctiorem sibi redderet: verum vtrumq; in diuersum cedit. Primo enim filius quem ex ancilla susceptura erat, nō erat posteritatis benedictæ futurus pater, non erat semen illud vnde Christus nasceretur, non erat is ad quem promissiones pertinebant, sed homo ferus, agrestis, indomitus, &c. à quo nihil nisi curas & sollicitudines habitura esset: imo qui iam antequā nasceretur, ipsam cōturbaret. Sic plerũq; magno desiderio filios quærimus, qui tamē aliquando tales euadũt, vnde nihil nisi miseriā habem⁹, & quos melius fuisset

nunquam

nunquam nasci. Deinde putabat Sara ancillam de cætero sibi deuinctiorem & gratiorẽ futuram, quod & ipsum in contrarium euenit, statim enim ab ancilla contẽnitur. Sic plerunq; etiam nostra cõsilia nobis retrocedunt. Ioseph consulere volens fratribus & familię suæ, eos in locum seruitutis induxit. Hieroboam cõfirmaturus regnũ suum, vitulos fecit, & propter hoc perdidit regnum. Ezechias ostendendo thesauros, amicitias Babyloniorũ ambiebat: verum per hoc ipsos ad inuadendum regnũ eius excitauit. Ideo aũt Deus consilia nostra plerunque in diuersum cedere facit, vt non fidamus nobisipsis. Deinde in hac historia videmus quàm altè nobis infixum sit peccatum, vt nunquam satis eradicari possit, etsi ad tempus lateat. Cùm enim nõ habemus occasionem, videmur omnino sancti esse: habita autem occasione, magno impetu prorumpunt affectus, id quod in his mulieribus videmus.

In Agar igitur primo videmus ingeniũ carnis, quæ rebus prosperis extollitur & deterior efficitur: Agar enim quamdiu seruiebat humilis & pia erat, vxor aũt Abrahæ effecta superbit, dominam contemnit, seq; sanctiorem & Deo gratiorẽ putat ex eo quod sibi datũ videbat quod Saræ negabatur. Sic caro externis donis superbit, cùm huiusmodi dona frequenter etiam impiis concedantur.

Deinde alios contemnit, etiam eos qui benefecerunt. Sic etiam in rebus spiritualibus, vbi nimis læta audimus, vt de gratia Dei, de libertate Christiana, statim insolescimus, nulla non scelera committimus, nulli de cætero obtemperamus, &c. Secundo, in Agar videmus infirmitatẽ sexus muliebris. quæ facillime ad superbiam erigitur.

Tertio, per hanc superbiam matris præostensa fuit ferocitas filij nascituri.

Iniuste agis contra me, &c.

Non cum ancilla expostulat, sed cum Abram, quem & ipsum suspectum habebat. Sic igitur etiam in fideli Sara imperfectionem muliebresq; affectus videmus, tangitur vilipensione & vana gloria nonnihil titillatur honesta & pia matrona, atque sic læditur vt etiam viro exprobret. denique etiam suspicione & zelotipia laborat. Sic nihil ex omni parte beatũ, sic nec sancti omnino sine peccato

sunt,

ſunt, leuius tamen peccat quàm Agar. Illa enim ex malitia, hæc affectibus & infirmitate ſexus vincitur. Inter vtraſq; Abram immotus cōſiſtit, imò ipſarum imperfectione cautior efficitur. Nonnihil tamen ſentit crucem ex inſolentia ancillæ, & ex commotione dilectæ *Saræ*.

Ecce ancilla tua in manu tua eſt, &c.

Non ægrè fert verba vxoris duriora, boni conſulit iracundiam, veneratur probatę honeſtatis ſanctam cōſortē, ad fragilitatem aſpicit ſexus, non dura regerit, ne ad maiorem iracundiam incitet, tranquillitati cōſulit, qua nihil optabilius in coniugio: Ecce, inquit, ancilla tua, &c. qua ſi dicat: Non mihi imputa alienam culpam, ſeruus ſi eſſet ego regerē, arguerem: ancillam tuam tu tracta pro meritis, fori tui eſt, non mei. Docet hic locus coniuges vt concorditer viuant, alioqui miſerrimus ſtatus eſt. Docet item viros, ne attendant verbis iratarum, ſed ſexui dent veniam, paci potius conſulant, imbecilli vaſculo parcāt, placare ſtudeant lenitate, niſi ſint intractabiles: Sermo enim mollis frangit iram, &c. Quòd autem ancillam permittit corripi, minuſque ipſi miſeretur q̃ Sarai, hinc fuit ꝙ ipſa iunior erat, & ex propoſito peccabat cōtra eam à qua ſummo honore affecta erat. Durius enim tractandi qui ex propoſito peccant, quàm qui ex infirmitate. *Prou. 15.*

Affligente ergo eam Sarai, illa fugam inijt, &c.

Nihil amplius cōtendit cū Abrā, ex verbis illius edocta ipſum innocentē eſſe, ancillā autē arguit & ad humilitatē reducere ſatagit, ſed fruſtrà. Illa enim correptionis impatiēs fugit, & ꝑeligit extra domū Abrahę exulare q̃ humiliari. Sic caro. i. carnales hoīes, humiliari neſciūt, nec corripi volūt, etiāſi oībus Dei ꝓmiſsis carere debeāt: eo nos ducit ſuperbia noſtra & propria, imò peruerſa voluntas.

Cumq; inueniſſet eam angelus in deſerto, &c.

Etiā hic videmus quo nos ducat temeritas noſtra, Agar enim illa antehac feliciter viuēs in domo Abrahę, nūc infeliciſsima eſt in deſerto, vagatur omniū rerū inops & indiga, neſcit quo diuertat, imò deſperabundæ ſimilis eſt: quod ſi pręuidiſſet, nunquam fugiſſet, nunq̃ cōtempſiſſet dominā. Idem nobis contingit. Non igitur fruſtrà dictū eſt etiam à mundanis, Quicquid agas prudenter agas, &

 reſpice

respice finem. Itemque à Sapiente: Memorare nouissima
Eccle. 7. tua, & in æternum nō peccabis. Deinde videmus hic Dei bonitatem, quamuis abiecta esset persona, quamuis peccasset in sanctam fœminam, tamē quia iam humiliata erat & in angustia, nō derelinquit eam Deus. verè magna bonitas. Angelum item mittit, tum propter ipsum Abram, tum propter ipsam Agar: non enim delectatur Deus in perditione nostra. Magna item misericordia, quòd etiam
Psal. 90. sublimes illas creaturas, angelos scilicet, hominum ministerio destinauit. Pulchrè autem dicitur angelus eam inuenisse, iam enim perierat tripliciter: primò, quia è domo Abrahæ fugerat: secundò, quia in deserto inter feras erat: tertiò, quia versus Aegyptum properabat. Reuocat igitur eam angelus: sic plerunq; etiam eos qui videbātur periisse, dominus quasi è faucibus inferni liberat.

Agar ancilla Sarai vnde venis? &c.

Non durè eam alloquitur quia desolata erat, sed admodum familiariter interrogat. Sic enim solet Deus afflictis familiariter loqui ne desperent, sanis autē durè ne superbiant. Econtra diabolus afflictis addit terrores, vt ad desperationē adigat: insolentibus autē addit cōsolationes, vt diutius in peccatis retineat. Deinde angelus proprio homine eam cōpellat, vt maiorē fiduciam concipiat. Deniq; conditionis eam admonet, cùm ancillam nominat. Quærit autē vnde veniat, nō quòd nesciat, sed vt confessio nē peccati eliciat. Sic enim solet Deus, vt supra vidimus in Adā & Cain. Quærit etiā vnde veniat, quasi admirabūdus, quòd è tanta felicitate in tantam miseriam peruenisset.

A facie Sarai dominæ meæ fugio &c.

Iam humilis effecta erat per tribulationem, nihil enim adeò superbiā nostrā domat, vt tribulatio & crux. Non querulatur contra dominā suam, nō accusat eius duritiā, sed seipsam accusat: & quia ex eo quòd angelus & nomē & conditionē eius expresserat, agnouit eum plusquam hominem esse, ideò nihil celat, sed veritatē fatetur: sciebat enim Deo nihil occultari posse. Quo facto arguūtur hiq peccata sua celāt, abscōdūt, excusant quasi Deū fallere velint aut possint, cū tantū seipsos fallant. Quia aūt Agar peccatū suū confessa est, nō amplius eam arguit angelus, (con-

(confeſsio enim erroris veniam meretur)ſed eam conſo latur ac inſtruit quo pacto miſeriam effugere poſsit.

Reuertere ad dominam tuam & humiliare, &c.

Dupliciter peccauerat, fugiẽdo & ſuperbiẽdo, duplicẽ etiã pœnitentiã iniungit: contra primũ, reuertere: contra ſecundũ, humiliare. Senſus autẽ verbi eſt, Reuertere ad dominã tuã, eſt apud illã miſericordia, nõ eſt tanta ſeueritas in illa, ſi te humiliaueris neq; amplius ſpreueris: tuum eſt obedire illi & meminiſſe officii tui: tu ſerua es, illa domina. Docemur hic, ſi aliquãdo à ſuperioribus noſtris affligimur, premimur, &c. noſtræ culpæ eſſe, noſtræ contumacię, ſuperbiæ, inobediẽtiæ: propter peccata enim populi Deus regnare facit hypocritã. Nobis igitur adſcribamus, nõ cõtra ſuperiores ſeditioſi ſimus aut fugiamus, ſed vitã ẽmẽdemus. Moraliter in hac hiſtoria pulchrè expreſſum, quid homo ex gratia acceperit, quid per peccatũ incurrerit, & quomodo quáve via redire poſsit. Domus Abrahæ, in qua promiſsiones, benedictiones, deniq; & Deus ipſe inuenitur, Eccleſiã ſignificat, in qua oĩa bona hęc inueniũtur. Abrã Deũ ſignificat vel Chriſtũ, Sarai Eccleſiã, Agar quemlibet hominẽ. Hæc igitur primò extra domũ Abrahæ nata, quia oẽs extra Eccleſiã in peccatis & ira Dei nati ſumꝰ. Secũdò, nec quicq̃ Agar ptinebat ad Abrã, potuiſſet eã ne reſpicere quidẽ. ſic Deꝰ nihil nobis debuit, nihil merueramꝰ. Agar ex gratia in domũ Abrahę ſeruitura aſſumpta eſt: nos eadẽ cõditione in Eccleſiã. Agar ex ancilla etiã in vxorẽ aſſumpta eſt, nos etiã Deo copulati ſumꝰ in ſpõſas. Agar eũ honorẽ pdidit ſupbiendo: nos ſimiliter peccãdo. peccatũ nos ſeparat à Deo. Agar pręcepta dñę cõtẽnit. Initiũ peccati noſtri cõtẽnere admonitionẽ Eccleſię, hinc enim in maiora labimur, putamus nos iã ſoli Deo obligatos, nihil nos debere Eccleſię. Agar Sarã offẽdit, nos Eccleſiã ſcãdalizamus, deĩde etiã Deũ offendimus: ſicut & Agar nedũ Sarã, ſed & ipſum Abrã offendit. Agar etiã admonita, correpta, nõ emẽdatur, imo peior efficitur, nos ſimiliter. Agar è domo Abrahæ fugit atq; adeò ſe multis bonis priuat: ſic peccator ab Eccleſia eiuſq; cõmunione excidit. Agar in deſerto inter feras vagat, peccator inter dęmones, ſemperq; inſtabilis eſt

Agar rectà in Aegyptũ festinat, peccator in æternas tenebras. Agar nunq̃ reuersa fuisset, nisi supernè admonita,
Ioan. 6. sic nec peccator: vnde Christus: Nemo venit ad me, nisi pater traxerit eum. Ecõtra autẽ Deus peccatorẽ reducturus angelũ mittit, prędicatorẽ scilicet verbi Dei. Is primò peccatorẽ admonet vnde venerit & quo pergat, hoc est, quid amiserit boni, quid econtra consecutus sit mali. Deinde monet vt reuertatur: Non satis est à cursu cõsistere, hoc est, à peccatis cessare, nisi & reuertamur, ac oĩa cõtraria prioribus agamus. Præterea monet vt humilietur: humiliari autẽ nõ tantùm est caput inclinare, lugubrẽ vestẽ induere, &c. Est enim q nequiter se humiliat, &c. Humiliare in scriptura, perfectã humiliationẽ significat, corde, gestu, corpore, ore: oĩbus his modis iubetur peccator se humiliare, vt nedũ in corde humilietur, sed & externè: imò & ore peccatũ suũ confiteatur. Signanter autẽ iubemur ad dominam reuerti, & sub eius manu humiliari, ne quis satis putet si ad Deum reuertatur & corã Deo confiteatur, etiamsi Ecclesiam contemnat. Vult Deus vt peccator Ecclesiæ reconcilietur & Ecclesiæ se subiiciat, quam peccatis offendit & à qua se segregauit: nec quenquam acceptabit Deus, nisi Ecclesiæ recõciliatus fuerit. Quicquid Sara agit cum ancilla hoc ratum habet Abram: sic quicquid Ecclesia agit cũ peccatore ratum habet Deus. iuxta illud: Quodcũq; solueritis. Quorũ remiseritis. Nemo igitur dedignetur Ecclesię se p̱ cõfeßionẽ humiliare, maximè cũ sciamus Ecclesiã habere potestatẽ ligandi & soluẽdi: quod Ecclesia remittit, etiã Deus remittit: iuxta
Ioan. 20. illud: Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis.

Multiplicabo semen tuum, &c.

Promißio hęc tãtùm carnalis est, ideò p̱ angelũ fit & ipsi Agar, nõ Abrahę: alias p̱mißiones quæ ad verũ illud semẽ pertinent Deus ipse per se loquitur, & ad ipsum Abrã, quia dignę erãt quæ iusto pręponerentur. Tales sunt promißiones quales sumus nos quibus fiunt: si spirituales sumus spiritualia promittũtur: si carnales, carnalia. Simpliciter autẽ multitudinẽ & multiplicationẽ seminis promittit, impii enĩ tãtùm corpore multiplicãtur & numero, pij autẽ etiam gratia & meritò: vnde supra additum est, sicut

stellas

ſtellas cæli, quod hic omittitur. Hoc autē verbo oſtenditur multos ſeruili animo futuros in domo Abrahę.i.in Eccleſia, imò adeò multos ꝙ numerari nō poſsit, id qđ verè impletū cernimus: oēs tamē hi tandē eiicientur, in fine enim angeli ſeparabunt malos de medio iuſtorū, &c. *Matt.13.*

Obſeruandum hic ꝙ angelus tria verba dixit ad Agar, primū erat, Vnde venis & quo vadis: ſecuudum, Reuertere, humiliare: nunc tertio quod prioribus bene vſa erat etiā promiſsionē addit. Ad ꝓmiſsiones enim Dei nō venitur, niſi prius duo priora verba audiamus. Errāt igitur qui priora duo negligūt, & tātum ꝓmiſsiones ex ſcriptura attēdunt, cū vt hic videmus, ꝓmiſsiones ad eos ſolos pertineant, qui correptionē & doctrinā prius admiſerūt:

Ecce concepiſti & paries filium, &c.

Aliqui Hebręi hic legūt, Ecce cōcipies, dicuntq́; ꝙ fœtus in vtero Agar ꝓpter ipſius ſuperbiā fuerat extinctus, & poſtmodū propter ipſius humiliationē iterū viuificatus. Huius fabulæ occaſionē hinc ſumunt, quòd angelus Iſmaëli nomē imponit anteq̄ naſceretur. Cùm aūt in aliis fermè omnibus qui prius nominati q̄ nati fuerūt (quales fuerunt Iſaac, Samſon, Ioannes Baptiſta, Chriſtus) miracula contigerit, volunt quòd etiā hic fuerit miraculum: hoc tamen incertū eſt ex ſcripturis, ideo relinquendum.

Prędicit autē angelus futura de filio naſcēdo, vt diſcat eū plus aliquid eſſe q̄ hominē, ideoq́; facilius obediāt & reuertatur. Puerum aūt Iſmael vocandū prędpit, quod interpretatur auditio: vt vel ex ipſo nomine filii perpetuò admoneretur Agar q̄ benignè eā Deus in tribulatione cōſolatus fuerit. Vult Deus vt nunq̄ obliuiſcamur acceptorum beneficiorū, ideo frequēter inſtituit ſigna rememoratiua, quibus homines admonerētur præcedentiū beneficiorum. Tale ſignū erat agnus paſchalis apud Iudæos, tale eſt & ſacramentū corporis Chriſti apud nos, vnde dixit: Hoc facite in meam memoriam. *Exodi.12* *Matt.26*

Hic erit homo ferus. &c.

Hebraica vox hic poſita, ſignificat agreſtē, durū, ferū, incomptū, incōciliabilem, inhumanū, nō ſolum eum qui in agro habitat. Manus eius cōtra oēs, &c. Ex cupiditate enī & pecunię ſtudio, inhumanitas & duritia naſcit̄, mox

contentiones,lites,iurgia, homicidia:attrahũt enim auari queadmodũ ſpinæ oia, vndecunq; corradũt diuitias. Sequitur,In regione fratrum ſuorum figet tabernaculum ſuũ,& duplicẽ habet ſenſum;primò, habitabit contra fratres ſuos.i.nec cũ fratribus ſuis habebit pacem: ſecundò ſic,tametſi manus omnium contra ipſum erunt,habitabit tamen coram ipſis.Germanicè ſignificantius ſic dici poteſt:*Er wiirdt dennocht vor jn bleiben vnd vffkomen*. Hæc primò in Iſmaele impleta ſunt,habitauit enim in deſerto vt infra dicitur.Deinde in Iſmaelitis,id eſt,in poſteritate eius impletum eſt:poſtea etiam in Saracenis,qui & ipſi ex Iſmael originem duxerunt: tametſi falſo nomine Saracenos ſe nominat, cùm Agareni ab Agar ancilla, non à Sara libera dicendi eſſent.Poſtremò in hunc vſq; diem impleri videmus hæc in Turca,qui & ipſe ab Iſmaele deſcendit:tam longè proſpicit Deus futura,quaſi præſentia eſſent.Imò in Iſmaele omnium impiorum natura deſcribitur,pii omninò contrariè viuunt. Hic curioſi quærẽt, cur Deus huiuſmodi homines naſci permiſerit?cur potiſſimum ex ſemine Abrahæ?Hic reſpondet Paulus ad prio-
Rom.9. rem quæſtionẽ:O homo tu quis es qui reſpondeas Deo? Nonne habet poteſtatem figulus? &c. Non eſt noſtrum huiuſmodi diuina iudicia inueſtigare.Si manſiſſet homo in innocentia,ſoli iuſti nati fuiſſent,quia autem homo in peccatum ſe coniecit,etiam Deus maledictam naturam ſinit agere quod poteſt:vt vel hinc diſcamus, quantum damnum intulerit peccatum homini. Deinde quia plus quærimus multos quàm bonos filios,imò plus voluptatem quàm prolem:iuſto Dei iudicio fit vt mali multiplicentur,vt vel laſciuia noſtra puniatur. Præterea per hoc Deus etiam iuſtitiam ſuam & iram oſtendit, ne putemus
Rom. 9. eum ſolùm miſericordem:item vt ſciamus nõ naturæ,ſed gratiæ eſſe quod ſaluamur. Ob eandem cauſam etiam è
Gen. 1. bonis ſinit malos aliquando naſci, ſicut hic Iſmaelem ex Abram. Deniq; ſicut Deus bonis antequam naſcerentur omnia bona prouidit & procurauit:ſic malis antequam naſcerentur virgam præparauit qua flagellandi eſſent.
Pſal. 88. Quid enim aliud ſunt Iſmaelitæ,Saraceni,Turcæ, quàm virga Dei?Viſitabo,inquit, in virga iniquitates eorum.

Hæc

Hæc virga à multis annis pręparata fuit ad correptionẽ delinquentium. Summa, si pij fuerimus omnia bona iã olim nobis pręparata sunt: sin autem malè egerimus, certi simus virgam iam paratam.

Vocauit autem Agar nomen domini, &c.

Agar beneficio dñi grata ipsum collaudat, & insigni titulo ipsum illustrat: atque vtinã apud nos idem finis sequeretur post auditum verbum domini. Vide autẽ, angelus ad ipsam loquitur, ipsa autem nõ vt ab angelo, sed vt ab deo dicta accipit: sic audiendum est verbum Dei. Deinde quàuis cõsolationẽ mediante angelo acceperit, ipsa tamen oĩa in verum authorẽ reiicit, ipsiq; adscribit.

Tu Deus qui vidisti me, &c.

Sic eum nominat, cuius nomen absconditũ est & ineffabile. Mirabatur dei dignationem, q̃ se & ancillã, & peccatricem, & in deserto respexerat: ab hoc beneficio eũ cognominat, nec enim eum aliter nominare potest. sic & aliàs Deus nomina sortitur ab iis, quæ circa hominẽ agit. Sic Dauid nominat eum virtutem suam & fortitudinem, refugium & protectorem, quia talem eum expertus fuerat. Sic Christus iubet vt eum patrem nominemus, propterea quòd paternè se erga nos exhibuit. Sic Agar eum à visione nominauit, propterea quòd eam & miserã & afflictam consolatus sit. Sic Dauid: Tu laborem & dolorẽ consideras, tibi derelictus est pauper, &c. Magni æstimãda sunt quę Deus nobiscum agit, verè enim magna sunt: vnde & Dauid: Quid est homo quoniam visitas eum, &c.

Psal. 17. *Matt. 6.* *Psal. 9.* *Psal. 8.*

Vidi posteriora videntis me, &c.] Apparet quòd angelus non faciẽ, sed dorsum ad eam verterat: quo significatur hominẽ nõ habere perfectã notitiam de angelis. sic enim qui dorsum hoĩs videt, nõ perfectè ipsum cognoscit: sic hic. Ob eã causam etiã Mosi dicitur: Videbis posteriora mea, faciẽ autẽ meã nõ videbis. Vnde & Paulus: Videmus nũc per speculum. Solent enim huiusmodi apparitiones fieri secundũ dispositionẽ eorũ quibus fiũt. Sic angelus non faciem, sed dorsum vertit ad Agar. ipsa enim nõ poterat cognoscere naturã angelorũ. Alij legũt, Vidi post videntẽ me, hoc est, eũ qui me pri⁹ vidit, nũc ego video, agnosco, veneror quẽ prius ignorabam, donec tam mise-

Exo. 34. *1. Cor. 13.*

ricorditer me respiceret. Alii sic legunt, Vidi post visum meum, id est, quem prius in domo Abrahæ videram etiam nunc hic in deserto video & inuenio: Deus enim vbique est.

Propterea appellauit puteum illum, &c.

Etiam puteo nomen imponit ad memoriam etiam posteris, vt & ipsi admonerētur diuinæ misericordiæ, scirēt
Iere. 7. Deum & viuere, & videre: iuxta illud: Ego sum, ego vidi. Attēdant pij & consolentur, quòd Deus nedum viuit, sed etiam videt. Attendant hoc etiam impii & contremiscāt.

Puteus ille scripturam sacram significat, quæ veras & perennes habet aquas ad refrigerium laborantibus. hunc puteum dedit is qui est vita viuentiū & spes morietium.

Peperitq; Agar Abrahæ filium, &c.

Non inanis repetitio generationis: Gestiebat Moses pro humana consuetudine, iactando insigne ac ferè incredibile beneficium Dei, de nato filio seni, vt significetur, multò magis gauisurū si de libera Sara filiū sit habiturus. Et vt Saracenos & Arabes fratres Israelis doceat ac cōmendet, quo magis charitate iungantur, annos Abrahæ exprimit, vt ostendat insignem eius fidem quæ tot annis inuiolata perstitit, cū in nobis vix tot horis permaneat.

Gal. 4. Allegoriam huius capitis Paulus ostendit, dicit enim quòd Agar & Sara sint duo testamenta: vtraque Abrahę desponsata erat, vtraq; filios ipsi genuit, sed differenter.

Vetus testamentum per Agar significatur, auxit quidē lex populum Dei, sed tantum carnaliter, nihil nisi seruos gignebat: qui enim tantum promissis & minis ad bonum trahuntur, serui sunt & mercenarii. Deinde serui erant quia lege premebātur: is idem populus sub lege Ismaeli pulchrē comparatur: Primò quia audit quidē Deum, sed non videt: deinde quia nō minus ferus erat quàm Ismael: superbiebant enim legali sua iustitia, omnes alios cōtemnebant, &c. Nouum autē testamentum liberæ comparatur, quia suos nō premit legibus, sed verè liberat: itē non seruos, sed filios gignit: hoc est, tales qui non ex timore, sed amore iustitiæ, Deo seruiunt in libertate spiritus, & cum animi voluptate, hi sunt veri filii Abrahæ.

Moraliter, quilibet in se habet ancillam & dominam, carnem

carnem & rationem. Iam si ratio nimium indulget sensualitati, ferox & rebellis efficitur: vt postea contemnat monentem rationem. Nihil igitur melius est, quàm vt ancilla maneat in humilitate, id est, caro in subiectione & mortificatione.

Caput decimumseptimum.

Postquam verò nonaginta & nouem annorũ esse cœperat, apparuit ei Dominus, dixitque ad eum: Ego Dominus omnipotens, ambula coram me, & esto perfectus. Ponamq; fœdus meũ inter me & te, et multiplicabo te vehementer nimis. Cecidit Abram pronus in faciẽ. Dixitq; ei Deus: Ego sum, & pactum meũ tecum, erisq; pater multarum gentium. Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, sed appellaberis Abraham: quia patrem multarum gentium constitui te. Faciamq; te crescere vehemẽtissimè, & ponã te in gentibus, regesq; ex te egredientur. Et statuam pactum meum inter me & te, & inter semẽ tuum post te in generationibus suis fœdere sempiterno: vt sim Deus tuus, & seminis tui post te: Daboque tibi & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam, eroq; Deus eorum. Dixit iterum Deus ad Abraham: Et tu ergo custodies pactũ meum, & semen tuũ post te in generationibus suis. Hoc est pactũ meum quod obseruabitis inter me & vos, & semen tuum post te: Circuncidetur ex vobis omne masculinum: & circũcidetis carnẽ præputii vestri, vt sit in signum fœderis inter me & vos. Infans octo dierum circuncidetur in vobis, omne masculinum in generationibus vestris: tam vernaculus quàm emptitius circũcidetur, & quicunque non fuerit de stirpe vestra: eritq; pactum meũ in carne vestra in fœdus æternum. Masculus cuius præputii caro circuncisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo: quia pactum meũ irritum fecit. Dixit quoque Deus ad Abraham: Sarai vxorẽ tuam non vocabis Sarai, sed Saram. Et benedicã ei, & ex illa dabo tibi filium, cui benedicturus sum, eritque in nationes, & reges populorum orientur ex eo. Cecidit Abraham in faciẽ suam, & risit in corde suo dicens: Putásne cẽtenario nascetur filius? & Sara nonagenaria pariet? Dixitque ad Deum: Vtinam Ismael viuat coram te. Et ait Deus ad Abraham: Sara vxor tua pariet tibi filium, vocabisque nomen eius Isaac, & constituam pactum meũ illi in fœdus sempiternum, & semini eius post eum. Super Ismahel quoque

exaudiui te:ecce benedicam ei, & augebo, & multiplicabo eũ val de: duodecim duces generabit, & faciam illum in gentẽ magnam. Pactum verò meum statuam ad Isaac quem pariet tibi Sara tem pore isto, in anno altero. Cumq; finitus esset sermo loquentis cũ eo, ascendit Deus ad Abraham. Tulit autem Abraham Ismahel filiũ suum, & omnes vernaculos domus suæ vniuersosq; quos emerat, cunctos mares ex omnibus viris domus suæ: & circũcidit carnem præputii eorum statim in ipsa die, sicut præceperat ei Deus. Abraham nonaginta & nouem erat annorum, quando circuncidit car nem præputii sui. Et Ismahel filius suus tredecim annos impleuerat tempore circuncisionis suæ. Eadẽ die circuncisus est Abraham & Ismahel filius eius. Et omnes viri domus illius, tam vernaculi quàm emptitii & alienigenæ pariter circuncisi sunt.

POsteaquam Abram in fide ꝓfecisset vsq; ad cẽtesimũ annũ, iamq; alio sæculo victurus esset, etiã oĩa in hoc capite circa ipsum renouantur: nouę apparitiones, nouę promissiones, nouũ nomẽ, nouũ pactũ, obedientia noua, sacrum nouũ, noua vxor, nouus filius, noua religio, noua familia. Fides enim nõ senescit, sed semper fit per tẽtationes seipsa cõstantior, ad opera bona promptior atq; vegetior. Omnia hęc ex hoc capite videbim⁹.

Postquam verò nonaginta nouem annorum, &c.

Numerum annorum toties tamq; diligenter describit Moses, tum vt hinc discamus fidem & longanimitatẽ Abrahæ: tũ etiã, vt videamus, quomodo Deus cũ suis agat. A prima siquidem promissione seminis, vsq; ad natiuitatem Ismaelis, vndecim anni fluxerunt: Erat enim Abram *Gen. 12.* septuaginta quinque annorum, quando primã promissionẽ accepit: nato autẽ Ismaele, octoginta sex annos habebat. Tanto tempore fidem Abrahæ probauit. Post natũ Ismaelẽ, iterũ tacet Deus tredecim annis, ab octogesimo scilicet sexto, vsq; ad nonagesimũ nonũ annũ, tot annis nihil specialiter gestũ legimus: nulla interĩ mẽtio fit promissionũ: facit Deus quasi oĩm quę promiserat oblit⁹ sit, nõ ob aliud, quàm vt probaret iustũ, imò vt probatũ omnibus ostẽderet. Interim Abrahã patienter expectat, credit, quod dat Deus, gratãter accipit, quod nõ dat, nõ expostulat, nõ murmurat, sed totũ se Dei volũtati resignat.

Nos

Nos econtra facimus:quādo Deus dat,grati non sumus: quādo nō dat,murmuramus.Cęterū quod promissiones hæ potissimū eo tēpore renouātur & augentur, cū Abrā iā præ senectute frigidus esset,Ismael aūt calidę adolescētiæ fines ingrederetur,vtpote tredecim iam annorū,præsignauit.quòd senescēte iā populo Dei,vigēte in paucissimis fide,& vbiq; abundante seruili iniquitate,Christus venturus esset,per quē promissiōes Dei verè cōplerētur.

Apparuit ei Dominus, &c.

Ancillæ apparet Angelus,Abrahę aūt ipse Dñs,dignū enim eū iudicat sua visitatione & cura.Et sicut nūc Abrahæ apparet,sic postmodū in ipsius gēte & cognatione videndus erat,imò ex eius semine naturā humanam assumpturus.Nō enim angelos apprehendit,sed semē Abrahę. *Heb.2.*

Ego Deus omnipotens,&c. Verba hęc breuia sunt,sed plena mysteriis:quare diligēter rumināda sunt. Primo enim sensus verbi est.quasi dicat:hactenus tibi nomē meum nō feci notū,vt ad plenū me agnosceres:nūc aūt edico tibi, me esse Deū illū qui oīa potest.hoc initiū & fundamentū est veræ fidei,vnde & in Symbolo dicim⁹:Credo in Deū patrē omnipotentē.Circa hoc verbū primò discimus cognitionē Dei nō ab hoīe pēdere,sed à manifestante Deo. Neq; enim quid Deus sit scire est viriū humanarū. Cùm enim sit verè abscōditus,quis nobis huius abscōditi cognitionē è cælo deferet,nisi is qui est in calo.vnde Christus:Deū nemo vidit vnquā,vnigenitus filius ipse enarrauit nobis.Et iterū.Nemo nouit filiū,nisi pater,neq; patrē quis nouit,nisi filius,&c.Sicut igitur Adam post peccatū nūquā rediisset,nisi cū diuina misericordia anteuertisset, & ad se traxisset,sic nemo Deū cognoscere potuisset,nisi se ipsum manifestasset.Deinde videmus circa hoc verbū, quòd quo diutius Deus cū Abram loquitur,eo clarius se manifestat.Supra eīn dixit:Ego protector tu⁹ & merces. hic aūt lōgè expressiùs seipsum ostēdit.Duo aūt noīa hic sibiipsi tribuit Deus.s.El & Schadai,quorū primū à fortitudine,alterū à sufficiētia dicitur.his noībus indicat se eū esse,qui oīa possit,fons oīs boni,imò ipsa sufficiētia.i.is inq̃,qui sibi creaturisq; oīb⁹ sufficiat,nulli⁹ egeat,in quo credētes oīa possint,sperēt,accipiāt:nec tātū bonū & sufficien-

Isa.45. *Ioan.1.* *Matt.11.* *Gen.15.*

ficientem se esse, sed insuper tam benignum, tam beneuolum, tam sui prodigum, vt omnes diuitias suas, omnẽ bonitatis suæ thesaurum in nos largissimè profundat, adeo vt ab omnibus auferri, teneri, possideri gaudeat. Hoc sibi volunt verba hæc: vere magnifica verba, & consolatione plenissima, quæ vel sola nos in fide confirmare, & ad pietatem extimulare possent.

Ambula coram me, & esto perfectus, &c.

Noua promissio, nouam etiam & maiorem exigit fidẽ & obedientiam. Et quia maiora iam Abrahæ promiserat, maiora etiam ei iam præcepta imponit. Errant igitur qui putant nihil à nobis exigi, nisi vt credamus, cum hic contrarium videamus. Quo enim maiora accipit Abraham, eo maiora ab ipso exiguntur. Iam cum in nouo testamento summa beneficia acceperimus, certum est, quòd etiam plus à nobis exigitur, quàm à veteribus. Vnde Christus
Matt. 5. vult, vt iustitia nostra maior sit quàm iustitia Phariſęorũ. Maxime igitur ad nos pertinet quod hic ad Abrahã dici tur. Ambulandi autem verbum pro conuersatione accipitur. Coram me, id est, ad nutum & voluntatem meã, ac præceptum vel beneplacitum: vel coram me, id est, quasi semper me præsentem videres. Sic enim pius semper & omnia agit, quasi Deo præsente. Pulchre etiam hoc verbo differentia inter nos & veteres ostenditur. Illi enim ante Christum ambulauerunt, nos post ipsum. Illis dictum est:
Mat. 9. 10. Ambula coram me. nobis dicitur: Sequere me. Christus autem in medio est, in quem omnes respexerunt & respiciunt pij, in ipso coniunguntur & copulantur.

Esto perfectus, inquit, id est, sis fidelis, simplex, non duplici corde: nihil mecum ames, cor exigo, & perfectionẽ. Perfectum autem & integrum est, cui nihil deest, quòd ab omni parte absolutum est. Hoc ab Abram non à principio exegit Deus, sed cum iam senex esset. Ab his enim exigitur perfectio, qui diu Deum viderunt audierunt. Deinde cum prope esset, vt Isaac nasceretur, exegit Deus ab ipso perfectionem, in signum quòd tempore Christi maior perfectio à fidelibus exigenda esset, id quod in Euangelio completum videmus. Ex omnibus his videmus, religionem Christianam non esse sermocinationem aut dispu-

disputationem,sed officium & conatum ad summam perfectionem. Non enim est regnum Dei in sermone,sed in virtute. *1.Cor. 4.* Huc igitur omnibus modis spectandum est, vt officio nostro nunquã desimus,vt strenuè agamus,quòd Deo placet.

Ponam fœdus meum tecum,&c.

Refricat promissionem superius factam,ne fides ipsius, quæ multis modis iam toties tentata erat,labascat. Eget enim fides nostra huiusmodi fulcris verbi Dei, vt subinde instauretur,& vires resumat. Cæterum quanquam supra pepegerit fœdus cum Abram,hic tamen iterum promittit,se fœdus initurum cum Abram. *Gen.15.* Prius enim illud fœdus tantum hoc habebat,quòd posteris Abrahæ dare vellet terram promissam:hoc autem latius se extendit,etiam ad spiritualia bona,& per consequens etiam ad spirituales filios Abrahę,hoc est,omnes credentes pertinet. Nec simpliciter dicit: Multiplicabo te,sed addit: vehementer nimis vel valde. valde videlicet carne,spiritu,gratia,gloria. hæc est multiplicatio credentibus promissa,& per Christum maximè impleta.

Et cecidit Abraham in faciem suam,&c.

Hactenus sæpè cum Deo locutum fuisse Abrahã, nunquam autem cecidisse legimus. Cur ergo hic cadit? Nimirum ex eadem causa qua Petrus,cùm diceret: Exi à me domine,quia homo peccator sum: *Luc. 5.* nimirum ex admiratione & obstupefactione. Sic Abram hic ex magnitudine promissionis obstupescit, atque sic ex stupore & reuerentia cadit in terram. Quis enim ad huius rei magnitudinem non obstupesceret,cum audit Deum optimum maximum cæli & terrę conditorem cum misero homuncione pactũ & fœdus inire, tamq; magnifica miseris mortalibus polliceri? Hoc est quod Dauid ait: Venite adoremus & procidamus ante eum qui fecit nos,&c. *Psal. 9.* Atq; hic se veræ fidei, pietatis & religionis venæ aperiunt,cum bonitatem, beneuolentiam ac liberalitaté summi illius boni sic nostram esse videmus,vt vltrò se totum nobis fruendũ exponat. Qualis enim fuit ergà Noe & Abram,talis erit & est erga omnes credétes. Propter nos hæc scripta sunt, non propter ipsum Abrã,qui cum hæc scriberentur,iam diu mortuus

tuus fuerat. Deinde quod Abram hic cecidit, significat, quòd ex familiaritate Dei nō superbiuit, sed eo humilior factus est. Præterea per hoc ostenditur, quòd verè credi derit promissioni diuinæ, ac in omnibus Deo gloriā dederit: vera enim fides gloriam Deo tribuit: imo vera gloria Dei est, credere verbo eius, & seipsum abnegare.

Ego sum, &c.

Hactenus summam proposuit Moses: nunc singula per partes digerit. Summa est: Ego sum Deus omnipotens, tu ambula coram me, & esto perfectus: mox repetit primam particulam: ego sum. iterum inculcat Abrahæ, se Deum esse omnium sufficientem, vt fortius credat. Pauca de se loquitur Deus, sed vtinā ea sola verba cordibus nostris inscripta essent. Est igitur sensus: quod ad me attinet, ego sum & ero, qualem me tibi descripsi. Hoc autē
Isa. 45. verbum sæpe repetitur in scriptura: Ego sum, &c. Solus
Isa. 42. enim vult haberi, coli & amari Deus: honorē hunc alteri non concedit. Deinde vt solus animæ Dominus est, sic totos nos exigit.

Pactum meum tecum, &c.

Signanter dicit: Pactum meum. Nō enim qualecunq;, sed singulariter magnū est pactū, quod enunciaturus præmisit: Ego sum. Hoc pactum in Christo est mediatore Dei & hominum, per quem solum Abram factus est pater multarum gentium: imò quod dictu quoq; dignissimum est, pater omnium filiorum Dei. Omnes enim quotquot filij Dei dicuntur, & sunt: non nisi per Christum talem gratiā acceperunt. Christus autem secundum veritatem carnis assumptæ, semen Abrahæ est. Igitur omnium illorū quorum Deus pater est, horum & Abraham pater est.

Erisq; pater multarum gentium, &c.

Hoc verbo etiā ad nos nondū natos respexit dominus. Si Abram vnius gētis pater esset, nihil ad nos pertinerēt huiusmodi promissiones & pactū. Quia aūt pater multarū gentium dicitur, certum est, quod etiam ad nos pertineant promissiones, dummodo fidem eius imitemur.

Mat. 8. Hinc & Christus: Multi venient ab oriente & occidente, & recumbent cū Abraham. Ex hoc loco videmus manifestè Iudæos errare, quòd se solos esse putent filios

Abrahæ

Abrahæ, cùm hic dicatur: Futurus pater etiam gentium, & multarum gentium. Non eos excludimus ab hoc pacto & fœdere, dummodo credant: omninò autem non patimur nos excludi, quando scriptura expressè pro nobis est.

Nec vltra vocabitur nomen tuum Abram, &c.

Ad confirmationem huius promissionis, etiam nomen eius mutat: vt vel ex ipso nomine appareat, non solos Iudæos ad ipsum pertinere. Abram autem interpretatur pater excelsus, quod hactenus optime in hunc iustum competit. Et quia hoc nomine bene vsus fuit, beneq; ipsi respondit vita: ideo aliud suscipere meretur.

Vtinam & nos sic responderemus nomini nostro quod à Christo habemus: tũc enim etiam suo tempore aliud & perfectius nomen acciperemus: nomen, inquam, nouum, quod os Domini locutum est. Vnde & in Apocalypsi de talibus dicitur: Scribam super ipsum nomen nouum. Abraham autem interpretatur pater multitudinis, vel multarum gentium. Ex nomine igitur dissyllabo, trisyllabũ facit, quo vel ipso innuitur, etiam cognationem ipsius fore dilatandam latius, quàm ad carnales filios tantum. Isa. 62. Apoc. 3.

Deinde ornatur nomẽ ipsius interpositione He literę, quæ inter sacratiores literas, quibus nomina Dei scribuntur, principalis est, & bis scripta in nomine illo ineffabili & tetragrammato. Eandem igitur literam etiam nomine Abrahæ addidit.

Primò, vt ostendat, quòd nedum bona sua, sed etiam seipsum & diuinitatem suam ipsi communicaturus esset. Sic enim Deus pios homines etiam naturæ suæ & diuinitatis consortes facit, vt Petrus ait. 2. Pet. 1.

Deinde litera He addita nomini Abrahæ, indicat prerogatiuam quandã maximã Abrahæ datam, ipsius Dei aliquãdo nasci turi de semine suo, cùm Christus nasciturus esset de beatissima Dei genetrice Maria, quę vera fuit filia Abrahæ. Quin & quartus locus prædictæ literæ He in nomine Abrahæ significare poterit, quartum millenarium, in quo Deus ex semine Hebræorum natus est. Mem verò clausum sequens literam He, indeterminabile Christi regnum & gloriæ Abrahæ significare potest.

Præterea

Præterea etiamideo hæc litera nomini Abrahæ inserta est, vt ostendatur eum non omnis multitudinis patré futurum & nominandum, sed eius tantum quæ Deum agnoscit, credit, colit,

Faciamq; te crescere vehementissimè, &c.

Hic semper obserua duplicem esse promissionem: Duplices item filios Abrahæ. Promissio vna temporalia respicit, & Iudaicum populum: nam & horũ pater est Abraham, secundum carnem: Altera promissio spiritualia respicit, quæ nobis per Christum benedictum semen complentur. Sic Deus fecit Abraham crescere in multas gentes. Deinde fecit eum crescere in fide & moribus. Item fecit fidem eius crescere & dilatari per totum mundum: fe-
Dan. 2. cit Christum crescere vehementissimè, vt impleret totã terram: facit & nos crescere. Ipse enim operatur omnia in omnibus. Ité, vt subinde augeatur numerus credentiũ: Fides enim negotiosa est, auget semper Domini familiã, non propria, sed Dei virtute. Ipse enim agricola est, qui
Ioan. 15. purgat palmites, vt fructuũ plus adferãt. Deinde prodierunt ex ipso Abraham ad literã, multæ gentes Ismaelitæ, Idumæi, Israelitæ, &c. itemq; multi reges, maximè autem Christus rex regum. Spiritualiter auté ex semine ipsius, Christo scilicet, multæ gentes regeneratæ sunt, imo & re-
Apoc. 5. ges. Omnes enim sibi adhærentes facit reges & sacerdotes, Christiani reges sunt super peccatum, mortem, diabolum, &c. non ergo sponte se illis subijciant.

Et statuam pactum meum inter me & te, &c.

De hoc secundo fœdere semper in futuro loquitur, vt sciamus in Christo implẽdum fuisse: incœptum quidẽ est cũ Abraham, & ipsi promissum: sed per morté Christi primũ confirmatũ. Ex tunc enim ratum est. Singula aũt verba emphasim habent. Primò, inter me, inquit, & te. pertinet enim hoc fœdus primo ad personã Abrahæ. Addit: & inter semẽ tuũm, quo ostenditur etiam ad posteros eius pertinere: imo etiam ad posteros filiorũ suorum, ideo addit: in generationibus suis. Addit etiam, fœdere sempiterno. Sic enim Christus humanam naturam indissolubiliter vniuit, sic indissolubiliter se nobis coniunxit.

Iu fine addit: vt sim Deus tuus, hic videmus, quod lóge

aliud

aliud & excellentius est hoc fœdus, quàm illud de quo su pra dictum est. Illic enim tantum carnalia promittuntur, nempe terra Canaan: hic autem spiritualia, imo Deus ipse, quod pio homini longè gratius est, quàm terra illa Canaan. Qui enim Deum habet, facilè inuenit terrã in qua habitet. Domini enim est terra, &c. Qui autem Deum nõ habet, etiamsi terram possideat, tamen amittet, id quod videmus in Iudæis. Gen. 15. Psal. 23.

Hoc autem summè obseruandum est, quod qui pri⁹ in generali se dixerat Deum esse, iam promittit se nobis Deũ fore. Nihil enim vtilitatis ad nos rediturum foret, nisi talis ac tantus Deus non etiam noster Deus esset. Sed noster est ex pacti conditione, ex gratuita misericordia, nõ ex merito aut opere nostro. Ipse sese nobis vltrò exponit, distrahi & frui à nobis vult. Quibus ergo non est Deus, hoc est, qui hunc Deum pro suo non agnoscũt, in pacto illo non sunt.

Daboq; tibi & semini tuo terram, &c.

Sic Deus etiam suis temporalia promittit, & pręstat, vt & in Euangelio: Omnis qui reliquerit, &c. centuplum accipiet, &c. Præcipuum tamen in hoc pacto est, vt sit Deus noster: hoc etiam primo omnium quærendum, tunc enim etiam temporalia nobis adiicientur. Summa, quod dicit: Dabo tibi terram, &c. impletum est in carnali semine. Quod autem addit: Ero Deus eorum, Impletum est, & impletur in spirituali semine. Matt. 19. Matt. 6.

Et tu quoque pactum meum custodies, &c.

Superius dixerat: Ecce ego, cui nunc illud, Et tu quoq; respondet. Sensus est: Meæ gratiæ fuit, spontaneum cum homine pactum inire: hominis sit tantùm, non negligere gratiam, & pactum Dei non facere irritum. Nam ego quidem non prophanabo testamentum meum, & quæ procedunt de labiis meis, non faciam irrita: & tu igitur vide, ne irritum facias, non seruando ea quæ à te exigo. Obseruandum hic, quòd non solùm Deus se nobis obligauit, sed econtra nos etiam ipsi Deo obligati sumus: fœdus enim est, in quo vtraque pars ad aliquid obligatur. Psal. 88.

Errant igitur, qui subinde Dei promissiones allegant;

nec semel cogitant, quid ipsi econtra debeant Deo. Quæ autem sit summa huius pacti, & quid Deus ab eo requirat, supra dictũ est: ideo breuiter hic absoluit Custodies pactum. Pactum Dei cum homine est, vt ipse sit Deus noster, & nos integrè ad voluntatem eius ambulemus: qui in hoc pacto sunt, populus Dei sunt. Ne quis autem putet se plus æquo grauatũ, Deus prior se obligat, & ad magna, imò maxima, cùm pauca quædam à nobis exigat. Nõ est igitur, quod grauemur. Ostenditur etiam hoc verbo, non Deum ipsum, sed nos in culpa esse, quo minus pacto stetur. Deus non fallit, sed nos frangimus.

Hoc est autem pactum quod obseruabitis, &c.

Pactum hoc loco accipitur pro signo pacti. Circũcisio enim non fuit fœdus illud, sed signum fœderis, id quod infra expressè ponitur. Ex hoc igitur loco malè intellecto, quidam in primitiua Ecclesia contendebant, venientibus ad fidem, circuncisionem esse necessariam. Putabãt enim ipsam circuncisionem esse pactum illud, quod transgredi vel mutari non posset: his Paulus restitit, probans quod circuncisio non est ipsum fœdus, sed signum fœderis & iustitiæ. Signum autem mutari potest, manente fœdere. Id quod & factum est: fœdus Dei cum Abraham & posteris eius adhuc manet, sed signum mutatum est, ex causa inferius assignanda. Mutatio autem signi vel mutare signum, non nostrum est, sed Dei, qui fœdus dat, qualecunque is signum dat, eo vtamur, etiam si omni die aliud daret, nõ ob id mutatum esset fœdus, nec ob id necesse esset priora signa obseruare. Nihil igitur nos obligat circuncisio. Ideo autem Deus fœderi suo addidit signa: primò, vt per ea confirmemur in fide, ne quicquam dubitemus, nos ad Dei fœdus pertinere, ipsumq; promissa præstaturum. Secundò, vt per ea etiam coram mundo profiteamur, nos Deũ colere, eiusq; ministros esse. Tertiò, vt per hæc etiam admoneamur officii nostri, quid scilicet Deo promiserimus, quidq; ipse exigat. Vide autem, qualia signa instituit Deus: in veteri testamento circuncisionem, in nouo baptismum, vtrunque stultum & ridiculum videtur incredulis, & vix Deo dignum. Qualis, inquiunt, Deus est, qui tam stulta suis præcipit? &cæt.

Roma. 4

Ideo

Ideo autem Deus tam humilia signa instituit, vt cōfundat sapientiam mundi:deinde, vt nos humiliaret. Oportet enim nos stultos fieri,& huiusmodi humilibus signis subiicere,vt soli Deo gloria maneat.Si igitur Deo sic cō placuit,& nobis placere debet.Rideat mundus quātum velit,vel circuncisionem Abrahæ, vel baptismum Christianorum,certum tamen est,quòd nemo ad salutem peruenire potuit sub lege,nisi eam haberet fidem quam circuncisus Abraham habuit,& circuncisus esset.Nec quisquam nunc potest saluari, nisi eam fidem habeat, quam baptizati Christiani habent:& baptizatus sit.

Ideò autem circuncisionem primò dedit in signum fœderis,quia conueniebat promissioni. Quales enim sunt promissiones,talia & signa dat.Sic ipsi Noe promisit,nō amplius diluuium futurum:huic promissioni congruens signum dedit in cælo, vnde aquæ diluuii timeri solent. Nobis promisit remissionem peccatorum,ideo congruè ad hoc dedit & instituit ablutionem baptismalem. Abrahæ promisit,ex ipsius semine exoriturum,in quo benedicerentur omnes gentes:congruè igitur etiam in corpore suo signum accipit,& in membro generationis, vt sic profiteretur se credere in semen venturum. Ob eandem causam nunc circuncisio in aliud signum mutata est:quia tantùm data erat in signum Christi nasciturí ex semine Abrahæ. Nato autem Christo, nihil opus fuit hoc signo:imò si adhuc permaneret,signum esset, quòd Christus nondum venisset. Ideò Paulus dicit, quòd nunc circuncidi est Christum negare. Congruū igitur, imò necessarium fuit, vt aliud signum fœderis institueretur,baptismus scilicet. *Galat.5.*

Deinde etiam ideo ciruncisionem primo instituit, vt per hoc Iudæi distinguerentur à gentibus, & quasi frænum eis imponeretur, ne se inter gentes commiscerent. Item,vt per hoc seipsos agnoscentes Dei populum esse, retraherentur ab illicitis.Carnales & rudes erant, ideo carni eorum impressum est signum, ne quando obliuiscerentur. Ideo etiam circuncisio data est, vt effusionem sanguinis Christi quo confirmatum est fœdus illud signaret:item,vt discerent,quòd religio vera militat con

tra carnem & sanguinem semper. Item, vt discerent ipsam generationem, atque adeò ipsam naturam esse malam, primitiuumque fructum naturæ immundum.

Item, vt discerent libidines carnis amputandas. Itéq; affectus cordis, ne turpe aliquid perpetretur ore, labiis, pedibus, corde, &c. Hinc Moses dicit: Et quid Dominus
Deut.10. petit à te, nisi vt timeas eum, &c. sequitur: Circuncidite igitur præputium cordis vestri, &c. Summa, Circuncisio idem significabat Iudæis, quod nobis baptismus, nempe mortificationem veteris hominis.

Infans octo dierum circumcidetur, &c.

Ergo & infantes erant in fœdere: dabatur enim eis signũ, vt esset indicio eos perinde esse in fœdere, vt Abrahamũ. Quod autem de Abrahamo & filiis eius dictũ est, hoc idem de Christianorũ filiis dictum sit. Nam eorũ qui ex Christianis parẽtibus generantur, æqua est cõditio cũ his qui ex Abraham prognati sunt. Vna enim & eadem
Matt.21. est Ecclesia, quæ ex gentibus Iudæisq; compingitur. Vnus angularis lapis Christus, qui vtrosque ex æquo complectitur. vnum ouile, vnus pastor: vna vinea, in qua parem mercedem accipiunt omnes, etiam si qui tardè venerunt.
Matt.20. runt. vnde & Christus. Venient ab oriente & occidente, & recumbent cum Abraham, &c. Summa: vna est fides Abrahæ & nostra. cur igitur filii nostri pei⁹ haberẽt, quàm filii carnales Abrahę? Si illi in fœdere fuerũt, id quod hic videm⁹, & nostri filij in fœdere sunt: si in fœdere sunt, impiè agunt, qui cis signum fœderis denegant. Infantes circunciduntur, vt minus sentirent dolorẽ. Secundò, vt hinc discerent, crucem semper, etiã à pueritia portandã.

Nec mysterio vacat, quòd octauo die circumcisio fieri iubetur. Octauus dies infantis, octauum significat tempus mundi, quo expoliabitur orbis omni corruptione mortalitatis, & nouus erit mundus, vniuersali resurrectione generatus. Illi enim qui digni erunt seculo illo, non
Matt.22. nubent, neque nubentur, &c. neq; vltra mori poterunt: sed similes erunt angelis Dei.

Omnisq; vernaculus, & seruus emptitius, &c.

Etiam serui & extranei admittuntur ad fœdus illud, dummodo credant, & signum fœderis accipiant. Apud

Deum

Deum enim neque est mas neque fœmina, neque seruus neque liber. Imò neque fœminæ ab hoc pacto exclusæ fuerunt. Sunt enim symbola huiusmodi synecdochica, quæ sub principaliori & digniori parte minorem comprehendunt. Sic Synecdoche est, quod Paulus ait: Omnes patres mare transiisse, in nube & mari baptizatos esse: nam & illic nec pueros excludit nec fœminas. Gal.3. 1.Cor.10.

Eritque pactum meum in fœdus sempiternum, &c.

Hoc dicto Iudæi carnis circuncisionem defendunt: tanquam hoc idem sit, quasi dixisset: ritum circuncisionis seruabitis in æternum. Sed errant: Circuncisio enim non fœdus, sed signum fœderis est, vt supra dictum est. Deinde quomodo circuncidendi ritus æternus esse potest, cū generandi & nascendi conditio finem habitura sit?

Igitur quod hic dicit, referri debet ad ipsum fœdus, quod erit æternum, non autem ad signum fœderis. Nam nec baptismus in æternum durabit, sed bene fœdus baptismi. Deinde quod hic dicitur: in carne vestra, referri debet ad eum qui vera caro de illorum carne est, nempe ad Christum saluatorem, in quo veraciter est pactum & fœdus in æternum. Ipse enim est pax nostra, in quo omnes inimicitiæ dissolutæ sunt, & cælestia cum terrenis pacificata. Ephes.2. Col.1.

Masculus qui circuncisus non fuerit, &c.

Exterminabitur, secundum Iudæos, id est, morietur ante quinquagesimum annum, & non habebit filios. Veraciter autem exterminabitur, hoc est, feret iudicium infidelitatis & contemptus diuini. Imputabuntur illi omnia peccata reliqua: non erit particeps promissionum, & meritò: qui enim circuncisionē tunc respuebat, fidem seminis negabat. Sine fide autem seminis, id est, Christi, impossibile est saluari. Delebitur igitur aīa illa de populis suis, id est, non cōnumerabitur inter populum Dei. Addit causam: quia pactum meum irritum fecit, quia in Adam præuaricatus est, & nunc exortus præuaricationem illius, quàm tuam sequi fidem: & imitationem peccati, quàm expectationem seminis suscipere maluit. Inimicitiæ enim inter Deū & homines ex peccato Adæ prouenerūt.

Ergo qui nō accipit eius testimonium, per quem solum illæ inimicitiæ soluuntur: qui, inquam, non signatus est ante aduentum eius signaculo, quale tunc positum fuit: & qui non signatur post aduentū eius signaculo illius, quale nunc positum est, merito perit: eadem culpa primæ præuaricationis: non igitur contemnenda sacrificia.

Sarai vxorem tuam non vocabis Sarai, &c.

Quod Deus tam diu, tamque consolatoria loquitur cū Abraham, partim indicat, quàm accepta sit Deo fides & pietas: partim autem futuram noui testamenti gratiā adumbrauit: in nouo enim testamento Deus multo familiarius loquitur, quàm in veteri, itemque multo etiam frequentius. Omnibus enim nunc loquitur, iuxta illud: Dabo legem meam in visceribus eorum, & non docebit vir
Ierem. 31 fratrem suum: omnes enim me cognoscēt, à minimo vsq; ad maximos. Obserua, quòd etiam Saræ mutat nomen, ne putaretur à fœdere Dei exclusa, propterea quòd signū fœderis accipere non poterat. Quanquam enim solis masculis de genere Abrahæ, vtpote digniori sexui fœderis signū, id est, circuncisionem deferendam dedit. Verba tamen fœderis non excludunt mulieres. non enim dixit: Pactum statuā cum filiis tuis masculis, sed cum semine tuo, indifferēter. Nō enim est distinctio personarū apud Deū. Quicunq; fidem Abrahę imitatur, cuiuscunq; sit sexus aut
Rom. 10. conditionis, is in fœdere cōputatur. Deus enim omnium Deus est, diues in omnes qui inuocant eum. Vide autem quomodo nomen Sarai mutat: literam He addit, sicut supra in nomine Abrahæ: & literam Iod in fine aufert, nihil sine causa. Primo enim, quòd litera He quæ essentialis & præcipua est nominis ineffabilis Dei, additur nominibus Abrahæ & Saræ: præsagium fuit, quod ex eis nasciturus esset Christus Deus filius Dei, in quo omnes gentes, quorum pater Abraham, benedicendæ essent. Deinde, He aspirationis nota est Hebræis, sicut apud nos litera. H Spirando autem viuimus. Aspiratione ergo vita significatur, quæ Christus est, qui ex Abram iuxta carnem nasciturus erat, vera scilicet vita, sine quo omnia mortua sunt, & qui omnibus vitam præstat. Secundò, Iod literam aufert à nomine Sarai: Sarai enim dicitur domina, he

ra, vel

ra, vel princeps mea: Iod enim litera Hebræis eſt, prono
men primitiuum, primæ perſonæ, vt Heli, Deus meus: A-
donai, id eſt, Dominus meus, &c. Sic Sar dominus vel
princeps: Sarah domina. Sarai domina mea. Aufert autē
hic Dominus pronomē, ne ex appellatione videatur eſſe
ſupra maritū. Secundò, vt oſtendat eā deinceps non v-
nius domus tantum heram futuram, ſed multarum gen-
tium. quaſi dicat, hactenus tua domina fuit, hoc eſt, tuæ
domus, nunc propter filium naſciturum clarior fiet: imò
ſicut tu pater multarum gentium eris, imò omnium cre-
dentium: ſic & ipſa eorum mater erit. Ad literam hæc
in Sarah impleta ſunt: nō enim minus amabile eſt nomē
eius, quàm Abrahæ. Et ſicut nemo non glorioſum ducit
eſſe filium Abrahæ, ſic & glorioſum eſſe filiū Saræ, adeo
vt etiam Saraceni mendaciter ſe ab ipſa cognominent.
Maximè aūt hæc in Eccleſia impleta ſunt & implentur.
Antequam enim naſceretur verus Iſaac Chriſtus, vnius
princeps erat populi Iudæorum. Nos enim gentes illo
tempore eramus alienati à conuerſatione Iſrael, &c. At *Ephe. 2.*
nunc iam non ſumus hoſpites & aduenę, ſed ciues ſancto
rum, &c. Igitur iā nō dicitur Sarai, quę dictio ſolius eſſet
populi Iudæorum, ſed Sarah, id eſt, princeps, vt ſubaudia
tur, multarum gentium. Merito aūt Eccleſia domina &
princeps dicitur: tū quia libera eſt, tū quia nulli niſi mari
to Chriſto ſubiecta eſt, tum quia omnia in ſua poteſtate
habet, quæ mariti eius ſunt, Euangeliū, Spiritū, Baptiſma,
Claues, Sacramenta, &c & quicquid facit, Dominus facit *Ioan. 20.*
ac ratum habet, quaſi ipſe feciſſet. Sic Eccleſia in nomine
Domini baptizat, conſecrat, abſoluit, &c. Omnia poteſt
in cælo & in terra, domina enim domus eſt, ſuo tamē ma
rito ſubdita: & hoc tantùm ab ipſa exigitur, ne marito ſe
præferat. ſed Deo ſubdita ſit: vnde non vult vt vocetur
domina mea, ſed ſimpliciter domina. Hæc eſt vera ma-
ter credentium, quæ ſicut ipſa libera eſt, ſic liberos gi-
gnit filios, hoc eſt, qui libero ſpiritu Deo ſeruiunt, non
coactè. Huius matris nos filii ſumus, non ex meritis no-
ſtris, ſed ex gratia. Sicut enim Iſaac nullis operibus me-
ruit, vt à libera naſceretur, ſic nec nos. Gratia eſt & do- *Ephe. 2.*
num Dei: ne quis ſuperbiat.

Et benedicam ei & ex ea dabo tibi filium, &c.

Satis superius dictum est, filiorum procreationem, benedictionem Dei nominari, Hic igitur Abraham audit, quod hactenus non audierat, nempe ex Sarai sibi nascitu rum filium: verè magna promissio, nec minus mirabilis, quàm si dixisset: ex lapide dabo tibi filium: Vnde mira Emphasi hoc dicit: Ex ea, inquit, quam tu sterilem probasti, & expertus es. sed præmisit: benedicam ei. itē addit: Ego dabo. vt ostendat se & autorem naturæ, & fortiorem natura: quod enim natura non potest, ipse potest.

Deinde promittit, & reges & gētes ex ipsa prodituros, quod primum impletū est in Isaac, ex quo Iacob & Esau duæ gentes notæ sunt, quarum vtraq; reges habuit. Maximè aūt in Christo impletū est, cuius fidei gētiū reges se

Apoc. 5. subdiderūt: imò q credētes oēs facit reges & sacerdotes.

Cecidit Abraham in faciem, & risit, &c.

O virum æterno risu dignum, & sempiternæ iucunditati bene præparatum, qui ita cecidit in faciē, vt rideret, ita rideret, vt caderet in faciem, illius vtiq; adorās omnipotentiā, cujus in promissione audierat singularē gratiā. Vbiq; se humilē ostēdit, & erga Deū reuerentem, Ex omnibus verbis Dei mouetur, accenditur, inflāmatur. Deinde risit fœlicitatis suæ admirationē: risit admirando gaudio ex tanta promissione & gratia. Quod autē dixit: Putásne centenario nascetur filius? non diffidentiæ est: alioqui eum corripuisset Dominus: sed magnæ admirationis, quasi dicat: quanta gratia, quantum miraculū hoc erit, quantū hinc glorificabirur Deus? Mysticè hæc fuit vox patrum veteris testamenti, quasi dicat: hactenus cum floreret rerū status, tēporibus regum nobiliū, non venit Christus: nunc senium quoddam est generis Abrahæ.

Gen. 49. Ablatum est enim sceptrum de Iuda: putas ergo nunc veniet qui mittendus est? putas videbo eum? &c. Eorū nāq; huiusmodi suspiria Simeonis expectatio satis indicat,

Luc. 2. qui in desiderio cordis sui responsum acceperat, nō visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini.

Vtinam Ismael viuat coram te, &c.

Verbū hoc iterū humilitatē eius indicat, qua se indignū fatetur tanto beneficio, ac ne sperare quidem talia au-

sum

ſum, ſed ſupra omnem ſpem ac meritum ſuum eſſe, quaſi dicat: Satis abundeq; me conſolatus es, prole fœlicitaſti, perfecteq; promiſſa impleſti, hoc quod nunc promittis non auſus fuiſſem petere vel ſperare, vt qui tanto beneficio me cognoſcam indignũ: ſic pius ſemper humiliatur.

Deinde hoc verbo nonnihil timoris indicat, audiens alium filium ſibi naſciturum, timere cœpit ne Iſmael omnino repudiaretur à Deo, ideo pro ſalute eius ſolicitus dicit: Vtinam Iſmael viuat coram te, id eſt, ad nutũ & voluntatem tuam: vt viuat, non tantum ad carnalem vitam referatur, ſed ad ſpiritualem. Nam tametſi ſemen benedictum non erat Iſmael, educauerat tamẽ eum pater in fide & religione vnius Dei. Diſcamus non tantum admirari & gaudere de propria ſalute, ſed inſuper ſolliciti ſimus & oremus pro ſalute aliorum, maximè filiorum.

Sara vxor tua pariet tibi filium, &c.

Obſcurius ſemper hactenus promiſerat ſemen benedictum, nunc clarè filium de vxore benedicta & nomen iucundum filij denunciat, & ſempiternam gratiam pollicetur, ac fructum fidei filio & poſteris. Deinde hoc verbo reſpondet Abrahæ ad cogitationem cordis ſui, quaſi dicat: Quantumuis magnum & mirandum tibi videatur, tamen ſic erit vt dixi, Sara pariet tibi filium. Iſaac autẽ præcipit eum nominari à riſu quem Abraham præ admiratione & gaudio fecerat: itemq; à gaudio quod vterque parens in natiuitate eius habituri erant, Iſaac enim riſus interpretatur. Maximè autem propter Chriſtum ex ipſo naſciturũ ſic nominatur, Chriſtus enim omnibus electis eſt cauſa ſempiterni riſus & gaudii interminabilis: inde in natiuitate eius gaudium annũciant angeli: hinc & ipſe dicebat: Iterum videbo vos, & gaudebit cor veſtrum, & gaudium veſtrum nemo tollet. Hoc gaudium, huncque riſum Ioannes prægustauit, adeò vt etiam in vtero matris exultaret. *Luc. 1.*

Luce 2.
Ioan. 16.

Et conſtituam pactum meum illi.

Cum filiis promiſsionis cumq; eorũ ſemine, id eſt, imitantibus fidem ipſorum, maximè autẽ cum Chriſto, & ei adhærentibus, fœdus ſempiternũ eſt, iuxta illud: In æternum ſeruabo illi teſtamentum meum, &c. Cum carnali *Pſal. 88.*

verò Israel pactum, quod ad temporales promissiones attinet, non durat amplius, sed cessauit, nam ipsi pactũ cum Deo non seruarunt. Excisi ergo sunt & maledicti, quòd in semen benedictum non modò credere noluerunt, sed
Rom. 11. insuper occiderunt.

Super Ismael quoque exaudiui te, &c.

Quasi dicat, Quicquid Ismaeli faustũ præcari potes copiose largiar, benedicã illi, benefaciã, ꝓpitius ei ero, &c.

Ex hoc loco colligi potest ꝙ Ismael in persona sua saluatus est: Quamuis enim per ipsum figurati sint mali, vt
Mal. 1. Paulus indicat, tamen nihil mali de ipso legitur, quale de Esau quem Deus dicitur odio habuisse. Vide igitur quàm largè Deus compenset iusti fidem, constantiam, patientiam, obedientiam. Vide quòd quicquid petit accipit, imò maiora quàm petere ausus fuit. Omnia hæc propter nos scripta sunt: discamus igitur & nos credere, obedire, patientiam habere, &c.

Pactum vero meum statuam ad Isaac, &c.

Hoc sæpè repetit, vt sciamus nõ satis esse carnaliter ex Abraham natũ esse, nisi & fidẽ imitemur: nõ ad filios carnis, sed fidei & promissionis pertinet pactum hoc. nõ est igitur quòd Iudæi glorientur. vnde Ioannes: Nolite di-
Matt. 3. cere patrem habemus Abraham, &c. Videmus iterum ex hoc loco duplicem remuneratiõe, Ismaeli promittuntur terrena, Isaac autem spiritualia promittuntur. Nos
2. Cor. 6. igitur nostram gratiã maximi faciamus, curãdo ne in vacuum eam recipiamus: reliquorum populorum sortem, & Dei circa ipsos munificentiam domino commendemus. Dominus est omnium quod bonum videbitur, de omnibus Deo suo id fiet.

Cumque finitus esset sermo loquentis, &c.

Non sic intelligẽdum ꝙ Deus Abraham deseruerit, aut
Isa. 66. locum mutauerit, (Deus enim vbiq; est, cælum & terram implet) sed quòd visio illa & locutio ad Abrahã cessauerit. Cæterùm discedit quidem Deus, sed statim reuertetur, propterea quòd Abraham in officio perseuerat: idem nobis faceret, si Abrahamum imitaremur.

Tulit Ergo Abraham Ismael, &c.

Sicut bis loquẽte domino in faciem suam corruerat ex fide,

fide, deuotione, & gratitudine, sic nunc post expletū sermonē ad opus se accingit. Hi essent veri fructus verbi, inter ipsum sermonem admirari, gaudere, humiliari; & post sermonem omnibus postpositis, ad opus accingi.

Vide hic veræ obedientiæ exemplum in Abraham: primo non dubitat verbum Dei esse quod audiuit: secundo non quærit cur tale quid præcipiat, nihil responsat, nihil causatur: tertio non stupet ad tam durum præceptum: quartò non curat suum dolorem: quintò nec curat quòd sciret se ob id deridendum à gentibus: sexto non differt, imò ne alteram quidem diem expectat: septimò omnia agit vt præceptum erat: octauò etiam familiam suam ad præcepti obseruantiam adegit. Hanc talem obedientiam secum fert fides, ratio nō tam obedientem facit, ea enim prius causas præceptorum inquirere conatur, multo minus sensualitas eam obedientiam præstat, hæc enim præceptorum duritiem fugit, aut saltem differt: fides autem scit quod Deus omnium dominus est, cui merito omnia obediunt. Deinde scit quod nosipsos totos Deo debemus. Tertiò quod Deus nihil mali præcipit, ideo claudit oculos, non audit rationem causas inquirentem, nō sensualitatem obmurmurantem, sed simpliciter obedit dicens cum psalmo: Paratum cor meum Deo, paratum cor meum. Item cum Paulo: Quid me vis facere? Et illud Euangelicum: Fiat voluntas tua.

Psal. 117 *Matt. 6.*

Discamus igitur hic veram obedientiam: Si enim Abraham in tam magnis obediuit, quid excusationis nos habebimus si in leuibus non pareamus? Attendamus quàm promptè Abraham circuncisionem assumpserit, quod audisset eam esse signum fœderis, imo paratus fuisset longè maius quid facere & pati, ne à fœdere excluderetur, tam magni æstimabat cum Deo fœderatum esse.

Multo minus nos nostra signa & sacrificia negligamus: Primo enim multo leuiora & faciliora sunt quam sacrificia veteris testamenti, non ingerunt dolorem, non exigunt sanguinis effusionem. Deinde etiam efficaciora sunt nostra sacrificia, non enim tantum signa sunt, sed etiam media quibus Deus certo nobis dona sua dat. Attendamus insuper quod Abraham etiam post fœdus cum

cum Deo ictum, post acceptum signum fœderis, non remissior factus est, sed feruentior: circuncisione enim admonebatur officij sui, sciebat ex hoc se Deo plus obligatum, item magis sibi cauendum à malis moribus gētium, &c. sciebat circuncisionem nihil esse, nisi cum Deo ambularet & perfectioni studeret. Hoc non attenderunt posteri eius, sed tantum de circuncisione gloriabantur, & quod externè distincti essent à gentibus, quamuis re ipsa peiores essent. vnde Paulus: Circuncisio nihil est, sed noua creatura. Item: Circuncisio nihil est, sed obseruatio mandatorum Dei. Sic nec nobis satis erit quòd baptizati sumus, nisi etiam baptismo satisfaciamus. Non igitur imitemur Iudæos qui vanè in sua circūcisione gloriabantur, sed imitemur Abrahamum qui ex circuncisione feruentior & magis sollicitus effectus fuit: sic nos admoneant sacrificia nostra officij nostri.

Postremo, curemus vt spiritualiter circuncisionem impleamus, hoc est, Vicia omnia à nobis resecemus, & mortificemus.

Caput decimumoctauum.

APPARVIT *autem ei Dominus in conualle Mambre sedenti in ostio tabernaculi sui in ipso feruore diei. Cumq; eleuasset oculos, apparuerunt ei tres viri stantes prope eū: quos cum vidisset, cucurrit in occursum eorum de ostio tabernaculi sui, & adorauit in terram. Et dixit: Domine, si inueni gratiam in oculis tuis, ne transeas seruum tuum: sed afferam pauxillum aquæ, & lauentur pedes vestri, & requiescite sub arbore. Ponamq; buccellam panis, & confortetur cor vestrum, postea transibitis: idcirco enim declinastis ad seruum vestrum. Qui dixerunt: Fac vt locutus es. Festinauit Abraham in tabernaculum ad Saram, dixitq; ei: Accelera, tria sata similæ commisce, & fac subcinericios panes. Ipse verò ad armentum cucurrit, & tulit inde vitulum tenerrimum & optimum: deditque puero, qui festinauit & coxit illum Tulit quoque butyrum & lac, & vitulum quem coxerat, & posuit coram eis: ipse verò stabat iuxta eos sub arbore. Cumq; comedissent, dixerunt ad eum: Vbi est Sara vxor tua? Ille respondit: Ecce in tabernaculo est. Cui dixit: Reuertens veniam ad te tempore*

tempore isto vita comite, & habebit filium Sara vxor tua. Quo audito Sara risit post ostium tabernaculi. Erant autem ambo senes prouectaeq; aetatis, & desierant Sarae fieri muliebria. Quae risit, occulte dicens: Postquam consenui, & dominus meus vetulus est, voluptati operam dabo? Dixit autem dominus ad Abrahā: Quare risit Sara dicens, Num vere paritura sum anus? Nunquid Deo quicquam est difficile? Iuxta condictum reuertar ad te hoc eodem tempore, vita comite, & habebit Sara filium. Negauit Sara dicens: Non risi, timore perterrita. Dominus autem: Non est, inquit, ita: sed risisti. Cum ergo surrexissent inde viri, direxerunt oculos contra Sodomam: & Abraham simul gradiebatur, deducens eos. Dixitq; dominus: Num celare potero Abraham quae gesturus sum: cum futurus sit in gentem magnam, ac robustissimam, & benedicendae sint in illo omnes nationes terrae? Scio enim quod precepturus sit filiis suis, & domui suae post se, vt custodiant viam domini, & faciant iudicium & iustitiam: vt adducat dominus propter Abraham omnia quae locutus est ad eum. Dixit itaque Dominus: Clamor Sodomorum & Gomorrhaeorum multiplicatus est, & peccatum eorum aggrauatum est nimis. Descendam, & videbo vtrum clamorem qui venit ad me opere compleuerint, an non est ita, vt sciam. Conuerteruntq; se inde, & abierunt Sodomam: Abram vero adhuc stabat coram domino. Et appropinquans ait: Nunquid perdes iustum cū impio? Si fuerint quinquaginta iusti in ciuitate, peribunt simul? & non parces loco illi propter quinquaginta iustos, si fuerint in eo? Absit à te vt rem hanc facias, & occidas iustum cū impio, fiatq; iustus sicut impius. non est hoc tuum, qui iudicas omnem terram: nequaquam facies iudicium hoc. Dixitq; dominus ad eum: Si inuenero Sodomis quinquaginta iustos in medio ciuitatis, dimittā omni loco propter eos. respondensq; Abraham ait: Quia semel cœpi, loquar ad dominum meum, cum sim puluis & cinis. Quid si minus quinquaginta iustis quinque fuerint? delebis propter quadragintaquinque vniuersam vrbem? Et ait: Non delebo, si inuenero ibi quadragintaquinque. Rursumque locutus est ad eum: Sin autem quadraginta ibi inuenti fuerint quid facies? Ait: Non percutiam propter quadraginta. Ne quaeso, inquit, indigneris Domine, si loquar: Quid si ibi inuenti fuerint triginta? Respondit: Non faciam si inuenero ibi triginta. Quia semel, ait, cœpi, loquar ad dominum meum: Quid si ibi inuenti fuerint viginti? Ait: Nō interficiam propter viginti.

Obsecro

Obsecro, inquit, ne irascaris Domine, si loquar adhuc semel: Quid si inuenti fuerint ibi decem? Et dixit: Non delebo propter decem. Abijtq; Dominus postquam cessauit loqui ad Abraham: & ille reuersus est in locum suum.

HActenus satis superque vidimus insignem imò mirabilem fidem iusti Abrahę, piumque eius animum in Deum. Vidimus item non minus mirabilem ipsius obedientiam, primum in egressu ex terra sua, nouissime autem in circuncisione: hic primus fidei fructus est Deo obedire. Nunc in hoc capite videbimus alium fidei fructum, nempe charitatem erga proximum: quem fructum iustus hic vel maximè ostendit per hospitalitatis gratiam, his enim rebus dignè colitur & placatur Deus. Iuxta hoc etiam videbimus quàm familiariter Deus Abrahamo se ostendat, vt vix homo homini familiarius colloqui possit. Primo enim diuertit ad Abraham, colloquitur, conuiuatur cum ipso. Deinde renouat promissionē quam supra fecerat de Isaac. Tertio per seipsum incipit: Num celare potero Abraham? &c. quasi dicat: Tam intimus mihi est vt non possim celare. Demum etiam ipse Abraham summa fiducia precatur, & quicquid petit exauditur. Omnia hæc indicant magnum fuisse Abraham coram Deo, voluitque Deus hoc exemplo ostendere quàm chari sibi sint credentes, ipsiq; per omnia obedientes.

Omnia autem hæc gratiam noui testamenti adumbrarunt, centesimus enim annus Abrahæ, in quo hæc gesta sunt, plenitudinem tēporis significat, in quo verus Isaac natus est. Deusq; tam familiarem se hominibus ostendit vt Paulus diceret: Apparuit benignitas & humanitas vel affabilitas saluatoris nostri Dei, &c. *Tit. 3.*

Apparuit autem ei Dominus in conualle Mambre, &c.

Alij legunt ad quercum vel quercetum Mambre. Obserua etiam locum in quo habitauit Abraham alienæ ditionis fuisse, vt verum sit illud Stephani: Non dedit illi nec passum pedis, &c. Obserua item quód postquam Abraham præceptum Domini compleuerat, statim redit Dominus & familiarius se insinuat. Sic si in officio & obedientia persistimus, non aberit Dominus, etiam si videatur *Act. 7.*

deatur ad tempus abijsse, sed redibit cum fœnore. Solũ igitur nostra culpa est, si Dominus non statim redit, vel omnino nos deserit: si iusti essemus subinde nos visitaret: Nunquam, inquit Dauid, vidi iustum derelictum. *Psal. 36.*

Apparuit autem dominus non in forma diuina, sed in specie humana, quo significabatur sic eum olim in mũdo appariturum, nempe vt humanam formam & naturã præferret, & tamen cum hoc Deus verus esset.

Sicut igitur Abraham Deum agnouit in humana forma, sic & nos eum cognoscimus in forma qua se ostendit, nempe in Christo, aliàs enim non possumus eum agnoscere. Hinc Christus: Qui videt me, videt & patrem, &c. Sedebat autem Abraham in ostio tabernaculi, non quasi ocium quærens, sed ibidem expectans peregrinos. Sedit autem in ipso feruore diei, id est, in meridie, quo tempore maximè indigent viatores recreatione & refrigerio. Videns igitur se non posse Deo quicquam referre pro tantis beneficiis, incipit proximorum obsequiis se totum dedicare, vt sicut ipse misericordiam consecutus fuerat, sic eandem alijs præstaret: hoc enim facit vera fides. Tam gratum autem officium suscipiendorum hospitum sibiipsi reseruat, non seruis committit, ne fortè minus sedulo honorificè & amicè illos suscipi contingeret. Denique sicut Deus eum in propria persona dignatus fuerat visitare, sic & ipse in propria persona alijs ministrat. Hæc sunt studia seruorum Dei, sic compensantur dona temporalia Deo, istis sacrificiis placatur Deus. *Iohã. 14.* *Heb. 13.*

Vidit tres viros stantes prope eum, &c.

Mirabilis visio. Supra dixit dominũ apparuisse, hic autem dicit quòd fuerunt tres viri. Eandem obscuritatem habet, quòd Abraham nunc quidẽ quasi ad vnum loquitur in singulari, interdum quasi ad plures in plurali.

Hebræi volũt quòd dominus prior apparuerit, postea [illegible] es illi viri. Alij dicunt quòd inter tres angelos vnus fuerit eminentior alijs, qui & Dei personam ferebat. Interdum igitur Abraham ad hũc solum, interdum ad omnes simul loquitur. Nos hic agnoscimus monstratum fuisse mysterium trinitatis, sicut enim Abraham tres quidem vidit,

vidit, sed vnum adorauit: sic in diuinitate tres quidem sunt personæ, sed vna essentia. Hoc autem mysteriũ trinitatis tum primum manifestatum est, cum Isaac nec solum promittitur, sed & datur: quia videlicet vbi Christus nascitur ex semine Abrahę, eiusdem Christi filij Dei incarnationem præsentia suæ maiestatis tota trinitas in hospitio virginei ventris operatur. Nã pater est qui virginem impregnat: Filius qui natura induitur humana: Spiritus sanctus cuius operatione concipit virgo. Et exinde nomen eiusdem trinitatis, quod prius ignotum erat: nomen, inquam, patris & filij & spiritussancti, toti mundo publica prædicatione declaratur.

Quos cum vidisset cucurrit. &c.

Vidit eos stantes quasi cunctabundos num diuertere velint, vel pertransire. Hic obserua pium huius viri animum: Primò non abscondit se, quod facere solent auari & tenaces: deinde non expectat donec rogatur: præterea nec seruum mittit, cũ tot seruos haberet, sed ipse per se, quamuis centenarius, obuiat. Imò currit ne prætereant, ne quis officium præripiat. itemq; vt alacritatem animi monstraret ad hospites. Deniq; non sciscitatur causas itineris, non merita discutit personarum. Imo tantus homo incuruatur vsque ad terram reuerentiæ causa (hoc enim est Hebræis adorare.) Senex coram iunioribus specie, nesciẽs qui essent, humiliatur, aliis quoq; eodem modo si venissent hominibus occursurus. Sicque iam impleuit

Rom.12. quod Paulus docuit: Honore inuicem prępuenientes. Itẽ:

Philip.2. Per humilitatem alter alterum superiorem arbitretur.

Domine si inueni gratiam in oculis tuis, &c.

Eum alloquitur qui honoratior cæteris videbatur: nõ minorem autem reuerentiam & humilitatem ostendit in verbis, quàm factis ostenderat. Primo enim dominos vocat, quos tamen non cognoscebat. Deinde rogat vt diuertant, idq; admodum efficacibus verbis: non dixit, si lassi estis, si pecuniam numerabitis, si emere vultis: sed, si mihi nõ inuidetis, si gratiam vestram promereri possum, nõ recusetis meum officium. Non potuit efficacioribus verbis inuitare, imò magni beneficij loco habiturum se dicit, si ad se declinare dignentur. Verè enim tanta res

est ho-

est hospitalitas, vt magis accipiat quàm donet, si quis eã obeat alacriter. vnde Christus: Qui vos recipit, me recipit, &c. Item: Qui recipit iustũ in nomine iusti, mercedẽ iusti accipiet, &c. id quod in Abraham videmus. Putabat se homines suscipere, & nescius angelos, imò Deũ ipsum suscipit. Nec dubium quin idem sæpenumero etiam nobis contingeret, si hoc exemplum imitaremur. vnde Paulus: Hospitalitatis nolite obliuisci, per hanc enim quidã placuerunt, etiam angelis hospitio receptis. Deinde Abraham non solis precibus euincere studet, sed etiam reipsa persuadere nititur: admonet enim eos tẽpus esse & refectionis & quietis vel refrigeratiõis, vt eo facilius diuertãt. Addit se oĩa præstaturũ, nõ tamẽ promittit splendidas dapes, nõ pretiosa condimẽta, buccellã panis polli cetur ad robur viriũ: paucula spõdet, sed magna præstat. Sic dignus quisq; & liberalis hospes attenuat verbis officii impẽsas, etiam si pretiosa producat. Gratus verò & sapiẽs peregrinus magnificat oĩa, etiã si exiliora susceperit. Mat. 10. Hebr. 13.

Suauiter & instanter suscipiendi sunt hospites, qua humanitate nõ minus delectari solent q̃ dapibus. Nihil suauius peregrino, quàm alacritas & humanitas hospitis.

Festinauit Abraham in tabernaculum, &c.

Si hominibus tanta fecit, quid egisset si sciuisset eos angelos esse? Quasi magnum bonum assecutus esset sic gaudet, festinat, ne tanto bono priuetur. Ad Saram festinat, quam & ipsam tanti boni participẽ esse vult, quæ & simili alacritate perurget oĩa: nihil in ea domo ꝑ ociũ geritur. Discant viri sic erudire familiã, discãt mulieres sic adiuuare viros in bono. Nõ his content⁹ Abraham, sed interim ad armentariũ currit, nõ mittit famulos, magna voluptate domino Deo seruire se credẽs. Nõ in principio tãtùm festinus fuit, vt pleriq;, sed perseuerauit in feruore: nõ arripit casu incidentẽ, sed tenerũ & optimum vitulũ. Puero dat, q æquè festinare didicerat. Nemo piger in domo sapiẽtis, & ad pietatis opera tam seriò se incũbentis: nec mirum cùm tam egrigiũ viderent exẽplum in sanctosene.

Tulit quoque butyrum & lac, &c.

Pergit subinde ministrando, nõ defatigatur senex, vincit naturã pietas. Deinde ꝑ seipsum apponit edùlia: apponit

autem quicquid optimũ habebat. Videmus autẽ hic sanctorũ frugalitatẽ, lac enim & butyrũ & vitulina caro illis lautitiæ erãt, quæ nũc vel serui nostri fastidirẽt: adeò illi veteres nõ voluptatẽ, sed necessitatẽ in cibo quæsierũt. Deniq; & de potu vini tacetur, ad reprehẽsionẽ nostram quibus nihil satis est. Demum tam venerabilis senex & tãtæ dignitatis, nõ assedit hospitib^9, sed stabat quasi seruus paratus ad ministrandũ, ꝓpriæ dignitatis oblit^9. Quis nõ miretur hu^9 viri pietatẽ? Hęc aũt humilia tã diligẽter descripsit Moses, vt videam^9 diuinũ spiritũ in sacris literis nõ solùm interiorẽ hominis formationẽ, sed etiã externæ vitæ, atq; humanæ consuetudinis cõmoditatẽ nobis præscribere. Deinde vt signanter nobis cõmendet hospitalitatẽ, quæ apud nos admodũ rara est. Sumus enim plerîq; aut ita rerũ nostrarũ tenaces, vt nihil fructus à nobis ad proximos redeat. Solemus nõnunq̃ magnifica verbis polliceri, at re ipsa parũ præstamus, aut ita prodigi, vt luxu & libidine cuncta profundamus. Deinde si quid damus, eos eligimus qui repẽdere possunt, cùm Christus cõtrariũ do-

Luce.14 ceat, iubeatq; non diuites sed pauperes ad cœnã vocare.

Vbi est Sara vxor tua, &c.] Videmus ex hoc verbo Saræ verecundiam & grauitatẽ, sciebat hospites adesse, videbat maritũ summo studio eis seruire, nõ tamẽ curiosè quærit qui sint, nõ exit ad eos, non colloquitur alienis viris, non prodit in conspectum virorum, sed sua curat. Hæc

1.Tim. 2. sunt vera ornamenta mulierum, quæ & Paulus docet.

Quamuis autẽ Sara non exit, non se ostẽdit, tamẽ dominus eius meminit, nõ obliuiscitur, vt sciamus etiam Deũ videre eos qui in secretò boni quid operantur. vnde

Matt. 6. Christus. Pater, inquit, qui videt, in abscondito reddet tibi. Imò quo magis nosipsos abscondimus eo magis Deus nos videt & probat. Quærũt vbi Sara sit, vt & ipsa promissionem Dei audiat, quam hactenus solus Abrahã audiuerat: voluit enim Deus etiam ipsam consolari.

Præterea nomine proprio eam appellant, tum vt ostendant se nõ tantùm homines esse, tum vt ostendant nomẽ Saræ apud Deum notum esse, & in libro vitæ scriptum, quo quid felicius esse potest? Simpliciter autem respondet Abraham, eam in tabernaculo esse: sciebat enim eam

non

nõ hinc inde vagari,sed domus curam gerere, quod mulierum est. Nec dicit in domo est, in cœnaculo aut solario,sed in tabernaculo:nec enim domum adhuc habebat sanctus,sed tanquam peregrinus in tabernaculo habitabat,& etiam in alieno solo:expectabat enim ciuitatem,& domum suam in futuro. *Hebr.11.*

Reuertens veniam ad te in tempore isto, &c.

Hic iterũ renouat promissionẽ de Isaac nasciturо,clarius tamen q̃ hactenus:hic enim etiam tempus & annum exprimit. Quòd autẽ addit vita comite, malè quis interpretaretur,si viuã,vel si vos vixeritis:Quomodo enĩ De⁹ dubitaret si post annũ victurus esset? aut quomodo ꝓmitteret aliquid,si incertũ esset eos victuros quibus fit ꝓmissio? Magis igitur hoc verbo eos assecurat, ꝙ ambo victuri sint,& visuri hoc Dei opus. Exẽplo igitur angelorum docemur hic, vt grati simus in eos qui nobis benefaciũt. Deinde videm⁹ hic prẽmiũ hospitalitatis,ꝙ scilicet Deus abũdè cõpẽsat,quod propter ipsum impẽdimus,id quod & vidimus in vidua Sareptana. Nemo igitur paupertatẽ prætẽdat,cũ nullus sit qui non possit vel huius mulieris exẽplum sequi,etiã si Abrahæ exẽplum sequi non possit. *3.Reg.17*

Audiens Sara risit post ostium, &c.

Supra etiam Abrahã risisse legitur,sed ex gaudio & admiratione,hic autẽ Sara magis ex quadã incredulitate ridet. Sępius enim audierat se pariturã, sed nihil videbat: vnde putabat viros illos Abrahę in hoc gratificari velle, vt dicerẽt quod ille sũmè exoptabat. Quòd aũt Sara dubitauerit ex eo patet quod sequitur: Erãt aũt ambo senes, &c. vt innuat ipsam magis cõsideraсse naturæ virtutem q̃ Dei potẽtiã & verbũ. Videmus igitur ꝙ ratio obstat fidei,& qui rationẽ sequitur tantùm, is nihil credet eorũ quę verbo Dei tradũtur:quare captiuãdus est intellectus in obsequiũ Christi. Deinde videmus etiã sanctos nonnunq̃ deficere:hactenus enim Sara magna fide Abrahamũ secuta est,nunc tamẽ diffidit,vel ad minus dubitat. Non tamen ob id abiicitur Sara:tolerat enim Deus etiã imperfectionẽ suorum,dummodo non ex malitia peccent, imò nõ cessat donec ad maiorẽ fidẽ eã erigat. Hæc autẽ ideò scribuntur nõ vt excusationẽ habeamus in peccatis, sed *2.Cor.10.*

vt videamus quæ ſit natura noſtra, deinde ne deſperemus ſi quid etiam nobis tale contigit.

Poſtquam conſenui, & dominus meus vetulus eſt, &c.

Verbo hoc inſigniter prodit ſuã pudicitiã & humilitatem, colligi enim hinc poteſt ꝙ iam diu oĩbus voluptatibus renunciauerat, ſolum cogitans futuram vitam: imò indecens putat eſſe vt in ſenectute voluptati operã det.

Diſcant hinc ſenes, qui cùm emortui ſint ac foſſæ appropinquent, tamen verbis & lingua ſpurciſsimi ſunt, ac ineptiores iuuenibus. Deinde Sara Abrahamum nominat dominum ſuum, quod Petrus magnipendit, admonens mulieres vt eam imitentur. *1.Pet.3.*

Quare riſit Sara? &c.

Hic videmus Deo omnia nuda & aperta eſſe: occultè riſerat Sara, ſed tamen Deum fallere nõ potuit. Deinde videmus quòd Deus non patitur verbũ ſuum rideri: Nõquid, inquit, Deo eſt aliqd impoſsibile? quaſi dicat? Non ne ipſe author naturę? nonne omnia poteſt? vbi vnquam fefellit? Diſcamus non ridere verbum Dei, ſed certò perſuadere nobis rem ſeriam eſſe vbi Deus loquitur. Deĩde repetit promiſsioné, vt ad credendum ipſam inuitet: promittit ſe iterum reuerſurũ, vt gaudio ipſorũ ex nato filio interſit, pręſentiaq́; ſua honoret ſemen ipſorum, de quo in plenitudine temporis carnem aſſumpturus erat. *Hebr. 4.* *Gala. 4.*

Negauit Sara dicens, non riſi, &c.

More hominũ facit, qui quod homines nõ vident etiã Deum latere putant: item qui cum arguuntur, ſemper aut negant aut excuſant. Addit tamen Moſes, quòd timore pterrita hoc dixerit, quo verbo peccatũ ipſius extenuat: nõ enim ex malitia, ſed timore & humana infirmitate, imò incogitantia hoc fecit, Aliter enim peccant ſancti, aliter impii, ideò etiam nõ æqualiter reſurgunt: pius ſi cadit nõ confringitur, quia dominus ſupponit manum ſuam: impius autem ſic cadit vt non reſurgat. *Pſal. 39.*

Non eſt ita, ſed reſiſti, &c.

Fruſtrà corã Deo negamus vel excuſamus peccatũ, ipſe enim oĩa videt & ſcit. Volunt aliqui ꝙ Abrahã hoc verbum dixerit timens ne Sara in negando perſiſteret, quaſi dicat: Ne putes quod quicq̃ poſsit abſcondi à præſentis

Dei

Dei virtute. Noli negare factũ, ne addas peccatũ, & perdas gratiam hospitalitatis. Discant hic viri arguere & instruere vxores, sed in spiritu lenitatis.

Cumq́; surrexissent inde viri, dixerunt, &c.] Hactenus diu multumque de Dei erga pios bonitate dixit Moses, nunc deinceps etiã exẽplum iræ diuinæ contra impios describet: neutrũ enim horum negligit diuina scriptura. Sic supra nõ tãtùm audiuimus Dei beneficia erga primũ hominem, erga Abel, Sem, Noe, Enoch. sed etiam Dei iram cõtra peccatores, Adã, Cain, & eos qui in diluuio perierũt. Idẽ etiã nunc facit, ob eã causam vt sciamus Deum nedũ misericordẽ, sed & iustum: nedũ videre bonos, sed & malos. alioqui si tantùm scriptũ esset quid erga pios operatus esset De⁹, putarẽt se nõ videri aut curari à Deo. Igitur Deus interdum quędam horrenda iudicia ostẽdit, vt hinc discamus quale futurum sit vltimũ iudicium, & quis finis malorum erit. Cæterùm quòd hi angeli in vna legatione & Abrahamũ cõsolantur, & Sodomitas perdũt, idq́; potissimũ eo tẽpore quo Isaac nasciturus erat, signũ fuit, quòd aduentus filii Dei electis in multitudine misericordiæ, reprobis autem in multitudine iræ futurus esset. vnde Paulus: Ira & indignatio, &c. in omnẽ animam hominis operantis malum. Econtra: Gloria, honor, & pax, omni operanti bonum. Et Dauid de Christo: Intende prospere procede & regna, propter, vel per, aut cũ veritate, mansuetudine & iustitia, &c. Et Christus ipse: Ego in iudiciũ veni in hunc mundum, &c. Igitur ꝙ angeli qui hactenus ad Abraham eiusq́; domũ versi erant, nunc oculos ad Sodomã dirigunt, indicio est, quòd dominus non ad vnũ locũ tantùm respicit, sed sicut videt bonos, sic videt & malos, licet dissimili causa & effectu. Hinc Dauid: Oculi domini super iustos, &c. vultus autem domini super facientes mala, &c. Quòd autem Abraham simul pergit & angelos deducit, infatigabile eius studium ad pietatem ostendit. Cucurrerat eis obuiam, recurrerat ad domum, inde ad stabulum: ministrauerat, diu steterat, nec tamen adhuc defatigatur, sed insuper deducit tam senex. Sic pii nunquam fatigantur in bono, sed semper alacriores fiunt, non sentiunt laborem, senium, &c. Hinc Isaias: Iuuenes

Rom. 2.
Psal. 44.
Ioan. 9.
Psal. 33.
Isa. 40.

Iuuenes deficiunt, qui autem ſperant in domino augebunt fortitudinem, currunt & non laſſantur, ambulant & non deficiunt.

Num celare potero Abraham, &c.

Quamuis Abrahã videret eos verſus Sodomã pergere, ac, iam diuinabat magnũ aliquod malũ Sodomitis imminere, non tamẽ curioſe quęrit aut inueſtigat iudicia Dei: vt & nos diſcamus non curioſi eſſe, quid Deus cum aliis acturus ſit. Hinc Christus Petrũ quęrentẽ quid de Ioanne futurum eſſet arguit: Quid ad te, inquit, tu me ſequere. Vbi igitur Abraham timorem & reuerentiam erga Deum præ ſe fert. Ob hanc eius modeſtiã dominus ipſe ſponte ei manifeſtat quid facere velit, ac primò ita loquitur quaſi non poſſet eum hæc celare: quaſi dicat, Cùm tantum me glorificet Abraham, non poſſum omittere quin ei conſilium meum aperiam. Adeò Abraham fide ſua conſtrictum Deum tenebat, vt in omnibus ei condeſcenderet, iuxta illud: Voluntatem timentium ſe faciet.

Ioan. 21.

Pſal. 146

Tres autem cauſas allegat huius manifeſtationis. Prima erat magnitudo ipſius Abrahæ, pro perſona enim ſua dignus erat. Deniq; futurus erat in gentẽ magnam, ſicq; hæc Dei condeſcenſio ad plures permanatura in gloriam Dei. Verè autem dicitur Abraham futurus in gentẽ magnam, non ſolùm ſecundũ carnem, ſed ſecundum fidem. Deinde etiam robuſtam, adeò vt Christus dicat: Regnũ cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. Secunda cauſa, vt ipſe Abraham hoc factum filiis & poſteris nunciet, vt à peſsimis ſceleribus caueant, & vias domini non ſuas cupiditates, vt Sodomitæ, ſequantur. Tertia cauſa, vt hinc & ipſe & poſteri eius diſcerent Deum veracẽ, & quòd ſeruaturus ſit quicquid promiſit Abrahę.

Matt. 11.

Eſt igitur ſenſus: Noui eum tam integrum virum, vt nihil dubitem quin cùm hanc rem audierit, filiis ſuis ſit expoſiturus, præcepturusq; vt à turpibus abſtineant, iuſtitiam & iudicium colant. Deinde vt agnoſcant Deum tam veracem, vt quemadmodum impios iuxta verbum quod ad Abraham locutus eſt perdiderit: ſic & Abrahæ & ſemini eius promiſſa ſit ſeruaturus. Ex hoc loco videmus Deum plerunque ſuis manifeſtare quæ futura ſunt, iuxta

iuxta illud: Non faciet dominus verbũ nisi ostẽderit ser uis suis prophetis. Ideò autẽ manifestat futura, vt eũ glorificemus, sicut Daniel fecit. Secundò vt iudicia eius prẹuidentes à peccatis abstrahamur. Tertio vt veritatẽ eius cognoscamus. Videmus etiã hic, quod nedum præterita bona sed etiam futura iusto remunerantur. Postremò habemus hic exẽplũ pii patrisfamilias, cuius est filios ac domum suam admonere: primò vt in via, id est, in prẹceptis domini ambulent, semper offensam domini formidãtes, & ne excidant à gratia Dei & promissis: secundò vt iustitiam & iudicium faciant. Iustitiam facere, est Deum credere, colere, & ab eo totum pendere. Iudicium facere, est proximo impendere quod sibi quisque velit fieri. *Amos 3.* *Dan. 2.* *Matt. 7.*

Clamor Sodomorum multiplicatus est, &c.

Non de clamore vocis loquitur, nec sic intelligẽdum, quod ipsi Sodomitæ ad Deum clamauerunt: nec clamor iste erat iustorũ cõtra impios clamãtium, cùm nemo inter illos esset iustus præter vnum Loth, qui non contra ipsos, sed magis pro ipsis orauit. Clamor igitur Sodomorum nihil aliud erat, quàm publica criminũ libertas, consensus communis in malum nemine accusante, reprehendente, arguente, dolente. Ocium deniq;, saturitas, cruditas, pauperum oppressio, nouæ libidines, publicus abusus contra naturam. Hæc crimina cum reliquis omnibus, insuper contẽptus Dei & prædicatorum, qualis erat Loth, clamor, Deo erant. Hæc erant peccata grauia valde, quæ terra ipsa diutius ferre non poterat. Hic igitur secundò habemus peccata clamare in cælum, tunc autem peccata nõ solùm nos accusant sed clamant, primò cum magna sunt, vt homicidium quod Cain fecit, item peccatum Sodomorum, item oppressio pauperum: secundò cum non vnum sed multa sunt peccata: tertiò cum publica sunt, adeò vt proximus inde scandalizetur, & nomen Dei propter hoc blasphemetur: quartò cum obstinatè peccatur: quintò cum verbũ Dei cõtemnitur. Quæ cum omnia inter nos sint, non dubium quin etiam clamor noster in cælo audiatur: id quod meritò nos terrere debet. *Gen. 4.*

Multipliciter autẽ peccatũ Sodomorũ exaggerat: Primò ꝙ dicit peccata nõ solũ ipsos accusare, sed clamare:

Secundò quod dicit Sodomorũ & Gomorrhæorum, hi enim cum terram frugiferam habitarent,& paulo antè in deuaſtatione ſua Dei iram,in liberatione aũt Dei clemẽtiam ſenſerant, deuotiores ſanctioresq; aliis eſſe debebant : ſed contrarium inuenitur. Tertio addit peccatum eorum nimis aggrauatum,adeo ſcilicet vt iudicium Dei amplius differri non poſsit aut debeat.

Deſcendam igitur & videbo,&c.

Omnia prius ſciebat & videbat,tamẽ ſic loquitur,imò angelos deſcendere facit:Primò vt oſtendat ſe iuſtè peccatores punire,nec vlli iniuriam facere:Secundò vt oſtẽdat ſe inuitum punire,quaſi dicat,mallem hæc nõ ſic eſſe & inueniri:Tertiò vt longius tẽpus ad pœnitentiam haberent,ideo noluit ſtatim perdere:Quartò deſcendit vt educeret Loth,ne cũ aliis periret: Quintò ad exemplum iudicibus,vt nõ temerè ſententiam præcipitẽt aut damnent,ſed cauſas examinẽt.habet iudex duas aures,vna pateat accuſatori,altera reo, deſcendat igitur, nec ſuperbiat in miſeros.Docemur etiam hic non temerè ex famæ
Lucæ. 6. & rumore ſolo alios iudicare aut damnare.

Conuerterunt q; ſe inde,& abierunt Sodomam, &c.

Comminationem Dei ſequitur effectus,Iam appropinquabat dominus,imo iudiciũ domini Sodomis,iam ſententia lata erat,interim ipſi laſciuiebant nihil minus tinẽtes:non ſciebant ſequẽti die ſe miſerrimè perituros. Sic plerunq; iudicium diuinũ,cùm minimè timetur,tunc vel maxime appropinquat & adeſt prę foribus,timeamus igitur & nos. Sodoma typus fuit Iudaici populi, vt patet
Iſaiæ. 1. in Iſaia,horũ clamor ad cælum vſq; peruenit cũ prophe-
Mat. 21. tas occidiſſent,imo & Chriſtum ipſum: vt patet in parabola de malis agricolis & vinea. Deinde Sodoma etiam typũ gerit mundi.Paſſurus igitur dominus oculos direxit cõtra hanc duplicẽ Sodomam:vtriuſq; enim euerſio-
Matt. 24 nem apoſtolis prędixit,qui futuri erant in gentẽ magnã.

Abraham autem adhuc ſtabat coram domino, &c.

Magnum hic charitatis exemplũ videbimus in Abraham,magnum item diuinæ bonitatis argumentum. Stabat Abraham corã domino,inuitus ſeparabatur:ſenſerat enim fructum præſentiæ diuinæ,itemq; quàm bonum ſit

adhærere

adhærere domino. Stabat autem non ociosus, quemadmodum & supra dictum est, sed iterum stabat in magno quodam opere, in magno feruore, stabat anxius pro Sodomitis, studiosus reconciliandæ pacis, sequestrẽ ac mediatorem agit. Sciebat non longum abesse iudiciũ Dei, vbi peccata tam magna sunt, vt in cælum clament. Videbat insuper angelos recta pergere versus Sodomã. Cogitabat miserorum hominũ futuram perditionem, quam ipsi tam propinquam esse nesciebant. In mentem item ei veniebat Loth amicus suus, quẽ timebat cum alis periturum. Non contentus autem eum solum liberare, ne videatur priuato affectu moueri, pro omnibus in generali orat. Sciebat Deum velle rogari, ac ideo futuram iram prædicere, vt ei occurramus, eamq; feruẽti prece mitigemus. Sciebat item, legem charitatis id exigere, vt quod quisque vult sibi fieri, hoc etiam alteri faciat. Omni igitur studio pro Sodomitis intercedit, illorum peccata vt sua suscipit, conatur iram Dei amouere, ac omninò ignita verba loquitur. Deniq; eo rem deducit, vt putet iã Sodomitis nihil mali euenturum: non enim dubitabat, quin ad minus decem iusti inuenirẽtur, alioqui si hoc timuisset, vlterius orasset. Hæc est vera Christiana Charitas; sic & nos deberemus suscipere peccata proximorũ, non vt eos traducamus, iudicemus, condemnemus, sed vt pro illis occupemus iudicium Dei. *Mat. 7.*

Nunquid perdes iustum cum impio?

Omnes bonas cõditiones habet hæc iusti oratio. Primò enim non excusat peccatum Sodomorum. Sciebat enim coram Deo qui omnia videt, nullam valere excusationem. Deinde iam audierat Dominum dixisse, peccatũ ipsorum valde aggrauatum esse, huic cõtradicere nephas putauit. Secundò, peccatis Sodomorum opponit Dei bonitatem, quasi dicat: Esto, magna sint peccata eorũ, maior tamen est bonitas tua: absit vt quæcunque hominum malitia bonitatem tuam superet. Tertiò, admonet Deum nominis & gloriæ suæ, quasi dicat: Esto, sunt mali Sodomitæ, nõ dubiũ tamen, quoniã multi inter eos boni sint. Iusti autem iudicis nõ minus est eripere bonos, quàm punire malos. Si igitur cum impiis etiam iustos perdideris,

peribit nomen & gloria tua. Omnes te immitem,immisericordem clamabũt,qui nec seruitoribus tuis parcas:nemo iustitiam sequetur, si viderint nullum iustitiæ præmium. Sin autem propter iustos etiam impiis parcas, mirũ in modum crescet gloria tua. Omnes te glorificabũt, omnes videbunt,quàm bonum sit tibi seruire,imò etiam impii ad pietatem accendentur.

Vides quid Abraham quærat & prætendat,nẽpe gloriam nominis Domini,atque hoc vno vel maximè mouetur Deus. Hoc modo etiam Moses orauit: Obsecro,inquit, Domine,ne dicãt Aegyptii,callidè eduxit eos,&c.
Exodi 3. Magnificetur potius misericordia tua, &c. Eodẽ modo,
*Num.*14. docuit nos Christus ante omnia orare, vt sanctificetur
Matt. 6. nomẽ Domini. Singula autem verba Emphasim suam habent:nunquid,inquit,etiam iustum interficies? Si homines hæc facerent,non tam nouum esset. Item, an nõ potius dimittes toti ciuitati propter tot iustos, cùm vnus iustus maioris sit apud te precii, quàm multa milia impiorum? Item,tune hæc facies,qui iudicas terram?

Ex his vides,quanta fiducia & fide oret:ita enim orat, quasi certus de exauditione. Ad orationem enim requiritur,vt fiat cũ fide & fiducia. Postulet,inquit,in fide, nihil
Iacob. 1. hæsitans,&c. Huic fiduciæ pius Abraham addit parẽ humilitatem,& reuerentiam,vel timorem. Primo enim puluerem & cinerem se fatetur. Oratio enim debet esse hu-
Psal. 50. milis. Spiritũ contritũ & humiliatum non despicit Dñs. Deinde agnoscit se nimis audacẽ,præsumptuosum,& temerariũ,qui cũ Deo sic loqui ausit, Vbi enim nos legim⁹: quia cœpi loqui,in Hebræo habetur:Eia cœpi loqui nũc quasi dicat:tam audax fui,&c. Præterea etiam rogat,ne irascatur Dñs.idq; nõ semel,sed sæpius,semperq; nominat Dominũ suum. Hæc est vera fortitudo,qua Deus tenetur:firma scilicet fides,& humilis spiritus. Vtpote manifestè hic. Obseruandum etiam, quòd non semel tantum orat,sed sæpius. Quo enim magis videbat Deũ cõcedere,eò feruentius orabat. Debet enim oratio perseuerans esse,id quod Christus pulchrè in Euangelio docet.
Luc. 11. Non tamen infra decem descẽdit Abraham,tũ quia hoc
& 18. videbatur esse extra laudẽ iusti iudicii Dei. Nõ minus e-

nim

nim pertinet ad laudem Dei, vt iustus sit, quam vt sit misericors: tum secundo, quia sciebat tam paucos iustos seruari posse, etiam si alij perirent. Maxime autem ideo non descendit infra decem, quia nihil minus timebat, quàm quód non inueniri possent decem iusti in quinque ciuitatibus: imò non dubitabat plures superesse. multum tamen fefellit eum sua spes: non enim inuêtus est quisquam iustus in quinq; ciuitatibus, præterquam Loth cum duabus filiabus. Verè terribile exemplum hoc est, ac merito formidandum, ne & nunc pauci iusti sint. Non enim sine causa Christus dixit: Cum venerit filius hominis, putas inueniet fidem in terra? Item: Multi vocati, pauci verò electi. Considerandum etiam hic, quo tandem res humanæ prolabantur, dum nemo est, qui obstet vitiis, dum omnes impunè sunt pessimi, metuenda sunt iudicia Dei: inuigilandum omnibus, ne tam sine omni freno ad peccata curramus, maximè pastoribus & rectoribus etiã prophanis. Nos sæpe nobis ipsis blandimur, dicentes: Deus misericors est, diuinæ interim iustitię obliuiscentes. Imò cum mores nõ mutamus, nec resipiscimus, sed scelera sceleribus cumulamus, Deum ipsum, cuius misericordiã ore iactamus, corde irridemus. Luc. 18.

Si inuenero quinquaginta iustos, dimittam, &c.

Hic primo videmus, quantæ reputationis sint iusti coram Deo, cum nedum propter quinquaginta iustos, sed etiam propter viginti, imo propter decem Deus tot ciuitatibus parcere velit, si inuenirentur. Vnus enim iustus maioris est apud Deum pretij, quàm multa milia impiorũ. Videmus item, quid sancti faciãt in mundo, & quis ex eis prouẽtus ad cæteras proueniat. Nisi enim pij essẽt aliqui in mũdo, nõ toleraret Deus impios, ne ad horã quidem. Expectate, inquit, donec impleatur numerus fratrũ vestrorũ: tunc enim vindicta veniet super mundũ. Videmus itẽ, q̃ honorãdi sint & essent iusti, si internoscerẽtur, cũ propter eos tãtus fructus mũdo proueniat. Videmus itẽ, quantũ vindictæ propẽdet illis, qui sanctos tã preciosos in oculis Dei persequi & cõtristare prę sumpserit. Melius esset tali homini, vt suspẽderetur ei mola asinaria in collo, &c. Vide itẽ longanimitatẽ Dei tã multos malos tolerantem, Apoc. 6. Matt. 18.

cùm

cùm tam pauci sint,qui seruiant ei. Cæterum quod Deus tam diu cum Abraham loquitur,ipsumque tam patienter audit,signum est,quòd Deus non offenditur aut lassatur orationibus nostris,sed gratum habet,si sæpe & multum oremus. Quod autem in omnibus & vbique Abrahamũ exaudit, nihil denegat, daturus etiam maiora, si diutiùs orasset,virtutem orationis ostendit,quàm scilicet fortis-
Iaco.5. & efficax sit oratio ex fide procedens. Multum, inquit, potest oratio iusti asſidua,vt patet exemplo Heliæ: imò
Marc.11. talis oratio omnia potest. Si habueritis,inquit,fidem,diceris monti huic,tolle te,&c. Item: Quicquid petieritis orantes credite, quia accipietis. Accedamus igitur cum fiducia,&c.

Abiitq; Dominus,postquam locutus est dominus,&c.

Quia Abraham se promiserat cessaturũ:& quia imperscrutabilis est mensura pietatis diuinę,vtq; malitia Sodomorum patesceret, & Dei seueritas calumniæ non pateret,vt sciremus omnia iudicia Dei iusta esse,vtque humilietur omne hominum genus,si sistatur iudicio Dei. Ideo nondum peruento ad numerum seueritatis, persistit in gradibus clementiæ. Obseruandum in fine, quòd Deus
3. Reg.19 aliquando propter multos bonos sicut Samariæ non pepercit, licet superessent septem milia virorum, qui non adorassent Baal:aliquando propter vnum multos punit,
2.reg.vl. vt patet in Dauide. Dominus est: bonus est,iustus est,sapiens est: nostrum non est scrutari consilium maiestatis suæ,sed in ipsum sperare,amare,obedire,confiteri,orare.

Caput decimumnonum.

VENERVNT QVE *duo Angeli Sodomam vespere,sedente Lot in foribus ciuitatis.Qui cum vidisset eos surrexit,& iuit obuiam eis:adorauitque pronus in terram,& dixit:Obsecro,domini,declinate in domum pueri vestri, & mane te ibi:lauate pedes vestros,et mane proficiscemini in viã vestram. Qui dixerunt: minimè,sed in platea manebimus. Compulit illos oppido,vt diuerterent ad eum:ingreßisq; domum illius,fecit conuiuium,& coxit azyma,& comederunt. Prius autem quàm irent cubitum,viri ciuitatis vallauerunt domum, à puero vsque ad senem,*

nem, omnis populus simul. Vocaueruntq; Lot, & dixerunt ei: Vbi sunt viri, qui introierũt ad te nocte? educ illos huc vt cognoscamus eos. Egressus ad eos Loth, post tergum occludens ostium, ait: Nolite, quæso, fratres mei, nolite malũ hoc facere. Habeo duas filias, quæ necdum cognouerunt virum: educam eas ad vos, et abutimini eis, sicut vobis placuerit, dummodo viris istis nihil mali faciatis, quia ingressi sunt sub vmbra culminis mei. At illi dixerunt: Recede illuc. Et rursus: Ingressus es, inquiunt, vt aduena, nunquid vt iudices? te ergo ipsum magis quàm hos affligemus. Vimq; faciebãt Lot vehementissimè: iamque prope erat, vt effringerent fores. Et ecce miserunt manum viri, & introduxerunt ad se Lot, clauseruntque ostium, & eos qui foris erant, percusserunt cæcitate à minimo vsq; ad maximum, ita vt ostium inuenire non possent. Dixerunt autẽ ad Lot: Habes hic quempiam tuorum? generũ, aut filios, aut filias, omnes qui tui sunt, educ de vrbe hac: delebimus enim locum istũ, eo quòd increuerit clamor eorum coram Domino, qui misit nos, vt perdamus illos. Egressus itaq; Lot, locutus est ad generos suos, qui accepturi erant filias eius, & dixit: Surgite, & egredimini de loco isto: quia delebit Dominus ciuitatem hanc. Et visus est eis quasi ludens loqui. Cumq; esset mane, cogebant eum angeli, dicentes: Surge, tolle vxorem tuam, & duas filias quas habes, ne & tu pariter pereas in scelere ciuitatis. Dissimulante illo, apprehenderunt manũ eius, & manum vxoris, ac duarum filiarum eius, eo quòd parceret Dominus illi. Eduxeruntque eum, & posuerunt extra ciuitatem: ibique locuti sunt ad eum, dicentes: Salua animam tuam. noli respicere post tergum, nec stes in omni circa regione: sed in monte saluum te fac, ne & tu simul pereas. Dixitq; Lot ad eos: Quæso, domine mi, quia inuenit seruus tuus gratiam coram te: & magnificasti misericordiam tuam quam fecisti mecum, vt saluares animã meã, nec possum in monte saluari, ne fortè apprehendat me malũ et moriar. Est ciuitas hæc iuxta, ad quam possum fugere, parua, & saluabor in ea: nunquid nõ modica est, & viuet anima mea? Dixitq; ad eum: Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, vt non subuertã vrbem pro qua locutus es. Festina & saluare ibi: quia non potero facere quicquam, donec ingrediaris illuc. Idcirco vocatum est nomẽ vrbis illius Segor. Sed egressus est super terrã, & Lot ingressus est Segor. Igitur Dominus pluit super Sodomam & Gomorrham sulphur & ignem à Domino de cælo: & subuertit ciuitates has, & omnem circa regionem, vniuersos habitatores vrbium, & cuncta terræ

terræ virentia. Respiciensq; vxor eius post se, versa est in statuam salis. Abraham autem consurgens mane, vbi steterat prius cũ Domino, intuitus est Sodomam et Gomorrham, & vniuersam terram regionis illius: viditque ascendentem fauillam de terra, quasi fornacis fumũ. Cum enim subuerteret Deus ciuitates regionis illius, recordatus est Abrahæ: & liberauit Lot de subuersione vrbium in quibus habitauerat. Ascenditq; Lot de Segor, & mansit in mõte, duæ quoque filiæ eius cum eo (timuerat enim manere in Segor) et mansit in spelunca ipse, et duæ filiæ eius cum eo. Dixitq; maior ad minorem: Pater noster senex est, & nullus virorum remãsit in terra, qui poßit ingredi ad nos iuxta morem vniuersæ terræ: veni, inebriemus eum vino, dormiamusq; cũ eo, vt seruare poßimus ex patre nostro semẽ. Dederunt itaque patri suo bibere vinum nocte illa. Et ingressa est maior, dormiuitque cum patre: at ille nõ sensit, nec quando accubuit filia, nec quando surrexit. Altera quoque die dixit maior ad minorẽ: Ecce, dormiui heri cum patre meo, demus ei bibere vinum, etiam hac nocte, & dormies cum eo, vt saluemus semen de patre nostro. Dederuntque etiam & illa nocte patri suo bibere vinum: ingressaque minor filia, dormiuit cum eo: & nec tũc quidem sensit quando concubuerit, vel quando illa surrexit. Conceperunt ergo duæ filiæ Lot de patre suo. Peperitque maior filium, & vocauit nomen eius Moab: ipse est pater Moabitarum, vsque in præsentem diem. Minor quoque peperit filium, & vocauit nomen eius Ammon, id est, filius populi mei: ipse est pater Ammonitarum vsque hodie.

IN hoc capite terribile illud iudiciũ Dei super quinq; illas ciuitates audiemus: quod Dei iudicium ita accipiendum est, non vt miseros illos qui perierunt tantũ attẽdamus, sed vt hinc discamus, quale iudiciũ etiam nos maneat, si impij fuerimus. hinc Petrus: Ciuitates, inquit, Sodomorũ & Gomorræorum in cinerem redigens euersione damnauit, exemplum eorum qui impiè acturi sunt, ponens, &c. Deinde sicut superiori capite Abraham nobis in exemplum propositus est, sic in hoc capite virtutes ipsius Lot describuntur ad exemplum nostrum, vt non immeritò liber hic à veteribus dictus sit liber iustorum, quod in eo sint admiranda, & excellentissima virtutis & integritatis exẽpla. Quemadmodũ enim floridũ aliquod

2. Pet. 2.

aliquod pratum varios & omnigenos flores nobis ostentat: ita & diuina scriptura iustorum virtutes nobis demonstrat, non vt paruo tantũ tempore, sicut florum fragrantia fruamur: sed vt perpetuam inde vtilitatem capiamus.

Veneruntq; duo Angeli Sodomam, &c.

Quantumuis Abram pro Sodomitis orat, isti tamẽ duo angeli pergunt cœpto itinere: iudicium Dei nõ dormit, aut cessat, tempus enim erat. Completa erat eorum iniquitas. Itaque angeli iudicij diuini executores iamiam adsunt, intrant ciuitatem hospites minimè commodi Sodomitis: quod tamen non angelis, sed ipsis Sodomitis imputari debet. Quales enim nos sumus, tales se erga nos ostendunt & Deus & angeli. Cum sancto, inquit, sanctus eris, &c. *Psal. 17.* Domui Abrahæ hi angeli omnia bona attulerant: quia digna erat ea domus, super quam requiesceret domini benedictio. Sodomitis autem certum exitium adduxerunt: quia commeruerant.

Quantum exterriti fuissent, quãtum clamassent, si causam huius aduentus sciuissent? Verũ nullus eorum quicquam timet, aut cogitat de iudicio Dei, adeò excæcauerat eos præsens fœlicitas. Sic plerunq; iudicium diuinum improuisos obruit, non igitur sine causa dicit: Vigilate, nescitis enim qua hora filius hominis venturus sit. *Luc. 12.* Et Paulus: Dies Domini sicut fur in nocte, ita veniet. *1. Thes. 5.* Duo autem angeli veniunt Sodomam: vnus ad subuertendam ciuitatem: alter ad liberandum Lot: tertius iam officium suum expleuerat in domo Abrahæ, ideo nõ venit Sodomam. Bene autem duo angeli Sodomam venerunt, vt in testimonio duorum iustum staret iudicium: hoc enim ad illud respicit quod supra dictum est: Descendam, & videbo, &c. *Deut. 17.* Sicut igitur illa dicta sunt, vt de inexperta culpa nemo temerariam ferat sentẽtiam, sic duo angeli Sodomam venerunt, vt minus quàm duobus testibus nullam damnatio terminet accusati causam.

Bene etiam non tres, vt ad Abraham, sed duo tantum venerunt Sodomam. Siquidem cordibus impiorum non reuelatur trinitatis mysterium. Veruntamen & Dei filius super terram inter peccatores visus & conuer-

conuersatus est, & spiritus sanctus visibili specie apud ipsos apparuit. Primò super Christum, deinde super Apostolos: Bene ergo non tres, sed duo in ciuitatem impiorum venerũt angeli: quia tempore visitationis sic duę personæ, filij scilicet & spiritus sancti hominibus innotuerunt, vt peccatores & impij omnes inexcusabiles sint.

Duo etiam hi angeli Christum significant in duabus naturis, imò in duobus iudiciis, quæ ipsi data sunt. Iudicium, inquam, vitæ & mortis, &c. Vesperè autem veniunt angeli Sodomam, quia meridie fuerant cum Abraham.

Hoc ipsum autem tempus & hora visitationis tristissimæ congruit causæ peccatorum. Quia enim tenebræ apud ipsos erant, tenebrę, inquam, peccatorum & ignorãtiæ, ideò in tenebris apparent angeli, in domo Abrahę lumen veritatis & fidei: ideo in luce apparent. Pręterea sanctos in die visitat Deus, id est, consolatione quæ per diẽ significatur: malos autem vesperi, vel nocte, id est, aduersitate. Vel mane, id est, tempestiuè visitat iustos: malos autem admodum tardè.

Sedebat Loth in porta ciuitatis, &c.

Hoc pulchre ei conuenit, qui animo nõ sedebat in sceleribus ciuitatis, vnde Petrus: Aspectu, inquit, & visu iustus erat, &c. Deinde sedebat in porta, ad suscipiẽdos hospites, quẽadmodum & de Abraham audiuimus. Ideo etiam ad vesperam sedet, quo tempore homines maximè ad hospitia declinare solent. Deinde quod vespere adhuc in porta sedet, iustitiam eius commendat, qui etiam nocte imminente à bono non cessat. Hinc Petrus: Bonũ facientes, non deficiamus, &c. Videmus hic quàm verum sit: Adolescens iuxta viam suam, etiam cùm senuerit, non recedet ab ea. Deinde, videmus quàm proni fuerint hi patres ad hospitalitatem, omni studio enim intenti erãt, vt aliis benefacerent. Experientia didicerant, quid sit peregrinum esse, & inter alienos conuersari. Nostræ duritiæ nulla alia causa est, quàm quod non experti sumus paupertatis & exilij incommoda. Hinc Moses non semel Israelitas monet: Memento, inquit, quòd & tu seruieris in Aegypto. Item, quòd & tu aduena fuisti in terra aliena. Atqui plerunq; contingit, vt qui hodie diues est, cras

2. Pet. 2. · Prou. 22. · Deut. 5. · Deut. 24

eras ad paupertatem redigatur, quod si in hac vita nihil tale contingat, at in futuro contingere potest. Exemplo sit diues ille Euangelicus, qui post mortem coactus fuit auxilium implorare ab eo quem maxime contempserat. Non igitur tam duri simus erga alios, sed cogitemus, etiam nobis talia contingere posse. Miranda autem huius Loth virtus ostenditur, quod inter tam malos nō solum segnior ad bonum effectus non est, sed alacrior. Nos ecōtra per hæc vel maxime nos excusare volumus quod in mundo versamur, Oportet, inquiunt vt aliis me conformem. At non sic egit Loth, imo si sic egisset cum aliis periisset, iustitiam igitur coluit, nihil curans hominum fauorem vel odium. Luc. 16.

Surrexit & iuit obuiam eis, &c.

De Abrahamo maius aliquid audiuimus, quod cucurrit illis obuiam, quo ostenditur maiorem in ipso fuisse feruorem & deuotionem. Nihilominus tamen etiam ipsi Loth laudi datur quod vel vtcunque sequitur. Si non possumus assequi Abrahamum currentem, at vel à longe sequamur. Nulla igitur excusatio est si dicas non possum facere quæ iste facit: At fac quod potes & satis erit. Cæterum etiam hic arguitur duritia nostra qui à pauperibus nos abscondimus, nonnunquam duris verbis ab ostio domus nostræ abigimus. Ideo autem obuiam illis procesit; ne inciderent in malignum aliquem hospitem quales omnes esse nouerat. Sciebat quantum eis immineret periculum si in publicis mansissent diuersoriis, sic enim corrupti erant, vt nec bonis locus esset apud eos. Gene. 18

Deinde obuiam ipsis procesit, ne ab aliis opus humanitatis præriperetur: magnum Dei beneficium arbitrabatur si obtinere posset hos hospites, vir humilis & pius. Quod si eos quos homines suspicabatur tāto studio excipiebat, quid fecisset si eos angelos cognouisset? Nos sæpenumero & Christum & sanctos Angelos transire sinimus, Imo repellimus, & tamen miramur si quid mali nobis accidat, &c.

Adorauit pronus in terram, &c.

Vel ad Deum referri potest, vel ad homines apparentes: Adorauit, id est, gratias Deo egit quod hospites ad

Rom. 12. se destinasset, vel Adorauit, id est, reuerentiam illis exhibuit, quemadmodū Paulus docet, honore inuicem præuenientes. Deinde ipsos rogat vt ad se diuertant, Præterea Dominos ipsos vocat, se autem seruum, demum liberè & se, & sua offert. Longè aliter sancti illi pauperes considerarunt quàm nos: Nobis nihil vilius videtur, quā pauperes & peregrini, vix eos respicimus, nihil commune cum eis habemus. Illis autem nihil gloriosius videbatur, illuc accurrebant, adorabant, inuitabant, se seruos, illos Dominos appellabant, nec mirum, verissimum enim est, qui Eleemosinam dat, plus accipit quàm dat. Qui enim miseretur pauperis fœneratur Deo. Signanter autem

4. Reg. 4 hospitalitatem legimus in scriptura magnificè remuneratam, in Abrahamo, in Loth, in muliere Sunamithide, in vi-

Heb. 13. Iudic. 9. dua Sareptana. 3. Reg. 17. In Martha. Hinc Paulus monet ne hospitalitatem obliuiscamur. Contra vero violatores hospitalitatis Gabaonitas, & nunc hic Sodomitas horrendo iudicio consumit Deus aliis in exemplum.

Non, sed in platea manebimus, &c.

Non faciunt vt onerosi hospites, qui vel non rogati se ingerunt, vel rogati facilè acquiescūt, tardè autem hospitium deserunt. Deinde quod dicūt, Minime, sed in platea manebimus, detestatio est ciuitatis, in qua cœlestibus vel sanctis nullatenus communicanda erant amici iura hospitii. Præterea etiam ideo renuunt vt feruentior fiat

Luc. 24. Loth: non enim vult Deus frigidè inuitari. Sic Christus discipulis in Emaus euntibus simulabat se longius iturū.

Demum hoc faciunt, vt fides eius & charitas omnibus

Matt. 15. illustrior fiat. Sic Christus Chananeæ: Non est bonum, inquit, sumere panem filiorum. Quorsum hæc? Vt ostenderet omnibus quāta esset mulieris fides. Porrò hæc imago futuræ rei veritati pulchrè concinit. Crucifigendus enim Dominus, in illa ciuitate quæ spiritualis Sodoma erat, ita nulli vnquam adulatus est, vt in vrbe maxima nullum hospitem, nullam inueniret mansionem, sed in

Matt. 21. agro paruulo apud Lazarum & sorores eius hospitatus fit.

Compulit eos oppido vt diuerterent, &c.

Nos statim cessamus, ille cogit, violēti rapiunt regnum Dei,

Dei. Deinde & si eos interdum trahimus ad nos qui repẽdere possunt, non tamen pauperes, vnde nullum lucrum speramus. Discat igitur hic Christianus benefaciendo pergere. Sunt enim qui ex verecundia aut non audent petere, aut oblata pudore quodam recipere nolunt, hos vel anteuertemus beneficiis, vel nolẽtes cogamus. Nam Christiani non solum nolentibus & immerentibus, sed etiam inimicis benefacere parati esse debent. Loth igitur duo cauet: Primum ne populus in viros Dei peccet. Deinde virorum misertus ne quid eis mali accidat, vtrumque tamen dissimulat, nõ accusat conciues suos, sed tacet, imo cauet ne viri illi experiantur ipsorum malitiam.

Auget etiam hoc iustitiam ipsius Loth, quod non timet suscipere hospites: Imo etiam ipsos defendere paratus est.

Coxit azima, &c.

Ecce liberalitatem in re tenui. plus enim voluntas quã ipsa cœna perpenditur: Oculus fuit simplex & fidelis. Sic vidua duo minuta offerens non minus placuit quàm alii magnis donis oblatis. Videmus etiam hic sanctorum patrum frugalitatem, quòd ipsis summæ delitiæ erant, nos fastidimus. Videmus item modestiam in Angelis, edebant quod apponebatur, non iactabant lautiores cibos Abrahæ, non plura petebant, non confundebant hospitem, alacritatem & synceritatem hospitis grati amplectebantur, qua vitæ & honori non parcebat, sed murum se opponebat pro ignotis. Luc. 21.

Priusquam autem irent cubitum viri ciuitatis.

Hic videmus quis fuerit clamor Sodomorum ad cœlum vsque pertingens, ac Deum ad vltionem concitans. Mirum in modum autem Moses peccatum eorum exaggerat, non quod adeo delectet eum aliorum peccata magnificare, sed primò, vt eo magis videamus, imo miremur Dei longanimitatem, quod tam impios homines tam diu pertulerit. Secundò, vt videamus iuste eos punitos. Tertiò, vt clarior fiat virtus & constantia iusti Loth, qui nedum inter tam impios habitauit, sed & iustus permansit. Quartò, vt videamus quid in homine sit, quàm prauum sit cor hominis, quid homo mali Ierem. 17

conetur & agat si non prohibetur. Quintò, vt eo magis nos peccata vitemus, verè enim miserandum est hominé eo insaniæ prolabi vt nihil aliud cogitet, & quærat, nisi voluptaté carnis, vsq; adeo vt nec cócessis voluptatibus contétus sit, sed subinde nouas excogitet, seq; ipsum vndiq; conspurcet, deterior bestiis effectus, quę naturæ leges non transgrediuntur. Hæc inquam merito exaggerantur vt magis ab huiusmodi exhorreamus. Ob eandem causam Deus nunc secundo huiusmodi carnalitatem punit horrendo iudicio. Nam & supra audiuimus propter luxuriam hominum diluuium venisse. Et hic propter luxuriam, licet peiorem & grauioré, quinq; ciuitates subuersas. Satis superque Deus contra huiusmodi carnalem & bestialem vitam iram suam ostendit, tametsi nec sic emédemur. Verum ad Sodomitas redeamus. Primo quod nocturno tempore ita insaniunt, indicium est quòd verè filii noctis & tenebrarum erant, odientes lucem, tenebras amantes: Qui enim male agit odit lucem. &, oculus adulteri obseruat caliginem. In die enim obsistit pudor, licet suspicere cœlum, cogitare Deum, nocte nihil tale obstat, ideo impii noctem eligunt. Pijs nox aduersa, lux autem admodum amica est. Deinde non vnus tantú malus fuit in Sodomis, sed omnes viri, inquit, Sodomitæ, deinde, à puero vsque ad senem. Tertiò, omnis populus simul. Verè magnus clamor. Quòd si cui durum & incredibile videatur, omnes Sodomitas huiusmodi vitiis fuisse contaminatos, is consideret in tanta turba in tanto cœtu nemi nem fuisse qui se malis opponeret, qui vim inferétes abarceret, hoc tantum fit vbi impune fiunt omnia. Merito igitur omnibus imputatur peccatum. Non enim bonus est qui cum vim fieri videt, non saltem reclamat. Tertio non solum ipsi mali sunt, sed insuper pati nequeunt quod alii boni sint. Imo bonis inuident, persequuntur iustum Loth, cum tamé tam diu propter ipsum seruati essent. Sic & nos plerunque odimus eos quorú in gratiam viuimus.

Gen. 6.

Iob. 3.

Quartò etiam hospites peregrinos euocant, vnde apparet quod nullum neque ius neque iustitiam aut æquitaté curarunt. Et cum putant se solos ignotos homines offendere, offendunt sanctos Angelos. Sic qui pium hominem

nem lędit,non hominem tantum sed ipsum Deum offendit. Qui tangit vos,tangit pupillam oculi mei. Quinto quamquam ipsorum intentum nedum contra Deum sed etiam contra naturam erat,publicę tamen malam voluntatem aperiunt,non erubescunt coram iusto, non coram ignotis hominibus, non verentur Deum, merito igitur dicuntur peccatum suum prædicasse.Peccatum, inquit, suum sicut Sodoma prædicauerunt. Et hæc omnia perpetrarunt ea nocte quę proximè perditionem eorũ præcedebat. Sic cum maxime imminet iudicium Dei, maxime homines insaniunt, & contrà quo magis homines in peccatis insaniũt,eo propius est iudicium Dei, hoc videmus etiã in Rege Balthasar,&c.Vult igitur Moses ostendere.Sodomitas sine omni verecundia, honestate, iustitia,timore,imo cum summa securitate & contemptu, maxima illa flagitia patrasse. Horum tam enormium viciorum fontes enumerat Ezechiel,hæc inquit, fuit iniquitas Sodomæ,Superbia,saturitas panis, abundantia & ocium.Ex hiis radicibus tam mali fructus nascũtur.Primo enim superbi putant sibi impune licere quicquid libet. Deinde crapula & ebrietas multorummalorũ causa sunt. Præterea in rerum abundantia facile Dei obliuiscimur. Inde Moses,incrassatus est dilectus & recalcitrauit, &c. Demum.Ocium omnium malorum sentina est,

Zach. 2. *Isaie. 3.* *Dan. 5.* *Ezech. 16* *Deut. 23.*

Idem fatetur Christus Sodomis causam fuisse ad tanta flagitia crapulam.Edebant,inquit, bibebant,&c.Optimũ igitur esset Pauli consilium sequi,vt habentes victum & vestitum hiis contenti simus, quandoquidem ex abundantia plerunq; deteriores efficimur. *Mat. 24.* *1. Tim. 6.*

Egressus ad eos Loth, &c.

Sicut in Sodomitis fructus impietatis vidimus, sic in Loth videmus fructus fidei. Primo enim non sibi irascitur quod hospites receperit, nõ murmurat cõtra Deũ, quod pro bono opere hæc pati cogatur, sciebat enim omnes qui pie viuunt ab impiis contemni,&c. Nihil igitur de iniuria sua conquerens, tantum sollicitus est pro hospitibus. Deinde sicut supra Abraham fide armatus contra quatuor reges processit, sic & hic vnus contra tot insanos procedit fide armatus. Tertio vitam & cor-

pus suum periculo opponit pro hospitibus. Quarto blande illos alloquitur, & fratres appellat, à quibus tanta passus erat. Quinto, admonet vt a peccatis absistant. Sexto dilectissima quæque, nempe filias suas periculo offert, ne tantum facinus in hospites suos fiat. Verè fidelis hospes, verè insignis charitas, quòd cum periculo filiarum iniuriam peregrinorum redimit, & potius vult filias periclitari, quàm eos in præcipitium dare, qui ad eum confugerant. Quanquam quod ad filias attinet, non trahendum est in exemplum, peccato quidem obsistendum est, sed non cum alio peccato. Facile tamen excusatur Loth quod in necessitate positus id quod primum occurrit, & quod necessitas subministrat, arripit, vt solet fieri dum anxietas aliqua subito nos obruit. Interim tamen discamus omne studium interponendum esse vt maximis obsistatur criminibus. Obsistat prædicator verbo, potestas gladio. Alii suo quisque modo. Discamus fidem seruare hiis qui se in fidem nostram committunt. Discamus à proximis iniuriam depellere, maximè à pauperibus & peregrinis. Discamus proximi commoda nostris

1. Cor. 13. anteferre. Vera enim charitas non quærit quæ sua sunt.

Ingressus es vt hospes, num vt iudices?

Sodomitæ quos vrgebat iudicium Dei, vt implerent mensuram criminum suorum, mendaci procacia, & furiosa insania, fraternam correptionem aspernabantur, imo interpretabatur esse iudicium superbum, & præsumptionem, falsa improperando & violentiam intentando. quasi dicat. Magistratum habemus, is nos punire debet non tu aduena. Sic loquitur impietas, putant enim impii sibi

Prou. 18. impune esse dũ peccant, eo quòd magistratus corruptus dissimulat. Emendari non sustinet proiectus à domino, impius cum in profundum venerit peccatorum contemnit. Hoc igitur grauissimum peccatum est vbi non amplius argui volumus, verbum Dei contemnimus, prophetas persequimur. Hoc peccatum in spiritum sanctum est, hoc Deus pati non potest, iam igitur innotescit clamor Sodomorũ qualis fuerit, simul etiã & ęquũ Dei iudicium, & excusatio omnis tollitur furiosis & libidine excęcatis,

Iamq; prope erat vt effringerent fores, &c.

Vide

Vide temeritatẽ peccatorum, qui nec aduenis & peregrinis parcentes, ius hospitalitatis quod etiam apud gẽtes sacrosanctum est frangunt. Deinde vide quantum peccata sua augeant, nedum non acceptant admonitionem ipsius Loth, sed insuper eum persequũtur, ac omnibus viribus in contrarium nituntur, etiam violenter impium propositum suum exequi volẽtes. Hoc est ingeniũ impiorum, primò, quod semper peccata sua augent, cum nihil opus esset, satis enim peccatorũ iam habent. Secundò, quod ex admonitione peiores fiunt, ac tum vel maximè ad malum currunt, quantumuis admoneantur, & Deũ & homines irrident, ac contemnunt. Et hoc est grauissimum peccatum, est enim contra spiritum sanctum, quod nunquam remittetur, neque hic neque in futuro. *Matt. 12.* Coniici potest ex hoc loco quid sanctus ille Loth etiã antè hac inter tam impios passus sit. Primò, enim affligebant eum peccata ipsorum: Deinde cum ea argueret, odium ipsorum in se concitauit, & tamen perstitit constanter vnus aduersus omnes, nihil motus ipsorum contumeliis. Talis constantia deceret Christianos.

Itaque cum Loth iam omnia tentasset ad liberandos hospites suos, nihil tamen profecisset, imo iam ipse quoque in periculo esset, nec ipsi pateret aditus in domum suam, assunt Angeli & eripiunt eum. Sic auxilium Dei incipit vbi desperatur de humano. Sic si fecerimus quod possumus, Deus aderit impleturus vbi nos non potuimus.

Homines autem qui foris erant percußerant cæcitate &c.

Poterant eos omnino occidere, sed maiori iudicio reseruabantur. Sic posset & nunc punire impios Deus, verùm æternæ pœnæ reseruantur, sunt enim quasi grex ad victimam destinatus, impium enim creauit Deus ad diem malum. *Hiere. 12.* Noli igitur lætari si iudicium mundi euaseris, aliud enim & longè maius iudicium restat. Meritò autem cæcitate percutiuntur, quia oculos mentis iam sua sponte clauserant, lumen videre nolebant, tenebras amplectebãtur. Sic qui à lumine veritatis se auertunt, iustè eodem lumine priuantur. Quia charitatẽ, inquit, veritatis non receperunt. *2. Thes. 2* Non omnino autem visum perdiderunt

runt Sodomitæ.sed eius rei visio ipsis intercipitur quam videre cupiebant,adeo vt etiam apertis oculis omnia alia videntes.iamiam tamen videre non poterant.

4.Reg.6 Simile quiddam de Helizeo legimus,eodem modo etiam Iudęi Christum capere volentes, excæcati fuerunt vt ipsum non agnoscerent. Tam facile potest Deus impiorum conatus infringere, suosq́; eripere. Omnia hæc ad consolationem nostram scripta sunt,ne scãdalizemur si impiis omnia succedant,cum enim tempus ipsorum venerit,facilè eos impedire potest Deus. Econtra ne desperemus in aduersis, facile enim eripere potest si vult. Per hanc igitur excæcationem etiam Sodomitas admonere voluit Deus,vt videntes Dei plagam vel sic resipiscerẽt, quamuis ipsi nihil minus fecerint. Sic etiam sæpe nobis obsistit Deus,conatusq́; nostros impedit,vt per hoc à vitiis auertamur, quamuis hoc plerique parum attendunt

Num.22. & curent,sed semper in diuersum tendant, quemadmodum Balaam ille.

Est tibi hic gener aut filius?

Hic Angeli aggrediũtur opus domini:hactenus enim non dixerant,quid agere vellẽt,donec reipsa probassent Sodomitarum malitiam. Primo autem iustum liberant cum suis.vt vel etiam hic videamus Deum proniorẽ esse ad miserendum,quàm vt perdendum, ni peccata nostra eum alio conuerterent. Deinde etiam huic iusto statim remunerãt etiam temporaliter hospitalitatem suam,idq́; abunde: pro paruis enim quæ ipse Loth dederat, nunc magna accipit,liberationem scilicet sui & suorum.Idem audiuimus supra de Abrahamo,omnia autem ideo facta & scripta sunt, vt proniores efficiamur ad misericordiã, cum videamus eandem nedum in futuro, sed etiam hic remunerari.Cęterũ quod Angeli hic loquuntur, in gratiam ipsius Loth loquuntur,sciebant enim eum hoc maxime optare,tametsi scirent generos non exituros. Ob amorem enim in Loth dominus non solum ipsum seruat sed & suos.

Delebimus enim locum hunc,&c.

Non simpliciter dicunt puniemus vel vastabimus,sed delebimus,vt nulla spes reędificãdi sit,id quod & factum

est.

est. Nam eo loco nunc est mare mortuum. Sic impiis obstinatis non simplex aliqua sed omnimoda perditio reseruatur, sine omni spe reparationis. Super quē enim ceciderit lapis diuini iudicii conteret eum. Et quamuis hic tantum de Sodoma loqui videantur, non tamen sola periit sed aliæ ciuitates simul, nempe hæ quæ in exordio quatuordecim nominantur, Sodoma scilicet, Gomorra, Adama, Seboim, Segor, hoc probatur ex eo quod Moses ait. Ponet te dominus sicut Sodomam & Gomorram, Adamam & Seboim ciuitates quas subuertit dominus, vbi tamen Segor non nominat ex causa inferius suo loco annotanda. Addunt causam tam horrendi iudicij. Increuit, inquit, clamor eorum, vere magnus clamor omnium consensu sine cessatione peccantium. Ideo ministri iustitiæ Dei mittuntur, disperdere, obuoluere, occidere secundum corpus. Si damnati sint omnes, nescimus, nec impedit scire, sed timere & cauere à similibus vitiis nostrum est. Obseruandum hic quod iidem Angeli perdunt impios & Loth seruant, ne quis putet per malos Angelos tantum hæc fieri. Matt. 21. Deut. 29

Surgite egredimini de loco isto. &c.

Hæc est secunda concio vel declamatio ipsius Loth in Sodomis habita. Prima enim fuit: Nolite fratres mei facere malū hoc. altera, Surgite egredimini de loco hoc, delebit enim dominus. Vtraque autem frustra Sodomitis facta est, & adhuc frustra fiunt in spirituali Sodoma, id est, in mundo. Quemadmodum enim Lotd generis suis videbatur quasi ludens loqui, sic & nos omnia irridemus nec credimus donec reipsa experiamur. Hoc idem & supra contigit in diluuio. Idem euenturum dicit Christus in fine mundi. Videmus hic generos Loth impios fuisse, nam aliàs egressi essent, plus aliquid gratiæ ipsis cōcedebat Deus sed frustra, quēadmodum etiam nobis ·ura contulit, sed nihilo, meliores sumus. Adhuc tamē quamuis pessimi essent, tamen dominus voluit in gratiā Loth seruare. Tantū est amicū Dei & in gratia eius esse. Gen. 7. Matt. 24

Cumq; esset mane cogebant eum, &c.

Non educūt nocte sed in mane, quia nox peccatorum est, dies autem iustorum. Qui enim dormiunt, nocte dormiunt, Thes. 5.

miunt. Deinde in luce eum educunt, hoc est, aperte nō occultè, vt vel sic Sodomitæ admoneantur, non frustra iustum ab ipsis fugere. Verū nihil curant eius abscessum: Imò gaudent ne deinceps eos arguere posit. Hoc autē pessimè ipsis cessit, imo certa ipsorum perditio erat. Sic mundus non curat si iusti tollantur, sed propediem sentiet cum omnes iusti segregabuntur ab eis. Sicut igitur Loth mane educitur, sic iusti post finem noctis huius seculi, incipiente die futuri seculi perfectē liberabuntur ab impiis. Festinare autem iubent Loth, vbi enim iudicium Dei imminet illic non cessandum. Hinc Christus

Matt. 24. Qui in Iudea sunt fugiant in montes, & qui in agro, non reuertatur. Væ pręgnantibus: Sicut autem Loth inuitus exit, imo ex seipso nunquam exiisset. Sic nos nisi gratia Dei præueniremur, nunquam è peccatis exiremus. Hinc

Ioan. 6. Christus: Nemo venit ad me nisi pater traxerit eum.

Surge tolle vxorem tuam & filias.

Quatuor ei pręcipiunt adhuc in Sodomis existēti, quę omnia etiam nobis dicuntur dum in peccatis sumus. Primum, surge, quasi dicat, quid cessas? nescis tempus breue. Sic Paulus nobis dicit: Surge qui dormis. Secundum,

Ephe. 5. tolle vxorem & filias: Non satis est vt teipsum solum salues, sed è Sodomis duc quoscunque potes, maxime tibi commissos. Tertium, Egredere, festinandum à consortio malorum, si non corpore saltem animo separari, vbi nulla spes emēdationis superest. Hinc Zacharias: Fu

Zach. 2. gite de terra aquilonis. Et Moses: Recedite à tabernacu

Num. 16 lis impiorum. Et Paulus: Quę societas fideli cum infideli?

2. Cor. 6. Quartò, ostendunt ei periculum: Ne & tu pereas, quasi dicant, nō paruum periculum imminet, non tēporale aliquod damnum, sed certa peritio. Ex spirituali gratia est quòd te monuit Deus, quòd media euasionis ostē dit, quæ si contempseris, tua ipsius culpa peribis. Non paruum periculum est, vbi Deus comminatur, quamuis nemo attendat.

Dißimulante autem illo apprehenderunt, &c.

Videmus ex hoc verbo quod Loth iustus quidem fuit ad Sodomitas comparatus, multo tamen imperfectior

Gen. 12. fuit Abraham, is enim nusquam dissimulauit, nusquam cessauit

cessauit aut tardauit ad præceptum Domini.

Deinde videmus quàm verè dixerit Paulus: Velle quidem adiacet mihi, perficere autem non inuenio. Supra Loth monuerat generos suos vt fugerent, Nunc autem quod alios monuerat, ipse cunctatur facere, nimirum affectibus eum remorantibus. Sic fit nonnunquam vt parati simus fortiter pro veritate & iustitia mori, mox incidit aliquid quod terret, quod cunctabundos facit: Imo totos nos aliquando Deo abstrahit. Tertio, videmus hic quantum nos remorentur temporalia à vera obedientia. Amœnitas loci fecerat vt Loth Sodomam eligeret. Eadem amœnitas eum adhuc retinet ne egrediatur. Sic inordinatus amor nostri & etiam terrenorum, ad peccata nos ducit, & etiam in peccatis retinet ne couertamur. Magnæ autem misericordiæ est, quod Angeli cunctantē apprehendunt, & educunt, poterant abire quia satis admonuerant, sed condescendunt humanæ imbecillitati, & quodammodo vi educunt.

Sic verè multi in peccatis perirent, nisi Deus manus ipsorū apprehenderet. Perierat Mattheus, Zacheus, Paulus, &c. nisi apprehensi fuissent. Ex hoc igitur loco videmus quòd Deus operatur in nobis velle & perficere. *Philip. 2.*

Videmus item Dei iustitiam, quod tantùm quatuor homines è Sodomis liberantur, quemadmodum tantū octo in diluuio. Quis non contremiscat ad tanta iudicia Dei? Verissimè igitur dictum: Multi sunt vocati, pauci electi. *Matt. 20.* Videmus econtra etiam Dei misericordiam erga suos. Apprehendit peccatores vt è peccatis educat. Iustos vt educat, Beatos vt perducat. Videmus demum quàm vere de Angelis dictum sit. Omnes sunt administratorij spiritus. *Heb. 1.* Quod enim circa Loth & suos fecerunt, hoc etiam apud nos faciunt, educunt nos à peccatis quæ fecimus. Itemque à peccatis quæ faceremus impediunt, extra ciuitatem ponunt tumultus plenam. Non enim est pax impijs. *Isai. 48.*

Salua animam tuam, &c.

Nedum in ciuitate ipsi præcipiunt, sed etiam postquam exierat. Non satis enim est surgere exire, sed restant alia.

Primò,

Primò igitur dicunt. Salua animam tuam, quasi dicat, ereptus è medio malorum sed nondum securus. Imo nũc vel maximè cauendum tibi est. Nos quod nostrum erat fecimus, fac & tu quod tuum est. Ex gratia liberatus es, vide ne denuo teipsum perdas. Omnia hæc etiam nobis dicuntur. Errant igitur qui post acceptam gratiam ociantur, quasi omnino securi sint, &c. hii audiant hoc verbum, salua animam tuam, &c.

Noli respicere post tergum, &c.

Non te moueat curiositas, non aliorum interitus sufficiat tibi quod tu eductus es, vide vt velociter fugias. Quamuis autem noluit eum etiam oculis retrospicere, tamen etiam sublimiora ei per hoc præcipiuntur, quasi dicat: Coegi te vt exires, apprehendi te & adhuc cunctaris? adhuc respectas? perge ocius, omnia relinquẽda sunt quantumuis chara, omnino exeundum est, quantũuis retrahant quæ post te relinquis. Relinquenda sic sunt omnia, vt te nullius rei amissæ pœniteat, ita enim fieri necesse est. Sic Christus: qui mittit manum ad aratrum & retrospicit, aptus non est ad regnum cœlorum. Obseruandum quod hoc nobis dicitur cum è peccatis exierimus: quamdiu enim sumus in peccatis, licet, imo iubemur retrospicere, vnde scilicet exciderimus, quid perdidimus. Memento, inquit, vnde excideris, &c. Et Ieremias, vide quàm amarum sit te reliquisse Deum tuum. Post egressum autem è peccatis omnino non licet retrospicere ad pristina peccata, eo animo vt ea repetere velimus, sed cœpta via pergendum ad patriam.

Luc. 9.

Apoc. 3.

Nec stes in omni circa regione, &c.

Hoc ipsi præcipitur quia & aliæ ciuitates eiusdem vallis vel regionis perdendæ erant. Moraliter autem iubemur occasiones peccatorum fugere. In hac enim pugna eo magis vincimus quo plus fugimus. Qui enim amat periculum peribit in illo.

Eccles. 3.

Sed in monte saluum te fac ne pereas, &c.

Monemur ad altiora contendere ne in imis & terrenis hæreamus. Sicut enim aues quo altius ascendunt, eo magis securæ sunt à laqueis & insidiis hominum. Idem in nobis fit. Allegoricè autem mons in quo saluamur Christus est,

ftus eft,mons fcilicet gratiæ & mifericordiæ. Venite,inquit afcendamus ad montem domini,&c. *Ifa.2.*

Quæſo Domine mi,&c.

E Sodomis eductus, orat, agnofcit beneficium, gratias agit, Quamdiu enim in peccatis fumus nihil horum facimus. Non videmus enim aut miferiam noftram aut beneficia Dei. Deinde inuitus quidem exit Loth,fed poft egreffum gratias agit quod vi eum eduxerint. Sic nos in tentatione pofiti, indigne ferimus quod mala voluntas noftra impeditur,poft tentationem autē gratias agimus, quod Deus nos apprehenderit ne malum hoc faceremus. Sic Dauid: Benedictus Deus (inquit) qui prohibuit me *1.Reg.25.* ne venirem ad effundendum fanguinem, &c. Nemo igitur egrè ferat fi mala ipfius voluntas impeditur, veniet enim tempus cum propter hoc gratias ages.

Ecce inuenit ſeruus tuus gratiam,&c.

Cum omni fiducia loquitur ad Angelos Deum reprefentantes,iam enim Dei mifericordiam expertus fuerat. Sic & nos ex acceptis beneficiis fiduciam hauriamus ad Deum accedendi. Deinde non merita fua, fed folam gratiam commendat & allegat.Seruum fe fatetur & nihil tale commeruiffe.Sic Chriftus,cum feceritis omnia dicite: Serui inutiles fumus. Tertio accepta beneficia agnofcit,confitetur,& fignanter dicit:Magnificafti mifericordiam tuam,&c. Vere enim magna mifericordia liberari è Sodomis, è peccatis, à iudicio Dei, Item in anima faluari.Qui fic liberatur vera beneficia accipit,& merito cum Dauide clamat: Magnificauit dominus facere nobifcum,facti fumus lætantes.Item conuertere anima mea in requiem tuam,quia dominus benefecit tibi.Item dirupifti vincula mea,&c. *Luc.17.* *Pſal.125.* *Pſal.114.* *Pſal.115.*

Non poſſum in monte ſaluari,&c.

Secundum Hebræos ideo non vult in monte habitare propè Abraham, ne comparatione iuftitiæ ipfius, fua imperfectio magis videatur. Eandem ob caufam etiam nos non libenter cum fanctioribus conuerfamur. In hũc modum etiam vidua Sareptana ad Heliam dixit: Ingreffus es ad me vt rememorentur iniquitates meæ coram Deo. Ad literam aũt ideo grauatur montem confcendere *3.Reg.17*

dere quia senex erat, ne ibidem frigus eum apprehenderet. Item quia mons vicinus erat Sodomæ, timebat ne forte & mons collaberetur. Nihil igitur aliud hoc verbo prodit quàm animi timorem, pusillanimitatem, diffidentiam Sic enim & nos semper timemus ne cœlum ruat.

Non sic fecit Abraham, sed quocunq; iubetur ire pergit, scit enim Deum esse vbiq;. Vere fidelis sic dicit: Etiã
Psal. 22. si ambulauero in medio vmbræ mortis non timebo ma-
Rom. 8. la, quoniam tu mecum es. Item cum Paulo: Certus sum quod neque mors neque vita, nos separabit à charitate Dei. Sic igitur videmus in Loth, quòd etiam sancti non sint sine imperfectione. nõ igitur desperemus si tale quid etiam in nobis sentiamus. Deinde videmus ingenium carnis, quæ semper renititur, & contraria spiritui suggerit. Omnes ardua & aspera fugimus, voluptuosa eligim⁹.
Matt. 7. Angusta est via ad vitam & pauci inueniunt eam. Caro vult esse extra periculum, vult quidem audire Christum, sed ob ipsum pati renuit, cum tamen omnes qui piè vo-
2. Tim. 2. lunt viuere in Christo persecutionem patiantur. Mons est quod Christus dicit: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Item: Si vis perfectus esse, Vade, vende omnia quæ habes. Itẽ quod Paulus ait: Volo omnes esse
1. Cor. 7. sicut meipsum, nimirum castitatem suadens. Hos montes fugimus, malumus in imis permanere. Atqui scriptura montes quidem ostendit, & suadet ostendere, nullum tamen cogit.

Est ciuitas parua iuxta, &c.

Non pro Sodomæ orat, quia illi clamorem suum impleuerant, sed pro Segor orat. Vide autem quomodo: Primo, allegauit diuinam misericordiam. Secundo, dicit paruam esse, quasi dicat: Et si etiam in ipsa mali homines sint, tamen non tot nec tam impense mali. In paruis enim vicis communiter non tam male viuitur, vt in magnis, vbi copia omnium rerum & fastus est, radices scilicet peccatorum. Addit, Et saluabor, inquit, in ea, id est, commodius habebo quàm in monte, vel saluabor in ea, id est, nõ tantum me affligent vt Sodomitæ.

Etiam in hoc suscepi faciem tuam, &c.

Hic videmus quomodo Deus infirmitati nostræ condescen-

descendat. Quod enim ipsi Loth hic facit, hoc & nobis facit, poterat magna iniungere, sed cõdescendit infirmitati nostræ, ipse enim nouit figmentum nostrum. Deinde *Psal. 108* videmus quod non semel tantum suos adiuuet Deus, sed semper & vbique. Etiam in hoc, inquit, suscepi. Tertiò, videmus Deum proniorem esse ad miserãdum, quam ad subuertendum. Erat Segor vna de ciuitatibus diuino iudicio perdendis, ad vnam tamen orationem ei parcitur: Non delectatur Deus in perditione nostra. Quare moriemini, inquit, domus Israel. Non est voluntatis meæ mors impij, sed vt conuertatur & viuat. *Ezech. 18*

Quartò, videmus quòd Deus pronior est ad exaudiendum quàm nos ad petendum, vix verba finierat Loth, & statim exauditur. Antequam clament, inquit, exaudiam. *Isa. 65.*

Quintò, videmus quantæ efficaciæ sint orationes iustorum. Demũ videmus etiam hic, quòd impiis propter iustos parcitur, alioqui perirent.

Festina & saluare ibi, &c.

Iterum iubetur festinare: Nõ cessandum nobis est: incertum enim est tempus vitæ nostræ. Sic Paulus: Festinemus, inquit, ingredi in illam requiem. Et iterum: Sic currite vt comprehendatis. Et Sapiens: Ne differas de die in diem conuerti ad Dominum. *Eccles. 5.* Vltimo addit: Non enim potero quicquam facere donec ingrediaris illuc. Non potero, id est, non volo. Sic igitur pij homines Deum tenent, ne iudicio suo mundum perdat. Vnde ad Mosen dixit, dimitte me vt deleam eos. *Exod. 32.*

Sol egreßus est super terram, &c.

Sicut non in nocte sed in die, id est, manifeste Loth è Sodomis liberatus fuit ad consolationem iustorum. Sic etiam Sodomitas non in nocte, sed die, lucente sole, id est, manifestè puniuit, ad terrorem impiorum. Quamuis autem & dies esset & sol luceret, nullus tamen euadere potuit, vt vel hinc videamus quàm terribile sit vbi Deus iudicare incipit. Illic enim nulla est fuga. Allegoricè autem cum sol iustitiæ Christus denuo apparuerit in iudicio, tunc impij perdentur, iusti autem in ciuitatem æternam perducentur. *Amos 9.*

Igitur pluit Dominus ignem, & sulphur, &c.

Magni-

Magnifice describit Moses hoc Domini iudicium, nimirum vt eo magis terrorem nobis incutiat. Primò, dominus, inquit, pluit, ne quis hoc constellationi aut astris ascribat, aut naturæ regionis illius, quẽadmodum aliqui voluerunt. Non natura regionis est aut fuit, sed speciale iudicium Dei. Deinde pluit, inquit, dominus à domino, id est superne è cœlo vel cœlitus, eo modo loquendo quo dicimus, venimus à consule vel à me, id est, à domo consulis vel mea. Potest tamen etiam ex hoc loco colligi pluralitas personarum in diuinis, quemadmodum & ex eo colligitur, vbi Dauid dicit: Propterea te vnxit te
Psal. 44. Deus tuus, &c. Igne autem hic punit qui supra punierat aquis, vt magis timeamus quãdo videmus Deũ non vno tantũ modo nos perdere & punire posse. Deinde ideo etiam igne & sulphure perduntur Sodomitæ, vt pœna respondeat culpæ. Quia enim fœdo igne concupiscentiæ erga semetipsos exarserant, merito igne puniuntur. Et quia fœtore peccati se oblectauerant, fœtore item sulphuris cruciantur. Et quia clamor eorum in cælum ascẽderat, recte etiam è cælo puniuntur. Et quia contra naturam peccauerant, etiam contra naturam pluit super eos ignem & sulphur. Sic quantumcunque peruersi simus, Deus peruersitati nostræ occurrere nouit, & iuxta peccati modum etiam plagas augere vel temperare.

Iam considera quàm terribilis rerum facies fuit, cũ viderent cælum aperiri, ignem cadere, nullum effugiũ esse. Considera item quantus fuerit vlulatus & clamor pereũtium, sed sera est pœnitentia cum vocantem dominũ au-
2. Cor. 6. dire & sequi nolumus. Fugiamus igitur iudicium Dei dum effugere possumus. Ecce nunc tempus acceptabile. Ecce nunc dies salutis.

Et subuertit ciuitates has & omnem regionem, &c.

Singula verba exaggerationem habent. Primò, non tantum puniuit sed subuertit, vt ne vestigium quidẽ earũ remaneret, vtinam & cum ciuitatibus illis periisset etiam peccatum illud abominandum. Sed prô dolor fauillæ Sodomitici peccati nusquam non peruenerunt, &c.

Secundò, nedum ciuitatem sed & regionem subuertit, vt quæ prius erat sicut paradisus Dei, nunc mare mortuũ fit,

ſit, vt omnes hinc diſcant magnitudinem peccati. Tertiò, omnes habitatores, inquit, etiam pueros. Nec pueris pepercit, ad oſtendendum horrorem huius peccati. Sic & cum Dathan & Abiron etiam omnem eorum progeniem terra abſorbuit, ad terrorem aliorum. Deinde etiam pueros perdidit: ne poſtea imitarentur ſcelera parentum. Melius enim eis erat interire quàm male viuere.

Omnes igitur ſimul perierunt corpore, an autem etiam in anima omnes perierunt, Deus ſcit. Sic igitur fit vbi Deus diu expectat, vbi omnia contemnimus. Iam ſi hoc iudicium particulare tam terribile fuit, quanto terribilius erit generale iudicium, vbi Deus omnem iram ſuam effundet. Vide quàm cęci, imò inſani ſimus, qui tantum dominum contra nos prouocamus.

Reſpiciensq́; vxor eius poſt ſe, &c.

O altitudo diuitiarum, quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius? Tantum quatuor euaſerant, & tamen nec hij omnes ſaluantur. Quid igitur præſumimus? quid tam ſecuri ſumus? quaſi ſemel liberatis nihil amplius timendum ſit. Euaſerat etiam mulier illa, ſed tamen quia inobediens eſt perit. Reſpexit autem poſt ſe, vel amore rerum quas reliquerat, vel ex curioſitate muliebri, vel ex compaſsione ad clamorem pereuntium. Leue videtur peccatũ, ſed tamen punitur. Quos enim Deus ſemel liberauit, grauius imputantur peccata quàm alijs. Videmus igitur hic in rebus diuinis moram eſſe periculoſiſſimam. Videmus item quàm periculoſum ſit ad vomitum reuerti & ad priſtina vitia, cum hæc tantùm retroſpiciens punita ſit. Videmus item quàm male ceſſerit ipſi Loth electio ſua, qui iuſſus montem conſcendere elegit ciuitatulam. Interim enim dum circumflectit iter vxorem perdidit. Sic ruunt qui contra Dei verbum propria ratione ſe regere volũt. *Rom.11.*

Cur autem in ſtatuam ſalis verſa ſit ex verbis Chriſti ſumi poteſt, nempe in exemplum noſtrũ, vt per hanc ipſius pœnam ſaliamus & condiamus cibos noſtros, vitam noſtram, ne ſimiliter morã nectamus, ne retroſpiciamus. Memores, inquit, eſtote vxoris Loth, eius enim pœna nobis in medicinam verſa eſt, & in condimentum. *Luc.17.*

Abraham autem mane conſurgens, &c.

Crediderat verbo Dei quod audierat de iudicio Sodomorum, sciebat rem seriam esse, vbi Deus causam peccatorum discutere incipit. Ideo mane cedit ad locum, vbi dominũ orauerat, partim ex compassione erga miseros, partim vt vlterius oraret, partim vt videret si decem iusti inuenti essent. Sancti enim sunt compassiui, semper pro aliis solliciti sunt. Statim autem videt fumum, & fauillam ascendere indicem facti iudicii. Quantum hic dolere potuit iustus, quod tam pauci iusti essent in terra, quod tot animæ periissent, quod nesciebat adhuc quid

Rom. 3. de fratre suo factum esset? Sic exercentur iusti, probâtur, inuenitur Deus verax.

Recordatus est Dominus Abrahæ & liberauit Loth, &c.

Epilogus est, docens ob gratiam Abrahæ Loth libera tum, vt videamus quàm pretiosi sint in conspectu Domini veri fideles, & quid possint domino propicio, & quod iustitia & fides eorum etiam aliis prosit & prodesse possit.

Ascenditq; Loth de Segor & mansit in monte, &c.

Hic primò videmus quòd præsente iudicio Dei homo nusquá tut⁹ est, nũc huc, nũc illuc fugit, sed frustra, vbiq; enim inuenit dominum, fugiamus igitur dum effugere licet. Videmus deinde quàm male nobis cedant nostra consilia. Fugit Loth ex ciuitate quam prius elegerat, ac montem repetit quem prius monente Angelo conscendere noluerat. Sic sæpè fit, vt consilium domini negligentes, nostris consiliis meliora vt putamus eligentes, tandem, domino sic disponente, experimur quod Domini consiliũ melius fuit. Imo cogimur id tandem sequi quod primo nolebamus. Sequamur igitur viam quam monstrat Deus. Qui enim consilium domini sequuntur, securi ac

Iohan. 8. læti ambulant, sciunt enim se dominum sequi. Qui lucem sequitur, in tenebris non ambulat.

Tertiò, videmus hic quàm ardua res sit credere, maximè tempore tentationis: Promiserat Angelus ciuitatem Segor non perituram, & tamen Loth timet, pusillanimis est, imo ex timore mutat locum.

Dixitq; maior ad minorem, &c.

Putabât filiæ Loth omnes viros interiisse, imo totum mundum

mundum incendio deletum esse, quemadmodum prius totus mundus diluuio perierat. Quamuis igitur facinus earum in speciem horrendum est & atrox, conditionem tamen & circumstantias si spectes, erit excusationi locus saltem pro parte. Primò, excusat eas ignorantia, putabant enim totum mundum esse perditũ. Preterea non ex libidine, sed amore posteritatis conseruandæ hoc consilium inierunt, & quamuis scirent graue esse peccatũ cum patre concũbere, grauius tamen ducebant si humanæ posteritatis spes deleretur. Non tamen excusantur à toto, imo reuera peccauerunt. Sine verbo enim Dei, tale quid attentare non debebant. Non sufficit bona intentio sine verbo Dei. Gen. 7. Leuit. 18.

Dederuntq; patri suo bibere vinum, &c.

Excusari potest Loth ꝙ vinũ biberit ad leniendã tristitiam mentis, quam ex perditione ciuitatum cõceperat. Minus tamen excusatur quã Noe. Is enim nondũ sciebat vini virtuté, nec vllum exemplũ ebrietatis ante se viderat aut audierat, deniq; semel tantũ inebriatus fuit. Loth autem sciebat vini virtuté, viderat plerosq; ebrios in Sodomis, nec tamen sibi cauet, imo bis inebriatur. Genes. 9.

Quòd si Loth non excusatur, quam excusationem habebũt qui data opera se & alios inebriant, idq; omni die, nec peccare se putant, cum tamen multipliciter peccent. Primò enim abutuntur Dei donis, quibus pauperes consolari possent. Secundò, offendunt Deum, prohibuit enim Christus, ne grauentur corda nostra ebrietate. Tertiò, viciant naturã atq; adeo seipsos occidũt. Quartò, in bestias se cõuertũt. Quintò, diabolo ligatos & captiuos se tradunt. Deniq; sibi ipsis causam & occasioné prestant ad omnia peccata, obliuiscũtur Dei, iustitiæ, honestatis. Aduers. ebrietaté. Luc. 21.

Dormiuitq; cum patre suo, &c.

Hic est fructus ebrietatis, hæc radix non alios fructus fert quàm pessimos & obscœnos, id quod etiam ex aliis plerisq; scripturæ locis colligi potest. Quid terribilius quàm patrem cum propria filia cõcũbere? Quanquã Moses etiam ipsum factũ extenuet, ac ipsum Loth excuset cũ subdit: At ille non sensit, quo verbo ostẽdit quod Loth hoc non fecit ex proposito sed ignoranter. Et hactenus

quidem excusatur, sed de ebrietate nullatenus. Imo ebrietas non excusat sed accusat, & auget culpam. Hic igitur primò videmus iudicia Dei inscrutabilia, quod sanctum hunc virum tam grauiter permittit cadere, verè timendum iudicium. A iuuentute pietati adheserat, nunc in senectute cadit. Inter Sodomitas pessimos seruauit puritaté, nunc è malis eductus se filiasq; suas deturpat. Prius non accepisset totum mundum vt alienam mulierem tangeret, hic proprias filias incestu constuprat. Quis sibi nō timeat, qui videt sanctum sic cadere? Permisit autem Deus ipsum cadere, vt non in superbiam eleuaretur propter acceptam gratiam. Secundò, vt deinde cautius ambularet. Tertiò, ad admonitionem nostram, ne nimium securi simus, sed semper timeamus, vigilemus. Qui stat, videat ne cadat. Videmus quòd nullus tam sanctus qui non cadere possit, nemo igitur de sanctitate sua præsumat. Nemo alium iudicet, nescis quis finis te aut alium maneat. Videmus item hic quàm miseri simus si nos Deus nobis relinquat, quid audeat caro, in quanta flagitia sese præcipitet, si manum suam abstrahat Deus. Videmus etiam ex hac historia ebrietatem esse causam malorū multorum. Iustum enim hunc quem Sodomitæ à iustitia auertere non poterant, vinum & ebrietas decipit, quare fugienda est. Videmus etiam hic periculosam esse cohabitationem viri cum mulieribus extra matrimonium. Si nō licuit tutum habitare patrem cum filiabus, quanto minus nos tuti erimus.

Conceperunt ergo duæ filiæ Loth, &c.

Ex hoc incestu Loth cum filiabus suis nati sunt, Moab & Ammon, capita gentium ab ipsis nominatarum, vtraq; tamen gens mala fuit. Sic nobis cedunt consilia nostra: Putabant filiæ Loth se operæpretium facturas si genus humanum restituerent, & tamen nihil nisi peccatores & pessimos homines genuerunt. Ex stultitia enim, ignorantia & ebrietate non nascuntur boni, Moraliter, duæ filiæ quæ iustum decipiunt, sunt caro & abundantia temporalium, hæc duo nisi regantur, & freno retineantur, hominem in omnia mala deducunt. Moabitæ autē & Ammonitæ (qui ex bono patre nati fuerant, ipsi tamen mali manse-

manserunt,& populo Dei semper restiterũt)falsos Christianos significant,qui ex Christianis orti, verbum Christi gerunt,inter Christianos versantur, qui tamen nihil nisi carnem,temulẽtiam,fornicationem recipiunt, bonis conatibus piorum obstant, pios persequuntur.

Caput vigesimum.

Rofectus inde Abraham in terram australem, habitauit inter Cades & Sur: peregrinatus est in Geraris. Dixitque de Sara vxore sua, Soror mea est. Misit ergo Abimelech Rex Geratæ,& tulit eã. Venit aũt Deus ad Abimelech per somniũ nocte,& ait illi: En morieris propter mulierẽ quam tulisti: habet enim virum. Abimelech verò non tetigerat eam,& ait: Domine, num gentem ignorantem & iustam interficies? Nónne ipse dixit mihi, Soror mea est:& ipsa ait: Frater meus est? in simplicitate cordis mei,& munditia manuum mearum feci hoc. Dixitque ad eum Deus: Et ego scio quòd simplici corde feceris:& ideo custodiui te ne peccares in me,& non dimisi vt tangeres eam. Nunc ergo redde viro suo vxorem,& orabit pro te: quia propheta est,& viues, si autem nolueris reddere, scito quòd morte morieris, tu & omnia quæ tua sunt. Statimq; de nocte consurgens Abimelech, vocauit omnes seruos:& loquutus est vniuersa verba hæc in auribus eorum, timueruntq; omnes viri valde. Vocauit autem Abimelech etiam Abraham,& dixit ei: Quid fecisti nobis, quid peccauimus in te, quia induxisti super me & super regnum meum peccatum grande? quæ non debuisti facere, fecisti nobis. Rursumq; expostulans, ait: Quid vidisti, vt hoc faceres? Respondit Abraham: Cogitaui mecum, dicens, Forsitan non est timor Dei in loco isto,& interficient me propter vxorem meam: aliàs autem & verè soror mea est, filia patris mei,& non filia matris meæ, dixi ad eã: Hanc misericordiam facies mecum, In omni loco ad quẽ ingrediemur, dices quod frater tuus sim. Tulit igitur Abimelech oues & boues & seruos,& ancillas,& dedit Abraham: reddiditque illi Saram vxorem suam,& ait: Terra coram vobis est, vbicunque tibi placuerit habita. Saræ autem dixit: Ecce mille argenteos dedi fratri tuo, hoc erit tibi in velamen oculorum ad omnes qui tecũ sunt: & quocunque perrexeris, memento te deprehensam. Orante autem Abraham, sanauit Deus Abimelech & vxorem, ancillasque eius:

pepererunt, concluserat enim Dominus omnem vuluam domus Abimelech propter Saram vxorem Abrahæ.

IN hoc capite Moses iterum redit ad describendam historiam ipsius Abraham. Hunc enim vel maximè in exemplum nobis proposuit Deus. Cæterùm quamuis humilia videntur quæ in hoc capite de ipso scribuntur (vt quod peregrinatus est & quod vxorem ad tẽpus amisit, hæc enim etiam sæpè in aliis videmus.) Verè tamẽ magna sunt si rem ipsam attendas. Scriptura enim longè aliter de operibus iudicat quàm ratio, verum quidem est quod non pauci etiam nunc hinc inde vagantur, verùm non ex fide patiuntur sicut Abraham. Fides est pondus operum. Quantumcunq; opus aliquod in speciem magnum est, si fidem non habet, leue est, & nullius ponderis. Econtra quantumcunq; humile videatur opus aliquod. Si ex fide est, magnum est corã Deo. Talia fuerunt opera ipsi⁹ Abrahę, ideo aliorũ hoĩm operibus lõgè pręferẽda.

Profectus inde Abraham in terram australem, &c.

Resederat ad tempus in conualle Mambre: Nunc autem etiam eum locum relinquit, non leuitate animi, quasi tam inconstãs esset vt nusquã consistere posset semperq; meliora quæreret. Sed ideo mutauit locum, quia subuersis quinq; ciuitatibus, deerãt sibi peregrini quibus benefaceret. Secundò, quòd rumorem malũ de Loth ferre nõ poterat stupri cũ filiabus admissi insimulatum, has causas profectionis Iudæi assignant. Verius autem hoc fecit ex præcepto Domini, non enim in vno loco consistere debuit, sed fidei & morum exempla passim circumferre, Dei gloriã verbis & factis prædicare. Vide igitur quomodo Deus suos exerceat. Poterat Abraham post insignem illam apparitionem domini, de qua supra, sperare finẽ malorũ, ac deinceps lętiora se habiturũ, hic autem eũ denuo Deus in tentationes coniicit, & quidem maximas. Primò enim iterum cogitur egredi terrã, quæ toties ipsi posterisq; eius promissa erat. Secundò, etiam vxorem amittit, è qua eo ipso anno filium, sibi nasciturum audierat. Sic Deus post magnas promissiones, magnas etiam tẽtationes immittit, vt probet nũ credamus. Sic militia est vita
Iob. 7. hominis super terram; & cum putamus nos tentationes euasisse

euasisse,tunc primū irruunt.Iustus tamē Abraham,in omnibus persistit,nihil de promissionibus Dei dubitat,nullum impatientiæ signū ostēdit.Vide autē quā facilè trāsmigrabat iustus ille,ad primā iussionē semper mouet tabernaculum,nullius loci amœnitate tenetur,vitam enim suam instituerat vt peregrinus.nos cōtrà,ita temporalia congerimus,quasi perpetuo hic mansuri simus. Et quo maiora congregamus,eo difficilius ab his separamur,nihil interim ne cogitantes quidem de vera patria nostra.

Deinde quamuis terra austri desertum sit, iustus tamē totus à Deo pēdens & fidelis,hoc nec æstimat nec sentit, eius enim sufficientia Deus erat.Cōtra Loth terrā optimam elegerat,quasi aliàs Deus ipsum nutrire non posset. *Gen.13.* Interim autem in optima illa terra ferè in corpore & animo perierat,quanto satius fuisset,vt in deserto maneret. *Gene.19.* Abraham nullum locum alteri præfert, sciēs quòd omne solum forti patria est,& quòd domini est terra & plenitudo eius. *Psal.23.* Cæterū quod Abrahā,iam iam nascituro Isaac, cùm promissus & ex nomine pronunciatus esset, iam altera vice peregrinatur,ita vt tollatur ab eo Sara, & non auderet confiteri quod vxor sua esset,hoc præfigurauit quòd prope nascituro Christo, cum iam per Prophetas ex nomine pronunciatus esset,dicēdo verbi gratia:Ecce virgo concipiet, iterum peregrinaretur semen Abrahæ in terra nō sua, scilicet in captiuitate Babylonica.Tunc enim post peregrinationē Aegyptiam seruituti subiecti sunt septuaginta annis, & Saram pœnè tulit alienigena. *Isa.7.* Nam præter Danielem & socios eius, nemo ausus ibi cōfiteri sanctæ legis Dei coniugalia fœdera fuerat,sæuiente Nabuchodonosor & fornace succensa. *Dan.3.*

Dixitq́; de Sara,soror mea est.

Cur hoc dixit,& an peccauerit vel non,satis supra ostensum est. Verè autem sororē eam dixit, quia vt sororem eam dilexit,iamq́; implens illud quod Paulus postea scripsit:Qui habent vxores tanquam non habentes sint. *1. Cor. 7.*

Misit ergo Abimelech & tulit eam,&c.

Hic videmus mūdi & mundanorum ingenium. Primò enim tantum ea attendunt quæ ad voluptuosam vitam faciūt,hic plus quā lynceos oculos habēt,ad ea autē quę

 ad per-

ad perpetuam vitam faciunt, cæci sunt. Deinde non curant, num alios contristent vel offendant, dummodo suę voluptati satisfiat. Præterea licere sibi putant quicquid libet, maximè si potestate prædıti sint. Huiusmodi hominibus Abraham obiicitur, alius quispiam cum Deo expostulasset & dixisset, cur me ad hos homines misisti? hoccine est quod promisisti me hoc anno filium ex ipsa Sara habiturum, ecce iam mihi ablata est? Nihil horum cogitauit Abraham, sed iam expertus Dei prouidentiam circa se & Saram nihil respondet Deo, non se opponit regi, certus id cessurum in gloriam Dei, vt de adulterio & diffamia nihil timeret. Deinde quantumuis videat Saram ablatã, non tamen dubitat de promissione Dei. Imò si ipsam Saram mori vidisset coram se, certus tamen erat quod Deus falli & mentiri nõ posset. Verè mirabilis fides, mirabilis obedientia, mirabilis patientia, iusti huius. Quicquid Deus cum ipso agit, omnia placent. Si Deus dat, accipit. Si Deus iterum aufert, non tristatur iustus, hæc est vera animi fortitudo, hoc est incedere per arma

2.Cor. 6. iustitiæ à dextris & à sinistris. Verè etiam mirabile consilium Dei hic cernitur, quod magna quidem promittit, sed interim facit quasi contrarium ostendere velit. Verùm hæc ideo facit, non quasi promissionum suarum oblitus, sed vt probet. Mirabile etiam est quod Sara nonagenaria tantopere à rege concupita sit, ad hoc responderi potest. Primò quod ex temperantia voluptatum remansit in ea corporis pulchritudo, quæ nimia intemperantia perditur. Secundo quod ex pulchritudine animi etiam corpus pulchrius apparuit. Tertiò dici potest quod Abimelech, plus honestatem, mores, pudicitiam, in fœmina consyderauit, quàm venustatem. Ideo non additur quod propter pulchritudinem appetita sit, quemadmodum supra additum est. In summa, sunt quædam fœminæ quæ nec senio deflorescunt, hoc potissimum de Sara credendum est. Significat autem hæc pulchritudo Saræ, pulchritudinem religionis diuinæ, quæ illo quoque tempore quo Iudæi captiui ducti sunt, videbatur inter gentium errorem immutabilis, & æmulabantur eã, quamuis non caste, vnde legitur quod gentes

ex lege

ex lege Domini ſcrutabantur ſimilitudinem ſimulachrorum ſuorum, ſcilicet vt more diuinæ legis exhiberent ſimulachris ſuis ritum vel ordinem ſacrificiorum. 1. Mala. 3

Venit autem Dominus ad Abimelech, &c.

Hic vides quod tentat quidem Deus, ſed non relinquit: Imo vides quãtæ æſtimationis iuſti ſint corã Deo, quod propter peregrinum hominem, Deus etiam reges corripit, quemadmodum & alibi dicit Pſalmus: corripuit pro eis reges, nolite tangere chriſtos meos. Vides item quòd Deus etiam potentes arguit, non veritus ipſorum potentiam. Non eſt igitur quod de potentia ſua ſuperbiant & præſumant: coram Deo enim nihil prodeſt. Mitius tamen hunc regem arguit quàm Pharaonẽ, illum enim ſtatim flagellauit, ad hunc autem venit, alloquitur, inſtruit. Patet igitur quod Abimelech ille melior fuit quàm Pharao. Videmus itẽ quod in omni gente Deus habet ſuos electos, à quibus ſe patitur agnoſci. Sic enim & Iob gentilis fuit, & tamen iuſtus. Per ſomnia autem alloquitur naturæ myſterio vtens, cum ſcilicet ſenſus vacant, vt tunc capaciores ſint viſionum. Iob. 1.

En morieris propter mulierem, &c.

Terret eum ac mortem ei præ oculis ponit, huiuſmodi enim homines poteſtate præditi non mouentur manſuetis adhortationibus. Deinde nihil plus timent quã mortem corporis, ideo ei mortem minatur. Vtinã autẽ verbum hoc obſeruarent hii qui regi huic ſimiles ſunt, imò peiores: ipſe enim inſcius hoc fecit, illi autem ſcientes. Deinde Abimelech admonitus ſtatim reddidit, hii autẽ vi raptas retinent, ſicque gentiles iuſtiores nobis ſunt, verè autem omnibus adulteris mors intentata eſt, iterũ igitur hoc verbo pollicetur ſe dominus vindicem fore coniugii violati. Quod ſi non ſemper tam cito venit vt hoc loco, certo tamen veniet.

Abimelech verò non tetigerat eam, &c.

Hic clarum fit quod ſupra obſcurè intelligebatur, intactam fuiſſe Saram à Pharaone, vterque enim rex peccare in mulierem non eſt permiſſus. Sic Deus nouit & poteſt ſuos in mediis periculis ſeruare, impios prohi-

bere. Nemo igitur desperet in periculis, sed domino se commendet.

Num gentem ignorantem & iustam interficies, &c.

Dubium est an Abimelech verè fuerit iustus, & ex animo hæc protulerit. Aliqui volunt quod tantùm hoc dixerit ad excusandum & extenuandum peccatum suum: Ideo allegat ignorantiam suam & iustitiam simulat. Denique peccatum in Abrahamum coniicit. Sic enim solemus facere cum arguimur. Alii volunt quod iustus fuerit in hac vna re: quemadmodum bona conscientia dicere possumus, innocens sum in hoc facto quod nô feci nec consensi vt fieret, etiam si in aliis malus sim. Alii volunt eum simpliciter iustum fuisse & gratum coram Deo, tametsi gentilis fuerit. Non enim omnes gentiles
4. Reg. 5. mali fuerunt, vt patet de Iob & Naaman Syro. Et hoc verisimilius videtur. Primum ex eo quòd Deus ei loquitur & monet, quod magnum dilectionis indiciû est. Secundò, quod responsionem eius non arguit sed confirmat. Et ego, inquit, scio. Tertiò, ex eo quod tam statim obedit & reddit vxorem, munera dat, quæ omnia pii cordis indicia sunt. Videmus igitur quod etiam diuites & potentes possunt Deo placere, contra eos qui putant se non posse aut non debere iustitiam colere, pietatis operibus insistere, propterea quòd in potestate sint. Videmus item quæ sit vera iustitia, nempe vbi non solum manus à scelere cohibentur, sed etiam cor purum & simplex est. In simplicitate, inquit, cordis & munditia manuum mearum feci hoc. Sût enim quorum cor impurum est, sed metu prohibiti in scelus non ruunt.

Et ego scio quod simplici corde hoc feceris, &c.

Non auersatur Deus etiam alienigenas, ideo benigne alloquitur hunc regem. Singula autem verba emphasim habent. Primò: Et ego, inquit scio. Ipse enim scrutator & inspector est cordium. Frustra igitur excusamus peccata coram Deo, frustra simulamus iustitiam, cum ipse etiam cor & intentionem videat. Secundò, dicit: Ideò custodiui te. Ergo non nostrarum virium sed Dei donum est si non grauiter cadimus. Non igitur est quod de iustitia nostra præsumamus, quod alios côtemnamus. Nisi enim domi-

dominus custodiret, faceremus & nos eadē. Igitur nō tā tum Deo gratias agamus quod peccata perpetrata remittit, sed etiā quod à pluribus aliis nos præseruauit & præseruat. Signanter autem dicit, ne peccares in me: Iniuriam enim iustis irrogatam Deus sibi acceptam fert, Domino peccat qui amicum Dei lædit. Hinc & Christus: Quod vni ex minimis meis fecistis, mihi fecistis. Quartò addit: Redde viro vxorem. Resipiscere necessarium est agnoscenti errorem, & restitutio ablati pars pœnitentiæ est & necessaria. Peccatum enim non dimittitur, nisi restituatur ablatum. Vide igitur quàm pauci sint qui verè pœniteant. Omnes capimus, fraudamus, grauamus proximum, damnificamus eum in rebus, corpore, fama, nemo tamen de restitutione vel cogitat. Addit: Quia propheta est, quod primò hunc sensum habet, quasi dicat, pius est, facilè ignoscet, resumet eam placatus tibi, nec tibi offendetur. Propheta enim est & certò nouit eam te non tetigisse, & animo simplici egisse, mundamque & sanctam vt fuerat antè, sibi vxorem remittere. Vel aliter: Redde viro vxorem, quia propheta est, quasi dicat: Non tam cō temptibilis vel contemnendus est coram me, igitur ne Dei amicum lædas. Docemur hic quomodo pios homines æstimare debemus, nempe non secundum externam apparentiā. Sub paupere enim tunica sæpe magni & Deo gratissimi homines latuerunt. Hinc Christus: Nolite secundum faciem iudicare. Sequitur: *Matt.25.*

Et orabit pro te.] Tam facilè reconciliabitur tibi, vt statim pro te oraturus sit. Plus enim de tua salute sollicitus est, quàm de sua iniuria aut periculo. Videmus hic, non satis esse, Deo conciliari, nisi & proximis reconciliemur. Hinc & Christus: Si offers munus tuum, Vade prius reconciliare fratri tuo. Videmus secundò, quod non solum Deus sanctos suos magnificat, sed & honorari ipsos vult ab aliis Sic cogitur iste rex peregrino honorem deferre. Non enim frustra dixit: Qui me glorificat, glorificabo eum. Item Christus: Qui mihi ministrauerit, honorificabit eum pater meus. Gloriosum sibi esse iudicat Deus, quòd seruitores suos gloriosos facit. Per hoc enim omnibus ostendit quàm bonum sit seruire Deo. *Matth.5.* *1.Reg.2.* *Ioh.12.*

Videmus

Videmus tertiò, quod Deus etiam per famulos suos orari vult, & propter ipsos multa dare, quæ per seipsum posset dare. Potuisset Abimelech dicere, quid mihi opus est oratione eius, possum per meipsum orare. Deinde potuisset dicere, quid mihi est opus ipso, cum te habeã? cur me à te ad hominem dirigis, potes omnia præstare sine ipsius oratione. Hęc, inquam, cogitare potuit. Interim tamen iubetur Abraham orare, & propter ipsum dicit Abi-
Iob. 42. melech victurum. Simile quid habemus in Iob, vbi dominus dicit amicis Iob: Iratus est furor meus in vos. Ite ad seruum meum Iob, faciem eius suscipiam. Et hæc lo-
Psal 49. quitur idem Deus qui dicit: Inuoca me. Item qui dicit:
Psal. 42. Ego dominus gloriam meam alteri non dabo. Ipse vult inuocari & tamen mittit eos ad Iob, ipse sanat Abimelech, & tamen ostendit quod propter Abraham facit.
Isa. 37. Et sicut propter amicos suos in hac vita aliis benefecit, sic & post mortem eorum, hinc est, quod toties in scripturis ponitur. Propter me & propter Dauid seruum meum hoc faciam. Quid igitur opus est cœlum terræ miscere propter cultum & inuocationem sanctorum. Aboleantur superstitiones & abusus, quod bonum est maneat. Pati potuit: Imo voluit Deus vt etiam Abraham honoraretur, nec Christus erga suos sanctos adeo seuerus est. Ipse quidem Rex & sacerdos noster est. Interim
Apoc. 5. tamen etiam ipsi verissimè dicunt: Fecisti nos reges & sacerdotes, hunc titulum non tantũ pro hac vita receperunt, sed etiam nunc habent, imo quamdiu Christus Rex & sacerdos est, tam diu erunt sancti reges & sacerdotes, siue viuant, siue moriantur.

Si autem reddere nolueris, scito, &c.

Iterum terret eum, ne putemus liberum esse num ablata restituamus vel non. Multum autem exaggerat sentẽtiam. Primò: Scito, inquit, & certus sis. Non fallent Dei minæ si non resipiscamus. Secũdo, non simpliciter dicit: Morieris, sed morte morieris, hoc est, dupliciter, in corpore scilicet & anima. Tertio, addit: Et tu & omnia quæ tua sunt. Eris causa perditionis omnium & reus sanguinis eorum. Videmus propter impium principem inter-
2 Re. 21. dum etiam populum puniri. Sic & tempore Dauidis con-

tigit

tigit propter peccatum ipsius.

Statimq́; de nocte consurgens, &c.

Omnia hæc indicant hunc Abimelech pium, iustumq́; fuisse: Sunt enim hæc pij cordis indicia. Primò nō contemnit minas Dei sicut vulgus solet, scit enim rem seriam esse vbi Deus minatur. Didicerat timere Deum ex horrenda perditione Sodomorum. Deinde festinat, non differt, atq; hoc ipso perfectior fuit quàm Loth qui diu differebat, dissimulabat. Præterea seruos suos vocat, omniaq; eis vt acciderant exponit, voluit enim vt & serui sui timerent Deum, & cauerent ab iniuria Abrahæ & suorum. Denique serui timent, fœlix domus quæ sic in timore Dei ambulat. Gene. 19

Vocauitq́; Abraham, & dixit: Quid fecisti? &c.

Non violenter retinet alienā vxorem, non durè Abrahamum aggreditur, sed velut amicum Dei tractat, & verbis tantum expostular. Videbatur enim Abraham rarum & periculosum opus fecisse. Præter enim mendacium quod rex illi imputat, etiam vxorem prostituisse videbatur, famamq́; vtriusque traduxerat, rem insuetam. Deniq; regi ac regno imposuerat, & quodammodo prudēs iram Dei in immeritos prouocauerat. Quærit igitur Rex, quid fecisti? quid vidisti? quasi dicat: Si videns & Propheta es, quid tibi dominus reuelauit, vt hæc feceris quę nostrorum nullus admittere voluisset, vt vxorem dimitteret quacunque tandem ratione. Rex iste multo iustior nostris principibus est. Ipse enim inique fert, ac se læsum putat, quod Abraham ipsi veritatem reticuit, quod non obstitit voluntati & proposito eius. Nostri autem tantū adulatores amant, pro hoste iudicant, si quis eos arguat, & propositum ipsorum impedire conetur. Deinde Rex ille tametsi gentilis fuit, sciebat tamen adulterium magnum esse peccatum. Imo adeo magnū, vt propter ipsum totum regnum perdendum esset. Et nos Christiani leuissimum peccatum putamus. Discamus igitur ab homine gentili virtutes.

Forsitan non est timor Dei in loco isto, &c.

Humiliter se excusat, & primò quid eum permouerit ostendit. Cogitaui, inquit, paucos inueneras timentes

Deum,

Deum. Vbi autem timor Dei non est, ibi nullum ius, nullum phas, nulla virtus. Merito igitur apud huiusmodi homines timet iustus, maximè cum eo tempore mors adhuc terribilis esset, vtpote nondum per Christum deuicta. Deinde signanter excusat mēdacium: Verè, inquit, soror mea est ex patre, id est, sanguine paterno, Verum intercessit ex alieno sanguine mater, fuit enim Sara neptis Tharę filia Aram, quo mortuo ab auo adoptata fuit, ideo eam verè sororem suam dicere potuit: Eadem causa & Loth dixit fratrem suum esse. Imo etiam apud nos, nepotes & neptes filij & filiæ dicuntur auorum, maximè dum adhuc in potestate eorum sunt. Sic infra Effraim & Manasse, inter alios patriarchas computantur, eo quod essent ab Auo adoptati. In fine Abraham breuiter ostendit statum suum, Postquam, inquit, eduxit me Deus. Hac igitur responsione & regis molliuit iram, & suas virtutes detexit, & sufficientem veræ religionis cultum tradidit, in eo quòd & in principio & fine mentionem Dei fecit.

Gen. 48.

Tulit igitur Abimelech boues & oues, &c.

Hic primò videmus quàm verè dictum sit: Cor regis in manu domini, quocunque voluerit inclinabit illud. Videmus item, quòd nō frustra Abraham in illam regionem peruenerit, multos enim ædificauit. Videmus item quàm verè dictum sit: Fili noli negligere disciplinam patris, Quem enim dominus diligit corripit, vna enim illa correptio multa bona effecit. Primò regē à peccato continuit. Secundò, Saram liberauit. Tertiò, Abrahā per hęc cōsolatus est. Quartò, serui & familia regis in timore Dei stabiliti sunt. Quintò, ipsa Dei gloria latius diuulgata est. Non sine causa igitur voluit Abrahamum in hanc regionem peregrinari. Videmus item veram resipiscentiam in illo rege. Primò enim nedum pœnitet commissi, sed reddit vxorem. Secundò, qui prius auferebat aliena, nunc propria largitur. Tertio, quem prius contempserat, nunc inuitat ad cohabitationem, ambit eius fauorē, ac liberā defert terræ electionem, hoc enim maximè regis officiū est, fouere pios, prohibere iniuriam. Postremò cupit amborum illibatam famam. Imo verbo & facto testatur honesta-

Prou. 21.

Prou. 3.

honestatem utriusque, docetq; propulsare infamiam, si quis illos reprehendere tentauerit.

Hoc erit tibi in velamen oculorum, &c.

Verecundia oculis attribuitur: qui enim erubescunt, oculos tegũt, ne igitur Sara erubescere cogatur, regium donum super oculos ponit, quasi dicat: Ecce hoc argentum erit tibi operimentum, prætensio vel prætextus excusationis tuæ ad omnes qui tecum sunt, ad quos peruenies, qui te arguere præsumpserint, & te tuo honore cõmaculare. Nemo te reprehendere poterit, quam rex tanto munere dignã æstimauit. Verè pium pectus, omnibus modis prouidit, ne proba fœmina propter ipsum malè audiret, & famæ periculum sustineret. Quod autẽ addit: Memento te deprehensam, monet vt deinceps non dissimulet se virum habere, ne malum aliquod ei contingat. Chrysostomus ex quinquaginta legit: Quocunq; perrexeris verum dic, id est, ingenuè fatere te immunem & mundam à me exiisse, vel fatere publicè, te virum habere, ne iterum tale quid tibi contingat. Sic igitur Abraham ille paulo ante, peregrinus & tentatus, nũc omni ex parte gloriosus efficitur. Sic Deus suos ad inferos ducit, sed reducit. Sic suos magnificat, sed post tribulationem. 1. Reg. 2.

Orante autem Abraham sanauit Deus, &c.

Cum & Rex & Abraham in officio perstarent, & quilibet quod suum erat faceret, adest etiã Deus & facit quod suum est, sanat, aufert iram & plagam omnem. Sic nec nobis deerit si strennuè operemur.

Caput vigesimum primum.

Visitauit autem Dominus Saram, sicut promiserat: & impleuit quæ locutus est. Concepitque, & peperit filium in senectute sua, tempore quo prædixerat ei Deus. Vocauitque Abraham nomen filij sui quem genuit ei Sara, Isaac. & circuncidit eum octauo die, sicut præceperat ei Deus, cum centum esset annorum: hac quippe ætate patris, natus est Isaac. Dixitque Sara: Risum fecit mihi Deus, quicunque audierit, corridebit mihi. Rursumq; ait: Quis auditurus crederet Abrahã quòd Sara lactaret filium quem peperit ei iam seni? Creuit igitur puer, & abla-

& ablactatus est, fecitq; Abraham grande conuiuium in die ablactationis eius. Cumq; vidisset Sara filium Agar Aegyptiae ludentem cum Isaac filio suo, dixit ad Abraham: Eijce ancillam hanc, & filium eius: non enim erit heres filius ancillae cum filio meo Isaac. Dure accepit hoc Abraham pro filio suo. Cui dixit Deus: Non tibi videatur asperum super puero, & super ancilla tua: omnia quae dixerit tibi Sara, audi vocem eius: quia in Isaac vocabitur tibi semen. Sed & filium ancillae faciam in gentem magnam, quia semen tuum est. Surrexit itaque Abraham mane, & tollens panem & vtrem aquae imposuit scapulae eius, tradiditq; puerum, & dimisit eam. Quae cum abiisset errabat in solitudine Bersabee. Cumq; consumpta esset aqua in vtre, abiecit puerum subter vnam arborem quae ibi erat. Et abiit, seditque e regione procul quantum potest arcus iacere, dixit enim: Non videbo morientem puerum, & sedens contra, leuauit vocem suam, & fleuit. Exaudiuit autem Deus vocem pueri: vocauitque angelus Agar de caelo, dicens: Quid agis Agar? noli timere: exaudiuit enim Deus vocem pueri de loco in quo est. Surge, tolle puerum, & tene manum illius: quia in gentem magnam faciam eum. Aperuitque oculos eius Deus: quae videns puteum aquae, abiit, & impleuit vtrem, deditque puero bibere. Et fuit cum eo: qui creuit, & moratus est in solitudine, factusque est iuuenis sagittarius. Habitauitque in deserto Pharan, & accepit illi mater sua vxorem de terra Aegypti. Eodem tempore dixit Abimelech & Phicol princeps exercitus eius ad Abraham: Deus tecũ est in vniuersis quae agis. Iura ergo per Deũ, ne noceas mihi, & posteris meis, stirpique meae: sed iuxta misericordiam quam feci tibi, facies mihi & terrae in qua versatus es aduena. Dixitque Abraham: Ego iurabo. Et increpauit Abimelech propter puteum aquae quem vi abstulerant serui eius. Responditque Abimelech: Nesciui quis fecerit hanc rem: sed & tu non indicasti mihi, & ego non audiui praeter hodie. Tulit itaque Abraham oues & boues, & dedit Abimelech: percusseruntq; ambo foedus. Et statuit Abraham septem agnas gregis seorsum. Cui dixit Abimelech: Quid sibi volunt septem agnae istae, quas stare fecisti seorsum? At ille: Septem, inquit, agnas accipies de manu mea: vt sint mihi in testimonium quoniã ego fodi puteum istum. Idcirco vocatus est locus ille Bersabee: quia ibi vterque iurauit. Et inierunt foedus pro puteo iuramenti. Surrexit autem Abimelech, & Phichol princeps exercitus eius, reuersique sunt in terram Palaesti-

Palæstinorum. Abraham verò plantauit nemus in Bersabee, & inuocauit ibi nomen Domini Dei æterni. Et fuit colonus terræ Palæstinorum diebus multis.

QVemadmodum præcedenti capite manifestè impletum vidimus, quòd Deus Abrahæ dixerat: Magnificabo te, Sic in hoc capite videbimus, etiā eam promissionem impleri, qua dixerat: Sara vxor tua pariet tibi filium. Vtramque autem promissionem impleuit Deus, loco & tempore quibus non sperasset Abraham. Non cogitasset se in tantum honorandum inter extraneos, maximè inter eos qui in exordio tam inciuiliter eum susceperant, vt vxorem ei auferrent. Similiter vix credibile erat, Saram in tanta senectute parituram, vtrumque tamē factum est. Sic Deus nunquam propior est, quàm cum maximè videtur absens, & econuerso. Sodomitæ in tanta pace, securitate, abundantia omnium rerū viuebant, quasi Deus totus apud eos esset, cum tamen maximè ab ipsis abesset, id quod in fine apparuit, iudicio enim irruente nullus ipsis aderat Deus saluator. Econtra Abraham peregrinatur, nunc hoc, nunc illud patitur, vt credi posset Deum nihil cum ipso commune habere, & tamen verè Deus ipsi aderat. Vbique enim ipsum eripit, consolatur, magnificat. Non igitur putemus Deum nos reliquisse, si aduersa ingruant, maximè si pii fuerimus. Nec ideo putemus Deum nobis fauere, si temporalia donet, maximè si cum hoc impiè vixerimus, Exemplo sit diues ille Euangelicus. Itemq; Balthasar Rex Babylonis, qui cum omnium rerum haberet copiam, nihilominus tamen digitus Dei iudicium eius in pariete scribebat, Mane, Tekel, Phares. *Dan. 5.*

Visitauit autem Dominus Saram, &c.

Verbo visitandi scriptura vtitur in bonam & malam partem, In bonam vt hic, & in Euangelio: Visitauit & fecit redemptionem, &c. In malam partem punire & vindicare significat, vt ego in die vltionis visitabo hoc peccatum eorum. Est igitur sensus: Visitauit dominus Saram, id est, consolatus est insigni beneficio, curauit adimplere quæ promiserat, desiderii illius æstum refrigerauit. Ostē- *Luc. 1.*

dit hoc verbo, quod non prætereat Deus electos suos, etiam si diu differat. quasi dicat, diu distulit consolari sanctam illam fœminam, quia tamen ipsa in fide, patientia, & officio perstitit, finaliter eam præterire nõ voluit sed visitauit. Docemur quod Deus in officio persistentes nõ præterit. Sicut econtra nec impios in malitia persistẽtes prgterit, etiam si diu differat, sed tarditatem supplicii grauitate compensat. Deinde etiam, ideo sic loquitur: Visitauit Deus Saram, vt sciamus non naturæ sed Dei opus esse. Singula autem verba emphasim habent. Primò, concepit, inquit, nempe illa quæ supra ad conceptum inhabilis ducta est, vt in qua cessassent muliebria. Deinde peperit filium, inquit, non qualemcunq;, sed eũ in quem promissiones diuinæ competebant. Filium, inquam, fidei precium, gaudium parentum, domus splẽdorem, generis decus, posteritatis spem. Idcirco rectè præmissum est: Visitauit dominus, &c. Visitatio namq; Dei larga gratiæ eius donatio est. Addit in senectute sua, ad miraculi exaggerationẽ, postremò in tempore illo quo condixerat Deus.

Videmus igitur Deum non fallere in suis promissis. Videmus item quòd Deo nihil impossibile est. Nulla rerum difficultas, nullum obstaculum esse poterit, si quãdo gratia Dei suam declarare voluerit liberalitatem. Nõ igitur diffidamus, sed pietati studeamus.

Vocauit Abraham nomen filii Isaac, &c.

Isaac risum vel gaudium significat, Ideo autem hoc nomen ei imponit, tum quia Deus iusserat, tum quia dũ promitteretur vterque parens riserat, tum tertiò, quia natiuitas eius sanctos parentes magno affecit gaudio, Maximè autem propter Christum ex semine Isaac nasciturum, quod iam præuidebat Abraham, non enim tantum in prgsentia respiciebat, sed maximè in futura. Hic igitur vidit Abram diem Christi, vidit & gauisus est. Nato enim Isaac non dubitabat cæteras quoq; promissiones adimplendas, maximè eam quæ erat de benedictione omnium gentium per Christum.

Iohan. 8.

Circumcidit eum die octauo, &c.

Nusquam præterit mandata Dei, sed diligẽtissimè obseruat. Volũtas enim iusti hominis semper est in lege domini.

Psalm. 1.

mini. Deinde ante omnia curat, vt etiam filius suus in fœdere Dei sit. Non enim tantùm cupit habere filium hæredem diuitiarum, sed sanctum filium, hæredem promissionum Dei. Vtinam hoc exemplum imitarentur qui inter nos etiam filios habent. Addit Moses, cum centum esset annorum, tam diu expectauit iustus, tam diu probauit eum Deus. Non igitur egrè feras si te aliquádiu probet. Videmus item hic, veram impletioné promissionũ Dei, non hoc præsenti sed futuro seculo impleri, quemadmodum & Abraham post exactum vnum seculum promissiones primum accipit.

Risum fecit mihi Dominus, &c.

Hic vertendum erat gaudium, non risum, non enim verisimile est Saram tam honestam ac maturam fœminam risisse, cum videret impletam promissionem, licet prius riserit, quum nouam rem & naturæ impossibilem audiret. Est igitur sensus: Magno gaudio affecit me dominus, dedit mihi vetulæ & infœcundæ filium. Omnis qui audierit corridebit mihi: Omnes Sancti omnium seculorũ gaudebunt, & gaudent quod Sara peperit filium, è quo sanctus sanctorum natus est, Vide quomodo Sancti vbique gratias agunt, Omnia in Deum referant, alios ad laudem incitent. Alii sic legunt: dominus fecit me in risum, quicunque audierit irridebit me, nempe quòd vetula voluptati adhuc vacem. Secundum hunc sensum notatur hic pudor & castitas Saræ. Sic sancta Elisabeth gaudet, & tamen pudore afficitur & dolet, hæc est pudicitia magna. *Luc.1.* Ita oportet quæ Dei sunt rideri, vt crucem feramus, dum donis Dei carere nolumus, & oportet ferre ignominiam si peruenire volumus ad gloriam, Sic Paulus: Spectaculum facti sumus mundo, &c. *1.Cor.4.* Sed rideat mundus quantum vult, modò tu habeas Dei verbum & donum.

Quis audiens crederet Abraham, &c.

Non satis admirari & magnificare potest Dei donum & miraculum, sic enim pii semper dicunt: Quid est homo quod memor es eius? *Psal.8.* Hebræi sic legũt: Quis dicet Abrahamo, lactat Sara filium, id est, quis ei hæc nunciabit?

Creuitq́; puer & ablactatus est, &c.

Friuola & superuacanea hæc videntur, verùm in diuinis literis nihil frustra ponitur. Primò enim quòd Abraham conuiuium instruit, ideo factum est. Primò, vt conformaret se aliis, Charitas enim est se conformare aliis in rebus quæ malæ non sunt, ne offendat pacem. Sic Paulus vbique monet, ne nobis ipsis placeamus. Ciuilis & humanus fuit Abraham, erga omnes non tetricus. Deinde etiam ideo instruit conuiuium, vt aliis prædicare posśit Dei mirabilia, ipsosq́; ad fidem & pietatem inuitare. Talia fuerunt sanctorum conuiuia. Non autem caret mysterio, quod non in die circumcisionis sed ablactationis instruit conuiuium, dura res & aspera fuit circumcisio, vbi sanguis fundebatur & vbi potius erat fletus quàm gaudium. Circumcisio ergo duritiam legis significat, sub qua qui viuunt, id est, per opera legis iustificationē quærunt, ad verum gaudium nūquam perueniunt, semper tristes & desperabundi. Moraliter autem tunc conuiuio suo nos dignatur Deus, cum crescimus, nec semper pueri sumus Dei, cum ablactamur, à carne scilicet & temporalibus consolationibus. Sic in Isaia: Quem docebit scientiam? Ablactatos a lacte, auulsos ab vberibus. Et Christus:

Isa.28.

Expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero paracletus non veniet ad vos. Quæ hactenus de Isaac dicta sunt, omnia in Christo impleta sunt. Primò enim sicut Abrahæ statim quidem filium promisit, sed tardè dedit, Imo tunc primum cum centum esset annorum, sic Christum statim ab exordio promisit, sed diu distulit, donec veniret plenitudo temporis, Secundò, sicut Isaac ex promisśione & supra naturā conceptus & natus est. Sic Christus: Vnde Spiritus sanctus superueniet in te. Tertiò, sicut Isaac tempore a Deo præfixo natus est, sic & Christus, prędictum autem erat: Non auferetur sceptrum de Iuda, donec veniat qui mittendus est. Et sic impletū est. Herode enim alienigena Iudęis imperante, Christus natus est. Quarto, sicut Isaac parentes suos lętificauit, vnde & nomen accepit, sic & Christus: Ipse enim est verum gaudium mundi, vnde angelus dixit: Euangelizo vobis gáudium magnum. Quinto, sicut Sara exultauit, sic & Maria: Magnificat anima mea dominum. Sexto, sicut cum

Ioh.16. *Galat.4* *Luc.1.* *Gen.49.* *Luc.2.* *Luc.1.*

cum Sara etiam omnes qui audierunt gauisi sunt, sic non sola Maria gauisa est de natiuitate Christi, sed cum ea, Zacharia, Elizabet, Ioannes in vtero, Simeon, Anna, & quotquot pii erant in illo populo, Imo & pastores & Magi. Sic adhuc omnes electi hinc gaudent. Vnde bene dixit Maria: Beatam me dicent omnes generationes. Septimò, sicut Sara non tantum dicit: Omnes qui audierũt, ridebunt mecum, sed subdit: Quis crederet? Sic pii ex Christo quidem gaudent, impii autem offenduntur. Positus est enim in ruinam & resurrectionem. Vnde Isaias: Domine quis credidit auditui nostro, Et Paulus: Nõ omnes obediunt Euangelio. Octauo, sicut Isaac creuit, sic Christus proficiebat, ætate, sapientia & gratia. Nono, sicut Abraham conuiuium instruit non in die Circumcisionis, sed ablactationis, Sic Christus: de hoc supra dictum est. *Luc.2.* *Isai. 55.* *Luc.2.*

Vidit Sara ludentem filium Agar, &c.

Vt proba materfamilias attendit mores & vitam puerorum, non negligit, sicut nos. Quis autem fuerit ille lusus variè exponitur, certum tamen est quòd non fuit puerilis lusus, cum Paulus ipsum lusum nominet persecutionem. Vel igitur Ismael turpe aliquid coram Isaac fecit, vel irrisit conuiuium patris, significando sibi tanquam primogenito hæreditatem deberi, sicque Isaacum contépserit, imo & ipsam Saram, quéadmodũ & supra mater eius fecerat. Hanc superbiã, arrogantiam, temeritaté, Sara proba mulier non patitur in domo sua, sicut igitur prius non tulit superbiam matris, sic nunc nõ fert superbiam filii. Deinde timebat ne mortuo Abraham ipsa & Isaac eiicerentur. Fortasis & non nihil, vel nõ parum mouebatur affectibus. Nec enim sancti affectibus caruerunt, vt vel hinc videamus quàm miseri simus. *Gal.4.*

Eiice ancillam & filium eius, &c.

Ipsa verba indicant quod affectibus permota fuit, Interea miris modis fidelis Abrahæ animus torquetur, Iam ex filio consolationem acceperat, sed statim succedit alia tentatio. Militia enim est vita hominis super terram; Sic Abraham in hanc molestiam peruenit, vt aut perpetuas rixas, discordias, in domo habere, aut naturalem filium *Iob.7.*

eiicere cogatur. Discamus hinc hoc esse Dei propriũ, vt charissimos quoq; amicos suos summis ꝓbet tẽtationibus, ne nos deficiamus si tale quid aliquando contingat.

Heb. 12.

Dure accepit hoc Abraham pro filio suo, &c.

Putabat Saram ex affectibus hæc attẽtare, durũ sibi erat eiicere filiũ, quia homo erat & pater, displicebat illi insolẽtia lusus, Irrisio Ismaelis & hæreditatis ambitio, cõsensus quoq; Agar matris cõtra Sarã, Displicebat itẽ seueritas Saræ contra filiũ: ipse natura clemens probare nõ poterat tam durã sententiã Saręnec tamen eam contristare volebat. Cum igitur sic fluctuaret audiuit à domino.

Non tibi videatur durum pro filio tuo.

Sic obuiat diuina prouidentia nostris consiliis, quę nobis grauia & dura videntur. Deus iubet & vult vt fiant, Ita ablegare se debet qui Dei discipulus esse vult. Docemur hic charissima quoque propter Deum relinquenda esse. Sic enim Deus suos durat laboribus & aduersitatibus, quò nihil carnale eos à Deo auellat, quo ipsum per ignẽ & aquã alacres sequãtur. Moraliter quicquid nobis Sara, id est, fides vel scriptura dixerit, nõ videatur nobis durum: Magna enim præmia sequũtur. Cẽtuplum, inquit, accipiet. Sic igitur Deus hic iterũ cõsolatur fidelẽ suum grauiter tentatũ. siue filios quis habeat, siue non, nunquã caret molestiis. Ne tibi, inquit, displiceat ꝙ vxor iubet, à me fiunt hæc omnia, sic iubeo, sic fidẽ tuã exercere volo, ipsa quidẽ affectibus ducitur. Apud me aũt iam diffinitũ est quod procul ab inuicẽ separãdi sunt hii duo filii tui. Non vna domus eos capiet, id est, Non vnius erũt volũtatis & fidei. Non easdem habebunt promissiones, sed:

Matt. 19.

In Isaac vocabitur tibi semen, &c.

Ad Isaac & semẽ eius pertinẽt promissiones. In eo tibi semẽ nominabitur benedictũ illud & sacrosanctũ, in quo benedicẽtur oẽs gẽtes. Deinde ne Abrahã putaret Ismaelẽ omnino contẽni & eiici, respõdet Deus ad cogitatio nem eius. Sed & filiũ, inquit, ancillæ faciam in gẽtem, &c. quasi dicat: Licet nolim Ismaelẽ primogenitorũ honore frui, quia tñ filius tuus est, licet fragilior & ad minora dona destinatus, q soleo ꝓut volo bona mea dispẽsare, nulli faciendo iniuriã, quia bonus ego, benedicã ei, & multiplicabo

plicabo

plicabo, non vacuus dimittetur: Obserua hic duplicem promissionem, spiritualem scilicet & temporalem. Isaac vtranq; accipit, Ismael tantum tẽporalem promissionem. *Matt.20.*

ALLEGORIA.

Duo filii Abrahę, duos populos significãt, Iudaicũ scilicet & Christianũ. Imo in vtroq; populo duo gñra hoĩm. Aliqui tãtũ de genere Abrahę gloriãtur, itẽ de lege, ex operibꝰ legis volũt iustificari, magna faciũt, sed tãtũ vel spe mercedis vel timore pœnę. Alii fidẽ Abrahę imitãtur sub Euãgelio credũt, fide in Christũ & sacramẽtis Ecclesię suę iustificari cupiũt, quicquid faciũt ex fide & amore faciũt, vtriq; filii Abrahæ esse volũt. Sed quid dicit scriptura? In Isaac vocabitur tibi semen. i. hii pro veris filiis tuis reputabũtur, qui nõ vt Ismael, sed vt Isaac nascũtur. Vterq; qdẽ ex Abrahã natus est, sed dissimiliter, Ismael tantũ secundũ carnẽ & naturã, & ex matre serua, Isaac aũt ex repromissiõe & ex libera. Igitur veri filii sunt Abrahę qui ex fide regenerati sunt, credũt in promissũ & exhibitũ semẽ Abrahæ Christũ, & quicquid faciũt ex dilectiõe faciũt, tales inq̃ vndecunq; venerant, siue ex Iudæis, siue ex gentibus, veri filii Abrahæ sunt. Qui aũt nihil aliud q̃ caro & sanguis sunt, etiãsi ex semine Abrahę sint, sed tamẽ sine fine, nõ credũt in Christũ, ꝑ sola opera iustificari volũt, deniq; tm̃ ex timore pœnæ vel spe mercedis operãtur, hij nõ filii, sed serui sunt, ẽ domo Abrahæ tandẽ eiiciẽdi. Inter hos aũt filios Abrahæ, inter hæc duo genera hoĩm nulla pax est, sed semꝑ carnalis ridet & persequitur fidelẽ. Sic cõtigit Prophetis, Christo, Apostolis. Sic etiã nũc cõtingit, vt Paul. ait in Epist. ad Galat. Itẽ magna cõcertatio est ĩter veros filios & hypocritas, ad quosnã ptineat hęreditas, hypocritę ꝓpter opa sua magna sibi ꝓmitũt. Et q̃uis interim pater Deꝰ dissimulet hũc lusũ, mater tñ nõ tacet, hoc est scriptura sacra, hoc enim differentiã facit inter filios Abrahę. Primò enim nõ patitur quòd Iudæi meliores se æstimẽt, propter circuncisionẽ & genus Abrahæ, q̃ alii fideles, Huc ptinet Epistola ad Romanos. Secũdò, nõ patitur scriptura, vt iustificatio operibꝰ legis tribuatur, sed palã eũ tribuit fidei, vt in eadẽ Epistola pater. Tertiò, nõ patitur scriptura ꝙ hii qui magna quidem *Ioan.8.* *Galat.4.* *Ro.1.et 2*

operantur sed sine fide, meliores se æstiment hiis qui è magnis peccatis, sola fiducia misericordiæ Dei & pœnitentia ad Deum confugiunt. Hinc enim Christus dicit, Publicanos & peccatores citius ad regnum Dei peruenturos, quàm Pharisæos propria iustitia confidentes. Quartò, nō patitur scriptura quod hii qui ex timore tantum vel spe mercedis, vt mercenarii operantur, meliores se æstiment hiis, qui pauca quidem fecerunt, sed tamen

Matt. 20 magnam habent fidem, ac Dei amorem. Huc pertinet parabola de operariis in vinea. Demum quantumuis pater dissimulet, finaliter tamen sententiam feret, secundū id quod suggerit Sara, id est, sicut sancta scriptura pronunciauit. Ob eam causam Iudæi nunc & è terra sua & è regno Dei eiecti sunt, idem fiet aliis qui sine fide in solis operibus gloriantur. Vel aliter durè acceperūt hoc Apostoli, & inuiti executi sunt, vt Iudæis subtraherent verbum Dei. Vnde Paulus: Continuus est dolor cordi

Rom. 9. meo pro fratribus meis, &c. Tamen quia scriptura hoc volebat audierunt potius vocem scripturæ, quàm carnales affectus. vndè Paulus: vobis oportebat primum an

Acto. 13. nūtiare verbum Dei, sed quia illud repellitis & indignos vos facitis, ecce conuertimur ad gentes.

Surrexit itaque Abraham mane.

Hic iterum habemus exemplum perfectę obedientiæ & abnegatiōis suiipsius, quę duo vel maximè Christianis

Matt. 16 præcipiuntur. Manè surgit ad tam arduum obedientiæ opus, tota nocte tentatus contra carnem & sanguinem, grauissimum illi erat filium dilectū à se repellere, tamen quia Dominus præcipit, non cunctatur, non responsat, non deplorat suam miseriam, vincit naturam, affectus, seipsum: strenuè exequitur Dei mādatum, credit nō posse malè cedere quod deus iussisset. Sciebat Agar dudum simili periculo liberatam. Non dubium quin magnos affectus hic senserit pius, Verum vicit pietas in Deum. Docemur hic omnia postponere Dei voluntati, verbo Dei contra sensum & experientiam adhærere, omnem fiduciam in eum proijcere.

Accepit panem & vtrem aquæ &c.

Ergone homo tam diues, quem Abimelech tantis bonis ho-

nis honorauerat, imo homo tam pius, denique pater filiũ amandans, nihil aliud dat, nisi panem & aquam, nec vel iumentum dat cui ea imponantur, sed imponit in humeros Agar, an non ridicula hæc videntur? Cæterùm tripliciter ad hoc responderi potest. Primò, quod per hoc omnibus probare voluit fidem suã in Deum, vt qui suos abundè reficere potest, etiamsi externa desint.

Secundò, pauca eis dat, qui senserat ipsos proteruos, ne abundantia peiores fierent, & Dei obliuiscerentur. Maluit eos esse pauperes & bonos, quàm diuites & malos. Vtinam & nos hoc exemplũ imitaremur, ne filiis nostris plus æquo indulgeremus, copiamque omnium rerum ministraremus, per hoc enim peiores fiunt. Tertiò, sic accipere possumus, vt per panem & aquã significetur quicquid ad victum & necessitatem hominis pertinet. Sic enim in scriptura panis & aquæ nomine omnia ad victum pertinentia intelliguntur. Sic cum Heliseus suasisset, vt Syris apponeretur panis & aqua, apposita fuit eis magna ciborum præparatio. Sic Christus ingressus est domum pharisæi, vt comederet panem, non solũ panem sed etiam alia. Sic in Abraham dedit Agar panem & aquam, id est, quicquid ad victum & vsum quotidianum necessarium erat. Omnia hæc per seipsum fecit, vnde apparet animi eius fortitudo. Alius enim pater ne aspicere quidem potuisset. Nec dubiũ quin salutaribus monitis ipsos instructos dimiserit. Simili modo & Agar quia pietatem erga Deum in domo Abrahæ didicerat, sine murmure & querelis Dei verbum & sententiam cum tanto suo filiiq; periculo suscepit. Ideo dimitti à domino non potuit, cui se totam commisit.

4. Reg. 6

Luc. 14.

Quæ cum abiisset errabat in solitudine.

Etiam suprà domum Abrahæ egressa statim errasse legitur, hic autem in maiorem tentationem incidit, adeo vt inops consilii nihil aliud nisi mortem filii præ oculis videbat. Errabat enim, defecerat aqua in vtre, nullum videbat fontem, videbat filium siti exhaustũ, ac morti proximum, relinquere eum non poterat, sed nec videre eum morientem poterat. Nihil igitur aliud restabat nisi flere. Abiecit, inquit, puerum, id est, exposuit & reliquit. Non

enim credendum eſt Iſmaelem tam paruum fuiſſe vt eum portare & deinde abiicere potuerit, erat enim tunc ad minus ſedecim annorũ Iſmael. In hāc aũt neceſsitaté eos cadere permiſit Deus, vt vtriuſq; proteruia puniretur, ſicq; admonerétur peccati ſui, agnoſcéteſq; veniá petierant. Ob hanc cauſam etiá nũc Deus aduerſa immittit. Secundò, vt occaſioné haberét Deũ inuocandi, & accepto beneficio memoria Dei diutius in ipſis permaneret. Alioquin ſi nihil tale ipſis accidiſſet, ſtatim Dei obliti fuiſſent, quéadmodum in nobis videmus, vbi oía proſperè ſuccedunt. Tertiò, etiá nos per hoc admonemur, ne domũ Abrahæ relinquamus, id eſt, eccleſiæ vnitaté. Qui ení ꝓpter malitiá ſe ab eccleſia ſeparat, vel tá impiè & ſcandaloſè viuit, quod per ſentétiá excõmunicationis eiicitur, is ſtatim errat, ſitit, pericula incidit, & niſi ſtatim à Deo reducatur, morti æternæ appropinquat. Hæc pericula ſi cupis vitare, vide ne te ſepares ab eccleſia, Itemq; caue ne tua culpa eiiciaris. In eccleſia eſt pax, ſecuritas, cib⁹, pot⁹.

Exaudiuit autem Deus vocem pueri, &c.

Vocem pueri, id eſt, quæ pro puero fiebat, vel ipſam afflictionem pueri. Deus enim non tantùm vocem oris audit. Clamabat innocés ætas, item neceſsitas, item promiſſio Abrahæ facta, deniq; & lachrymæ matris. Hanc vocé pueri audiuit Deus. Vide igitur miſericordiá Dei. Quis ſicut dominus Deus noſter, qui in altis habitat & humilia reſpicit in cœlo & terra? Nihil ei occultum, omnia perluſtrat, omnia cognoſcit. Sub arbuſto & in deſerto expoſitum videt, exaudit, conſolatur. Ex hoc igitur loco videmus, Deum ſuis ſemper adeſſe, clamorem ſuorum in quocunq; tandé ſint loco exaudire, neminem deſpicere. Nam ſerua erat Agar, & tamen mittit ei Angelum. Vide item quid Angelus Agar. Primò, conſolatur eam: Noli timere, inquit, deinde cauſam ſubdit: Exaudiuit enim Deus &c. Meritò gaudet & animũ recipit quem Deus exaudit. Tertiò, iubet puerũ attollere, ſubleuare. Quartò, renouat promiſsioné prius factá, vt magis conſoletur eam, quaſi dicat: Adeo nõ peribit vt etiá in gété magná futurus ſit.

Obſeruandum tamen quod tantum temporales promiſſiones ei dat. Nec mirum, quia extra domum Abrahæ erat,

hæ erat, in qua ſola veræ promiſsiones ſunt.

Aperuitq; oculos eius vidit q; puteum, &c.

Non fuerat cęca ſed inops conſilii, adeo vt etiam propè poſitum fontē nō videret, id quod hominibus nimiū triſtibus accidere ſolet. Imo præſentiſsima quęq; non videmus, niſi Deus aperiat oculos nobis. Aperuit igitur ei oculos, id eſt, indicauit ignoranti, mentē eius excitauit, viā ei oſtendit ad fontē. Sic Deus nedū verbis, ſed & re ipſa nos cōſolatur, ſi in eū ſperauimus & credidérimus.

Fuitq; cum eo & factus eſt iuuenis ſagittarius.

Incertū eſt an Deus cū ipſo fuiſſe dicatur, an mater, vt plurimū tamē de Deo intelligitur, quaſi dicat: hęreditate quidē pulſus erat, ſed nondū omnino à Deo relictus. Potuit dicere: pater meus & mater mea dereliquerūt me: dñs aūt aſſumpſit me. Sagittarius aūt factus dicitur, id eſt, ſeculi negotiis intētus, ac feras perſequēs in ſyluis. Semen enim promiſsionis alius futurus erat, non ipſe. Cæterùm ſicut ipſe feras perſequutus eſt, ſic poſteri eius cœperūt hoīes inſectari, id ꝙ Sarraceni & Turci etiā nunc faciūt. Allegoricè, Cū Iudæi cœpiſſent illudere, imo pſequi verum illud ſemen Abrahę, Chriſtū ſcilicet, eiecti ſunt è domo, ex regno Dei, Eiecti panē nō qualēcunq;, ſed ordeaceū, & vtrē nō vini, ſed aquæ in ſcapula portāt ſub onere curui, quia ſcilicet ſolū literalē legis ſenſum baiulantes, ſub onere importabili anhelāt. Nec vinū cōſolatiōis aut muſtū Euāgelii habent, ſed ſolā inſipidā aquā legis. Deinde ſub arbore iacēt, quia adhuc ſup ipſos manet ſentētia crucis Chriſti, de qua dixerāt: Sāguis ei⁹ ſup nos, & filios noſtros. In deſerto erant & ſitiunt, quia carēt verbo Dei, iuxta illud: famē patiētur vt canes, & circuibunt ciuitatē. Iuxta puteū ſedent ſcripturæ, & aquā cōſolationis nō vidēt. Cum aūt venerit plenitudo gentiū in eccleſiā, tūc & ipſi exaudiētur, aperietq; Deus oculos eorū, auferet velamen de cordibus eorum, & tunc videbunt & ſalui fient.

Pſal. 26.
Actor. 5.
Pſal. 58.
Rom. 11.
2. Cor. 3.

Eodem tempore dixit Abimelech & Phicol.

In hoc textu primò videmus quā beati ſint, qui ſe toti Deo reſignarunt, & dediderunt. Hiis enim oīa bona creſcūt & augeſcūt, etiā ipſis nō ſentiētibus. Nihil minus cogitabat Abrahā, ꝗ quō ad diuitias, honores, &c. pueniret.

Ea ta-

Ea tamen omnia ipsi contingebant, nihil tale cogitanti & quærenti. Hinc est quod Rex ipse ad eum venit, honorat, eius amicitiam ambit. Nos etiam quia nihil nisi diuitias & huiusmodi quærimus, non attendimus vocationẽ nostram. Ideo in omnibus decrescimus, qui se totũ Deo resignat, ipsi cõmittit quæ de se faciat, tantùm voluntati Dei satisfacere studet, hunc Deus non relinquet, sed ad
Prou 3. debitum finem perducet. Hinc Sapiens: In omnibus viis tuis cogita Deum, & ipse diriget gressus tuos. Deinde videbimus hic cur Deus sanctum virum sic peregrinari voluit, nempe vt vbique odorem bonum pietatis & religionis relinqueret post se, quo Dei gloria agnosceretur, & omnes ad pietatem accenderentur. Sic in Geraris non frustra peregrinatus est, nedum enim popularas, sed & regem & aulicos eius ad timorem Dei perduxit. Vide quã parum nos moueamur exemplo iusti huius. Tertiò, videmus hic quanta gratia est cũ Deus mittit verbũ suum & prophetas. Nihil melius cõtingere poterat toti regno huius Abimelech, quàm aduentus & prædicatio Abrahæ. Quos enim Deus seruare vult, hiis mittit verbum suum. Econtra quos perdere vult, aufert ab ipsis verbũ suum.
Isai. 3. Vnde de Hierusalem dicitur: Auferam ab ea seruũ & cõsiliarium, iudicẽ & prophetam, &c. Et dabo pueros prin-
Amos 8. cipes eorũ. Et corruet populus, &c. Sic & Amos: Mittet eis dominus famem, non panis & aquæ, sed verbi Dei, &c. Præterea videmus etiam pium cor in hoc rege, quod nõ contentus reconciliasse sibi Abrahamum, insuper perpetuo fœdere cum illo iungi cupit. Ipsum accedit, non erubescit priuati & peregrini hominis amicitiã petere. Sciebat enim Deum cum ipso esse. Quis enim non cuperet eũ hominem amicum habere, quem Deus amicum habet? Nihil horum nos facimus, sed Dei seruorumq; amicitiam nihil curantes, tantùm ambimus amicitiam mundi & magnatum. Sed quid dicit scriptura: Nolite confidere in principibus, &c. Econtra autem: Beatus populus cuius
Psal. 145 Deus Iacob adiutor eius, &c. Multũ igitur profecit Rex ille ex conuictu Abrahæ.

Dominus tecum est in omnibus quæ agis.

Magna laus & commendatio. In omnibus, inquit, quæ agis.

agis. Vbi procul dubio facile quis discit Abrahamum quæcunque egit, cum Deo ac per Deum cœpisse & perfecisse, nam non est malorũ cooperator Deus. Curemus ergo, vt cogitationes nostræ, consilia, verba, facta deniq; omnia in Deum tendant, & Deus erit etiam nobiscum. Hinc ergo sciuit Abimelech Deum esse cum Abraham, quòd audierat victoriam eius de quatuor regibus. Item orationem pro Sodomitis, benedictioné Melchisedech acceptam, miracula denique circa conceptionem & natiuitatem I[illegible], & quod omnia ei prospere cedebãt, hinc cognouit Dominum cum ipso esse. In duobus igitur rex ille melior nobis est, ideo quod diuitias & alia agnoscit esse dona Dei, quę nos non Deo sed nostrę industrię attribuimus. Secundo, quod non inuidet Abrahamo hãc prosperitatem, non occasiones quærit bona ipsius ad se trahere, quemadmodum tyranni nostri faciunt.

Iura ergo mihi per Deum ne noceas, etc.

Iuramentum, inquit Paulus, inter homines omnis controuersiæ est finis. *Heb. 6.* Quia enim, vt est carnis siue malitia siue infirmitas, omnes mortales fallere, mentiri, atq; labi possunt, deinde, nemo tam circumspectus sit, qui falli & circumueniri aliquãdo non possit, atque adeo nihil certum, nihil firmum in rebus humanis esse comperimus, nõ est vnde nostram proximiq; mentem tranquillabimus & fulciamus, nisi Deũ interponamus: is enim solus pacatam securam mẽtem nostram reddit, si ei fide vera nos astrinxerimus. Qui igitur in rebus serijs aut proximo præstat aut à proximo exigit iuramentum, perinde facit ac si diceret: Vide frater, ambo mortales sumus, mendaces ambo & fallaces. Tu dicis te metuere & colere Deũ, & ego hunc eundem Deum metuo & colo. Astringamus ergo nos sacrosancto iuramento illi summo & æterno, vero, & incõmutabili Deo, qui nec fallit nec fallere potest, vt qui fallat, fidem in Deum fregerit, grauissimæque se pœnæ subiecerit. Vide quanta res sit iuramentum, vide rursum quanta sit pœna dignus qui peierat. Is enim non solum in proximum, sed & in Deũ perfidus est. Non ergo temerè iuramenta sunt exigenda aut præstanda, sed solum in arduis maximisq; causis, dum Dei gloria proximiq; vsus

hoc

hoc postulat. Qui autem sic iurat, hoc est, qui se sic Deo summa fide & religione astringit, Deumque qui veritas est in testem deuocat, potius vitam amittere quàm iuramentum præstare dicitur. Qui auté peierat, extremo supplicio dignus est. Extremũ enim scelus est peierare. Nam peierare aliud nihil est, quàm Deo qui est veritas, & iustitia, ad mendacium & fraudem ac iniustitiam abuti: quo scelere quid grauius aut atrocius excogitari potest.

Exigit igitur Abimelech iuramétum ab Abraham non quod aliàs ei nõ crederet, sed vt stabilius fiat fœdus. Sciebat enim quod Abrahã tanti æstimaret Deũ, quod potius vitam amitteret, quã quòd non seruaret quod per Deum iurasset. Ideo signanter dicit: Per Deũ. Deinde nihil mali ab eo præstari vult, sed tantũ ne noceas mihi, &c. Addit etiã filios & nepotes suos. Cupiebat omnem suam progeniem Abrahamo confœderatam esse. Sic enim sperabat: Nihil mali eis accessurum, si cũ amicis Dei confœderati essent. Res aũt longe in diuersum cessit. Nã semé Abrahæ nullos infestiores hostes habuit, q̃ posteros huius Abimelech, id est, Philistæos. Duas aũt cõditiones in hoc fœdere ponit. Prima, ne noceas mihi. Secũda, facies mecum misericordiã, &c. Addit aũt, & terrę in qua versatus es aduena, quod duplicé emphasim habet, Primò, quasi dicat: Ego qui rex sum, possem te opprimere, fallere, & expellere, at quandoquidé video Deum esse tecũ, facio tecũ licet peregrino fœdus. Secũdo, Tu Abraham peregrinus es in terra mea, quare decet vt pacificè & humaniter viuas inter eos & erga nos quib9 cũ cõuersaris & habitas.

Ego iurabo,] Nihil minus timendum à piis, quàm vt noceant aliis, aut non benefaciant: Itaque Abraham promptissimo animo ea promittit quę alias omni vita sua non adiuratus præstiterat. Pręterea etiã iuramentum non abnuit præstare, quantũuis anabaptistæ hoc illicitũ esse putent, quasi sanctiores sint quàm Abraham, aut magis Dei gloriã quærant, cum nihil aliud quàm libertaté quęrant. Qui enim iuramentum é medio tollere conantur, omné nimirum obediétiam, qua vel magistratibus publicis, vel priuatim proximo deuincti sumus tollunt, vt deinde fróte posita licenter in omne facinus erumpant. Nec eis patroci-

trocinatur illud dictum Christi: Ego autem dico vobis non iurare omnino,&c. Tantum enim vult à quotidianis illis blasphemiis & friuolis iuramentis abstineamus. Ideo signanter addit, neque per cælũ, neq; per terram. Deinde deterret à periurio, à quo facilius cauebit, qui nõ temerè iurat. In causa necessitatis, dum scilicet vel gloria Dei, vel vtilitas proximi hoc exigit, iurare possumus, sed non nisi per nomen Dei, hoc enim ei cedit ad gloriam. Extra hũc casum, sit sermo noster est est, non non. Matth. 5

Et increpauit eum pro puteo, &c.

Proximi iniuriam & damna statim vindicauit Abrahã. In propria autẽ iniuria ne queritur quidem. Deinde potius fert iniuriam, quàm vt pacem perturbet. Quàm dissimiles nos huic viro sumus, quòd proprias iniurias etiam minimas, tam austerè vindicamus, alienas etiam grauissimas dissimulamus. Nondum enim in Euangelio nostro nouo inuenimus, quod Charitas nõ quęrit quæ sua sunt, sed quæ aliorum. Deinde propter leuissimas causas & nõ nunquam falso confictas bella mouemus, pacẽ turbamus, &c. O Euangelica pectora, imo diabolica. Videmus circa hoc verbum, quod pij multa coguntur pati, & quòd raro iniuriæ eorum à magistratibus vindicantur. 1. Cor. 13

Nesciui quis fecerit hanc rem, &c.

Etiam in hoc iustior est nostris principibus, qui sciunt subditos miserè ab Officialibus spoliari, grauari, & tamẽ tacent, &c. Plenam autem & sufficientem excusationẽ facit, quæ tribus partibus perfecta est. Nam in omni quæstione, cum de facto agitur, parum est ad conscientiæ puritatem nescire à quo factum sit, cum scieris an factũ vel quid factum sit, præsertim si tacendo cõsensisse videaris. Cunctis ergo culpæ partibus rationabiliter se exuit, cum ad summum dicit: Et ego non audiui præter hodie.

Percusseruntq; ambo fœdus, &c.

Hinc discamus quatenus & pacta pangere liceat, si scilicet ad pacem, tranquillitatem, ad patriç contra vim defensionem petantur, & societates iungantur. Impia ergo sunt fœdera, quæ ad turbandum pacem, interdum cum incredulis & contra obedientiã, & suos superiores fiunt, quemadmodum fieri videmus, &c.

In He-

In Hebræo habetur exciderunt fœdus, quéadmodum apud nos schædas excindimus. Debent ergo fœdera & pacta publica esse, & omnibus nota. Neque enim ignorante populo pangenda sunt, vtpote quorum maximè intereſt hæc scire. Noſtra tempeſtate conduntur, vt nemo quid de eis nouerit, quã hij qui ingentem pecuniam hinc venantur, & emungunt, qui fœderibus pro verriculis vtuntur, quibus inopinos irretiant, ac piſcentur. Septem autem agnos dat Abraham in teſtimonium, quaſi præcauere volens etiam apud poſteros bella & litigia, tantum amabat pacem.

Plantauit nemus & ibi inuocauit, &c.

Nemus vel potius ortum, vt cõmodius ſuſciperet hoſpites, quibus omnia gratis prębebat. Nihil aliud exigẽs, quàm vt Deum agnoſcerent, & colerent. Denique etiam Deum inuocaſſe dicitur, vbique Deum inuocat, vbique etiam Deum præſentem inuenit. Allegoricè: Sicut Iſaac ſub rege alienigena natus eſt, ſic Chriſtus. Deinde ſicut nato Iſaac fœdus hoc fieri cœptum eſt, ſic per Chriſtum

Ephes. 2. & in ipſo Iudæi & gentes in vnum populum coierunt. Et ſicut Abraham arguit regem pro puteo, ſic Apoſtoli gentium philoſophos, quod ſacram ſcripturam vi accepera͂t, id eſt, non recto ſenſu. ſic Paulus arguit Athenienſes. Septem agnæ, ſeptem ſignifica͂t dona Spiritus ſancti, quæ ſeorſum ſtatuuntur, quia non ſunt in hominis poteſtate. Plantauit nemus, quia fides Abrahæ è Iudęa in gentilitatem plantata multas arbores tulit, tamen diuerſas, diui-

1. Cor. 12 ſiones enim gratiarum ſunt. Sic Iſaias, dabo in ſolitudine

Isa. 41. cedrum & myrtum, &c. In hoc nemore, in hac eccleſia inuocatur nomen domini Dei æterni.

Caput vigeſimumſecundum.

Qvæ poſtquam geſta ſunt, tentauit Deus Abraham, & dixit ad eum, Abraham Abraham. At ille reſpondit, Adſum. Ait ille: Tolle filium tuum vnigenitum quem diligis Iſaac, & vade in terram viſionis: atque ibi offeres eum in holocauſtum ſuper vnum montium quem monſtrauero tibi. Igitur Abraham de nocte conſurgens, ſtrauit aſinum ſuum: ducens ſecum

duos

duos iuuenes, & Isaac filium suum: cumq; conscidißet ligna in holocaustum, abiit ad locum quem præceperat ei Deus. Die autem tertio, eleuatis oculis, vidit locum procul, dixitq; ad pueros suos: Expectate hic cum asino: ego autem & puer illuc vsque properantes, postquam adorauerimus, reuertemur ad vos. Tulit quoque ligna holocausti, & imposuit super Isaac filiũ: ipse verò portabat in manibus ignem & gladium. Cumq; duo pergerent simul, dixit Isaac patri suo: Pater mi. At ille respõdit: Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis & ligna: vbi est victima holocausti? Dixit autem Abraham: Deus prouidebit sibi victimam holocausti, fili mi. Pergebant ergo pariter: & venerunt ad locum quem ostenderat ei Deus, in quo ædificauit altare, & desuper ligna composuit: cumq; alligaßet Isaac filium suum, posuit eum in altare super struem lignorum, Extẽditq; manum, & arripuit gladium, vt immolaret filium suum. Et ecce angelus Domini de cælo clamauit, dicens: Abraham, Abraham. Qui respondit, Adsum. Dixitq; ei, Non extendas manum tuam super puerum, neque facias illi quicquam: nunc cognoui quòd timeas Dominum, & non pepercisti vnigenito filio tuo propter me. Leuauit Abraham oculos suos, viditq; post tergum arietẽ inter vepres hærentem cornibus: quem assumens obtulit holocaustum pro filio. Appellauitq; nomen loci illius, Dominus videt. Vnde vsque hodie dicitur. In monte Dominus videbit. Vocauit autem angelus Domini Abraham secundò de cælo, dicens: per memetipsum iuraui, dicit Dominus: quia fecisti hanc rem, & non pepercisti filio tuo vnigenito propter me, benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli, & velut arenam quæ est in littore maris: poßidebit semen tuum portas inimicorum suorũ, BENEDICENTVR *in semine tuo omnes gentes terræ, quia obedisti voci meæ. Reuersus est Abraham ad pueros suos, abieruntq; Bersabee simul, & habitauit ibi. His itaque gestis nuntiatum est Abrahæ quòd Melcha quoque genuisset filios Nachor fratri suo. His primogenitũ, & Buz fratrem eius, & Camuel patrem Syrorum, & Cased, & Azau, Pheldas, quoque & Iedlaph, ac Bathuel, de quo nata est Rebecca, octo istos genuit Melcha, Nachor fratri Abrahæ. Concubina verò illius, nomine Roma, peperit Tabee & Gaham, & Tabas, & Maacha.*

IN hoc capite habebimus insigne illud opus Abrahæ, quod Paulus præ omnibus aliis commendat: fide, inquit, Abraham obtulit Isaac cum tentaretur, & vnige- *Hebr. 11.*

nitū offerebat, in quo susceperat promissiones. Imo hoc sacrificium Abrahæ, est memorabilissimum opus totius legis veteris, & noui testamenti exemplar clarum certissimumq́;, Scopus fidei, eruditio & regula certa fidelium credendi ac sperandi in Deum & obediendi. Præterea in hoc facto figuratur & verè exprimitur ardentissima Dei

Rom. 8. erga nos charitas, qui proprio filio suo non pepercit, sed pro nobis tradidit illum: Nobis ergo hæc facta sunt in exemplum, vt incredibile nobis haudquaquā esset, quod Deus daret filium suum pro nobis, cum videremus hoc Deum ab Abrahamo exegisse.

Quæ postquam gesta sunt tentauit Deus, &c.

Tota fidelium vita tentatio est, vna enim tribulatione cessante, certò expecta aliam. Vnde Sapiens: Fili accedens

Eccles. 2. ad seruitutem Dei, sta in timore, & præpara animam tuam ad tentationem. Tot tentationes Abraham pertulerat, vsque ad centesimum annum, nec dum tamen finis, imo nunc primum tentatur vel maximè. Quicquid enim hactenus sustinuit, huic tentationi haudquaquam conferri potest. Hic enim ei eripitur, quod omnium maximè amabat. Tam mirabiliter enim Deus ipsum exercet, vt magna quidem concedat, sed iterum aufert. Interim tamen iustus, vbi datur, gratus est, vbi quid aufertur contentus.

Philip. 4 Sciebat enim & abundare & penuriam pati. Signanter autem dicit Moses, quod Deus hoc præcipiendo tentauit eum. Non enim volebat vt occideretur Isaac. Errant igitur qui hoc exemplum imitati sunt filios suos occidendo, cum hoc non præceptum sed tentatio sit. Tentauit autem Abrahamum Deus, non vt exploret ea quæ prius nesciret, sed vt Abrahæ fidem illustriorem faciat, nobisq́ue huiusmodi exempla imitanda proponat. Promissio Abrahæ facta erat hæc: In Isaac vocabitur semen, vt igitur appareat omnibus quàm firmiter Abraham huic promissioni adhęreret, pręcipit ei vt immolet filiū, quod omnino contrarium promissioni erat. Sic Christus Chananeæ mulieri tam durè respondens promissionibus suis

Matt. 15. contrarium agere videbatur. Verùm tentabat eam, volens omnibus eius fidem manifestare. Sic nobis nonnunquam videtur quod Deus misereri nolit: non tamen ob id de

id de promissionibus eius dubitemus, quia tentat nos. Primo igitur verbo credamus & inhæreamus, quantumcunque quæ sequuntur videantur contraria.

Nullis igitur tentationibus, pressuris, aut castigationibus à Deo diuellamur, nam diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum, nihilq; est quod nos à charitate Dei separare possit, sed quanto plus tentat, castigat, repellit Deus, tanto magis ad Deum clamemus, donec exaudiat, scientes eum veracem, fidelem, & misericordem. Tales discipulos quærit Deus, qui verbo suo etiam contra spem in spem credant.

Abraham, Abraham. Qui respondit: Adsum.

Geminatio hæc nominis magnæ erga patriarcham beneuolentiæ signum est. Deinde ex ipsa vocatione monstrare voluit, quod magnum aliquid præcepturus sit. Prę terea ad memoriam reuocare voluit promissioné illam, qua dictum erat, Abraham erit nomen tuum, quia patrem multarum gentium constitui te. Huius admonere voluit, vt subsequenti præcepto magis tentaretur eius fides. Ad vocationem autem domini statim respondet: Adsum paratus ad obediendum. Tali promptitudine animi Deus audiendus est.

Tolle filium tuum vnigenitum. &c.

Singula verba emphasim suam habent, quare ex singulis discamus quomodo affectus fuerit Abraham, tunc enim magnitudinem fidei eius & obedientiæ admirabimur. Sic & in aliis vtile, imò necessarium est considerare, affectus eorum cum quibus Deus operatur. Paulus dicit Christum ideo per omnia voluisse tentari, vt misericors fieret, sciretque aliis compati. Idem nobis vsu venit, qui enim sentit quomodo affectus sit, qui in afflictione, & paupertate est, facilius ei compatietur. Tolle, inquit filium, quasi dicat: Cósueuisti sacrificare pecora, hoc autem facile etiam infidelis quisque facere potest. Maius quiddam exigo, nempe filium tuum. Cuius patris animus non hoc vno verbo concussus esset? Quomodo tremere potuit cor pientissimi patris, cum tam durum pręceptum audiret? Addit secundo, tuum filium, non alicuius de familia, quodlibet verbum de nouo sauciat animam iusti. *Hebr. 2.*

Addit tertio vnicum tuum,iam enim alterum amisisti, cum matre exulem Ismaelem abiecisti,iam vtrisque carebis,vt frustra tot annis credideris,&c. Sic Deus omnia nobis eripit,in quibus hęremus, vult in ipso solo hæreamus. Addit quartò quem diligis:Multas causas habebat,hunc filium specialiter diligendi, tum quia è dilecta vxore & in senectute natus est: tum quia diu expectatus & desideratus: tum quia in ipso complendæ erant promissiones:tum denique quia eiecto Ismaele vnicus erat: & spes omnis posteritatis, hunc igitur qué diligis tolle. Addit quintò proprium,& dulcissimũ patri nomé Isaac, gaudium scilicet & risum parentum,imò totius orbis iucunditatem.

Vade in terram visionis.

In Hebræo habetur in terram Moria, quod alii manifestationem interpretantur, ex eo quòd illic monstratus fuerit aries,& monstrandus erat Christus in eodé loco. Vel interpretatur mons visionis, quòd illic Deus vidit & respexit tentatum Abraham,& postea respexit sacrificium Christi eodem loco factum, vel non procul ab eo loco. Auget etiam hoc tentationis violentiam, poterat iussus ire aliquo,& paratis illic omnibus tunc primũ subitò iubere filium offerri: Sed ad remotam terram mittitur vt tota via cogitationibus discerperetur. Volebat Deus vt inter se certarent affectus & fides, amor Dei & carnis,præsentium gratia & expectatio futurorum.

Et offeres eum ibi in holocaustum, &c.

Etiam hoc auget dolorem,quòd ipsemet propriis manibus iubetur filium immolare,nec simpliciter, sed in holocaustum,vt nihil residui maneat, quo pater tristitiam suam soletur. Vides quanta fuerit tentatio, quàm durum præceptum,facilius tulisset omnium rerum iacturam,imo & mortuus esset. Sic Deus vult vt quę carnaliter amamus
Iohan.12 omnino relinquamus. Sic Christus, qui amat animam suam perdet eam,&c.

Igitur Abraham de mane consurgens.

Igitur inquit,quia Deus præcipiebat,surgit quantumuis reclamarent affectus, imo natura. Deinde non moratur,non cunctatur. Nec dubitat de promissione sibi,
facta,

facta. Deo hoc committit, quomodo promissiones suas impleat. Denique non respõsat Deo, cur tam dura præcipiat. Non allegat naturæ legem contrariam, non rogat pro filio, non deplorat orbitatem suam, non dicit Saræ ne impediat. Paucos de familia accipit, secretum agere volens ne impediretur. Demum etiam ligna conscidit, ne quid impediret obedientiam in incerto loco lignorum defectus. Quis non miretur huius hominis fidem & obedientiam? Tales discipulos quærit Deus, qui nulli rei hæreant aut fidant, quàm ipsi Deo. Charissima quæq; parati sunt Dei gratia relinquere, imo etiam seipsos. Hinc Christus: Qui vult venire post me, abneget semetipsum. Discamus igitur fortiter & alacriter omnia sustinere, quicquid aduersitatis inciderit, alacriter etiam omnibus renunciare. Nihil sit in mundo tam preciosum, tam charum, quod amore Dei non relinquamus. Qui enim amat patrem, aut matrem plusquã Christum, non est Christo dignus. *Matt.16.* *Matt.10.*

Die autem tertio eleuatis oculis vidit locum.

Triduo cruciatur iustus, quoties enim intuebatur filium aut cum ipso loquebatur renouabatur dolor. Magnam itaque pugnam sentit iustus, sed vicit fides naturam & affectus. Vicit amor Dei amorem carnis, vicit expectatio futurorum gratiam præsentium, fortes erãt affectus, sed fortior fides. Eandem pugnam sentiebat in se Christus cum diceret: Pater si possibile est transfer calicem hunc à me, statim tamen hunc affectum naturæ vicit. Non inquit mea, sed tua voluntas fiat. Eandem pugnam carnis & spiritus, fidei seu pietatis in deum & affectuum etiam nos sentimus, cum ad seruitium Dei properamus, vt nosipsos Deo offeramus. Natura enim abhorret, fugit. Non enim sic persistimus vt Abraham, sed cessamus & vincimur. Vincit natura, amor carnis, gratia præsentium, &c. Non sine causa autem Moses etiam hoc addit, quod vidit locum procul, per hoc enim subindicat etiam tunc naturam eius fuisse concussam, vt mirum sit quòd nõ corruerit. Videmus enim in hiis qui ad mortem ducuntur, quantũcunq; fortes videantur, tamẽ conspecto loco supplicij cõtremiscunt. Sic etiã Christus ad *Matt.26.* *Mat.26.*

locum paſsionis veniens cœpit pauere & tædere,&c. Idem nobis cõtingit in morte, quare neceſſe eſt vt nunc nos promiſsionibus diuinis ac ſpe in Deum firmemus.

Manete hic cum aſino, Ego & puer, &c.

Hic rem ipſam aggreditur, & vbi alius exanimatus fuiſſet, ipſe immobilis perſiſtit. Primò igitur pueros manere iuſsit, vult ipſis eſſe occultum, tum vt per omnia declararet, quàm feruenti ſtudio implere cuperet quod dominus imperabat, tum ne pueri ſtudio pietatis conarentur impedire inſtitutum eius, ſi præſentes adeſſent. Nihil autem opus eſt curioſis quæſtionibus inuolui, peccauerit ne Abraham mentiendo, nam cum filiũ immolaturus eſſet, quomodo ambo reuerti poterant. Verùm credebat filium à Deo reſuſcitandum, vt Paulus ait, & ſic cum ipſo reuerſurum. *Hebr. 11.* Deinde ipſum defendere poteſt ſynechdoche, nam ipſe rediturus erat, etiam ſi filiũ occidiſſet. Præterea nec mentitus eſt: Non enim mentitur qui ſecretum aliquod celat, ne quid periculi inde naſcatur. Sic Moſes cum vellet populum ex Aegypto ducere, non dixit Pharaoni: Exibimus nunquam reuerſuri, ſed tantum, *Exod. 3.* iter trium dierum, inquit, ibimus. Non caret autem myſterio, quòd Abraham cũ filio ſolus montem aſcendit ad ſacrificandum, ſerui autem cum aſino remanent. Sic enim ſoli pij & ſpirituales aſcendũt ad Deum, carnales autem aſcendere non poſſunt. Imo opus habẽt vt frenis & verberibus coerceantur. Sic & ſpiritus noſter, interior ſcilicet homo, ad Deum aſcendit, aſinus autem, id eſt, caro reluctatur, vnde & domanda eſt.

Tulitq́; ligna holocauſti & poſuit ſuper Iſaac.

Quo propius accedit ad locum deſtinatũ, eo grauior fit tẽtatio. Quã triſtis proceſsio. Mirũ quod potuerit filiũ taliter incedẽtẽ aſpicere: mirũ quòd potuerit gladiũ portare. Quãtas cogitationes hic habuit, mouebat eum innocentia filii, obedientia eius, & quòd ignorabat ſe ad mortem ire. Reuoluebat pater promiſsionem ſibi factã, mirabatur conſilium Dei, quòd tam apertè promiſsionibus ſuis cõtraueniret. Verè magna tẽtatio, vbi oĩa videntur diuinis promiſsionibus cõtraria, hic pauci perſiſtũt. *Exo. 14.* Quantumuis Iſraelitæ audiſſent ſe liberãdos, tamẽ cũ viderent

derent regem insequi diffidebāt. Quantūuis Christus diceret se saluatorē, tamen cū contrariū appareret, etiā discipuli dubitabant, vt dicerent: Nos sperabamus, &c. Sic nobis continget in morte, quare præmuniamus nos, &c. *Luc. 24.*

Pater mi. Quid vis fili? Ecce, inquit, ignis, &c.

Crescit adhuc & inualescit tentatio iusti ex colloquio filii tā familiari, ad quod liquescere potuit animus patris, nisi tāta fide suffultus esset. Audiebat ab innocente, ignorante, obediente, & dulcissimo filio, se patris nomine cōpellari, quem paulo post interficere cogebatur tam immisericorditer. Quærit autem Isaac vbi sit victima, nihil minus mentē ipsius incidebat, quàm se vnicū filiū à patre occidendum. Vnde appatet quā cautè Abraham omnem dolorem in corde suo presserit, ne per gemitus aut tristitiam foras erumperet.

Deus sibi prouidebit victimam fili mi.

Patet ex hoc verbo quantum eum affecerit Hæc interrogatio filii. Nō tamē puero prodit voluntatē suā, sed solus dolorē portat quādiu potest, nec filiū vult cōtristare, timēs fortasse ne infirmior adhuc fide esset. Signāter aūt hoc verbo sacrificium Christi prævidit, quod solū Deo gratū ex se fuit. Non poterat homo quicquā quod ex se gratū esset offerre. Ideo dñs ipse prouidit sibi holocaustū, hoc ipsum sacrificiū Christi pulchrè in hac historia figuratum est. Senex enim ille Abraham Dei patris persōnā gessit, qui mundū adeo dilexit, vt filiū suū daret, imo filio suo non parceret sed in mortem traderet. Prælusit enim Deus hoc facto, vt olim Christo viuente & pro nobis moriente agnosceremus talia præfigurata fuisse, faciliusq; crederemus. Isaac typus est Christi, qui verū animi gaudiū est, vera pax, vera tranquillitas, etsi autē passio Christi tempestiuè promissa sit, tamen tertio primū die Christus ad locū passionis venit. Non enim tēpore legis naturæ, non tēpore legis scriptæ, sed tēpore gratiæ. In mōte moria, id est, visionis, passus est Christus, quia Deus nullum aliud sacrificium attendit, quàm passionem Christi, hāc aspicit solā. Duo pueri Christū comitati, sed in pede mōtis perstiterūt, quia duo testamēta cōsonātibus prę conijs passionē Christi cōmendant. Verùm in hora illa *Ioan. 3.* *Rom. 8.*

paſsionis voces omnium ſcripturarum conticuerant, ita vt nullus ei perhiberet teſtimonium. Ipſe quoq; tacebat ne paſsionem ſuam impediret. Quòd Iſaac ligna holocauſti portat, expreſſa fuit imago Chriſti crucem ſuam baiulantis. Quòd Abrahã filio ligna imponit, ſignificat quòd Deus pater Chriſto crucem impoſuit, vnde ipſe dicit: Calicem quem dedit mihi pater, nõ vis vt bibam? &c.

Hebr. 9. Per ignem ſpiritus ſanctus intelligitur, per quem & pater filium tradidit, & filius ſeipſum obtulit. Gladius non ſolum mortem, ſed & poteſtatem ſignificat imperialem. Gladium ergo pater ipſe portabat, quia videlicet non in manu Iudæorum, ſed patris fuit gladius, id eſt, poteſtas dominicæ mortis, vbi, quando, vel quo mortis genere deberet interimi. Vnde dicebat ad Pilatum: Non haberes

Ioan. 19. poteſtatẽ aduerſum me vllam, niſi tibi data eſſet deſuper. Poteſt etiã ignis hic & gladius aliter accipi, & vtrunque in bonam & malam partem. Eſt enim ignis quẽ Chri-

Luc. 12. ſtus è cœlo in mundum ſecum detulit, vt in fideliũ mentibus vehementer accenderetur. Eſt & ignis in quem

Mat. 25. deiicientur impii. Eſt & gladius diuini verbi, qui om-

Ephes. 6. nis carnis affectus amputat. Et eſt gladius quo ſecantur hypocritæ. Qui ergo primo igne accenſi, aut gladio diuini verbi accincti non fuerint, experientur aliquando, ignem illum nunquam extinguendum, ferientur gladio diuinæ vltionis. Summa, habet Deus pater in manu ignem & gladium, qui ingratus erit paſsioni Chriſti vtrumque in ſe experietur.

Aedificauit Abraham altare, &c.

Sicut ſuperius fermè quodlibet verbum indicauit tentationis grauitatem: Sic hic quodlibet verbum fortitudinem animi & fidei in patriarcha oſtendit. Ipſe (inquit) ædificauit, ipſe impoſuit ligna, ipſe filium ligauit, ipſe filium altari impoſuit: quanta fortitudo animi. Nos cum tantummodo legimus vel audimus hæc contremiſcit natura, quanto magis animum paternum hæc mouebant. Verùm vicit fides & pietas in Deum. Deinde quid hic potuit cogitare Iſaac, videns ſe ad mortem peti? Si non fuiſſet in timore Dei educatus, ſtatim incepiſſet lamenta-

Iudic. 11. ri, ſicut filia Ieptæ, cœpiſſet patrẽ imo Deum crudelitatis ar-

tis arguere, fugere, patrique se opponere. Secundum Iosephum enim erat triginta trium annorum, sicq; fortior patre. Ad minus fuit in adulta ætate, cum potuerit ligna holocausti ad monté portare. Verùm quia in timore Dei educatus erat, non reluctatur patri. tantum prodest à iuuentute filios ad Dei timorem educare. Nec dubium quin Abraham prius ei efficacissimis verbis prædicauerit Dei bonitatem, promissiones, quibus filium ad sustinendam morté animaret. Sicut igitur in patre videmus animi fortitudinem, sic in filio fortem patientiam. Obediebat Abraham Deo, obediebat Isaac patri. Vterq; timebat Deum. Quid igitur mirum, quòd Deus tam benignè eos tractauit? Nos conquerimur quòd nobis non tanta præstat: nec attendimus quàm dissimiles sumus Abrahamo, &c. Stude imitari patres hos: & tu quoq; experieris benignitatem Dei.

Extendit manum suam & arripuit gladium.

Exprimit affectus iusti, quasi diceret, tãta erat vis fidei, vt affectibus imperaret, & manũ cogeret contra affectus facere qđ nollent, vide q̃ sit res fortissima pietas in Deũ: Nonne debebant concidere brachia? nonne cadere debuit exanimis Abrahã? Si cecidisset puer Isaac, profectò pater manum citissimè supposuisset. Sed iam manum mittit ad gladium vt filium trucidet. Alius causam rei ignorans iudicasset hoc factum, insaniam, alius parricidiũ, nos autem scimus Deo gratissimum opus fuisse, quia ex magna in Deum pietate. Hic igitur discamus fidem, obedientiam, patientiam, discamus patienter ferre immaturam mortem filiorum, discamus filios nostros Deo offerre: non occidendo, sed in timore Dei educádo, & piis exercitiis mancipando, hoc enim Deo gratissimum sacrificium est.

Et ecce angelus de cælo clamauit, &c.

Deuicta magnanimiter tentatione adeptaque victoria carnis, docuit Deus se non tam pueri occisionem statuisse, quàm fidei ac obedientiæ exéplum posteris Abrahæ, Atq; adeo toti mundo, vt discant quanti æstimandus sit Deus, & quantum deo placeat obedientia. Deinde cum Abraham fecisset quod suum erat, nunc adest Deus &

etiam quod suum est facit, apparet, consolatur, adiuuat. Videmus hic quàm prope sit dominus his qui recto sunt corde. Credere poterat Abraham Deum longe abesse: & ecce in proximo adest, vidit, audit omnia. Videmus Deum tum primò se ostendere, cum tētariò ad summum peruenit, ac omnia desperata videntur. Sic Isaacum non liberat, nisi cum iam gladium vibraret pater, quæ omnia ad cōsolationem nostram scripta sunt. Certissimū enim

1. Cor. 10 & indubitatum est, Deum in tentationibus facere exitum, quibus verò viis aut mediis id demum incertum est nobis. Vnde non temerè aut leuiter veteribus dictum est: Deus è machina, quòd scilicet improuiso auxilio Deus est, accurrit & seruat. Curemus vt in vocatione nostra pergamus, Deus non deerit. E cœlo autem clamauit angelus, ne à satana virtutis & fidei inimico prohibitus crederetur, quasi satanas postea contra verbum Dei per-

Ierem. 7. suasit hominibus, vt filios suos immolarent in valle Gehennon. Repetitio nominis Abraham bonum nūcium & fauorem Dei significat, & vt iam paratam patris dextram in necem filii impetu vocis cohiberet. Iterum autem iustus respondet adsum, quicquid enim ei præcipit, siue lætum, siue triste, semper paratus est exequi. Potuit

Psal. 107 dicere: Paratum cor meum Deus paratum cor meum.

Ne extendas manum tuam super puerum, &c.

Non (inquit) hoc præcepi vt opus fiat, neque occidi volens filium tuum, sed obedientiam tuam omnibus notam facere. Tripliciter hic fidem & obedientiā Abrahæ remunerat. Primò, filiū à morte liberādo. Secūdò, ipsum Abrahamū cōmendādo. Tertiò, promissiones repetēdo & confirmando. Sic semper Deus nihil bonū irremune-

Su. ca. 15 ratū relinqt. Vnde & supra dixit: Ego merces tua magna.

Nunc cognoui quòd timeas dominum, &c.

Hic Abrahę factum cōmendat. Primò, ne quis impium opus & parricidiū magis iudicaret q̄ pietatem. Secundò, vt videamus non solum fidem à Deo cōmendari, sed etiā opera ex fide. Sciebat Deus etiam antea fidem & pietatē Abrahæ: dicit tamen se nūc demū cognouisse, hoc est notum omnibus fecisse ipsius pietatem. Est igitur sensus, quasi dicat: Iam nedū mihi, sed & omni mundo satis per-

specta

ſpecta & explorata eſt tua fides, non ſolum enim patriam tuam relinquere, ſed etiam filium tuum vnigenitũ ad imperium meum iugulare paratus fuiſti. Tales cultores ego agnoſco & probo, qui me nihil ducũt antiquius, qui propter me omnibus renuntiant, omnia negligunt. Sic Chriſtus: Niſi quis renuntiauerit omnibus quę poſsidet, non poteſt meus eſſe diſcipulus. Diſcimus hic pietatẽ, fidem ac timorem Dei, tunc demum vera eſſe, cum hos fructus producunt: nempe ſi in omnibus etiam grauiſsimis Deo obediamus, ſi nos ipſos & omnia noſtra Deo offeramus, denique ſi nihil tam charum eſt in mũdo, quod non ſtatim Deo iubente parati ſimus relinquere, hoc eſt Deum metuere, nihil Deo præponere. Nihil tam charum, nihil tam precioſum exiſtimare vt Deum. Quantum nos adhuc diſcedamus ab hoc vero timore Dei, etiam leuiſsima quæque lucra Deo præponimus, graueque eſt quicquid propter Deum expendere debemus, etiam ſi leue ſit. Curandum igitur eſt vt etiam nos aliquando ab eo audiamus: Nunc cognoui quia tu times Deũ, quia non pepercisti filio, filiæ, vxori, pecuniæ, honoribus, famæ, propter me, ſed omnia contempſiſti propter me. Felix qui hoc auditurus eſt. Is enim verè ac certò centuplum accipiet, & vitam æternam poſsidebit. Verùm quàm pauci inueniuntur tales, &c. *Luc. 14.* *Matt. 19.*

Viditq; poſt tergum arietem hærentem, &c.

Verè igitur ſuprà dixit: Dominus ſibi prouidebit victimam fili mi. Magnum autem myſterium in hoc ariete præoſtenſum eſt. Primo enim, quod Aries non Iſaac immolatur, oſtenſum eſt Iſaacum non eſſe verum illud ſacrificium quod Deum placaret. Secundò, quod Aries retro hæret, ſignabat quòd poſt multa tempora venturus eſſet qui ſuo ſanguine Deum placaret. Aries hic Chriſtum ſignificat, maximè humanitatem eius, vnde Ioannes de Chriſto: Ecce agnus Dei. Congruè autem aries inter vepres hærebat, quia tota vita Chriſti inter ſpinas tentationis fuit. Vterque igitur tam Iſaac quàm Aries præfigurauit Chriſtum, ſed diſsimiliter: Iſaac diuinam in Chriſto naturam, Aries humanam. Ideo Iſaac quidem ad montem ducitur, ſed non moritur, quia diuinitas non *Su. c. eo.* *Iohan. 1.*

potuit

potuit pati aut mori, sed solus aries, id est, humanitas. Vel aliter, Isaac significat animam Christi. Sicut enim Isaac obedientia, voluntate, angustia, & plusquam doloribus mortis obrutus euasit. Sic Christi anima dolores & angores omnes, quos spiritus bonus sustinere potest, sustinuit pro nobis. Aries autem combustus, est corpus domini crucifixum, mortuum sepultum, ambo Deo oblata & accepta Deo, pro omnium hominum salute. Ipse igitur
Zach. 13. Deus pater filium suum ad mortem duxit, ligauit, gladiũ exemit, quemadmodum in propheta dicit: framea suscitare super pastorem meum, &c. Percute pastorem, &c. Nisi enim Deus filium tradidisset, nihil ei homines fa-
Matt. 26. cere potuissent: Vnde & Christus iturus ad passionem hunc locum allegauit.

Vocauitque nomen loci, Dominus videt.

Non tantum ob id mõtem hunc sic vocauit quòd dominus eum illic vidisset, sed quòd in tam ardua & desperata re tã repẽte adfuisset, & è periculo liberasset. Quòd etiam ex responsione Abrahæ ad filium clarum fit, cum dicit: Dominus prouidebit de victima. hinc nimirum factum est, vt deinde in quacunque ardua & dubia re fideles dicerent: Dominus videbit, hoc est exitum ostendet, liberabit, aderit, opem ostendet. Nam tentatio dicenda non est, vbi tutè exitum & opem noueris. At quum sic vndique te premunt mala, vbi sic circumuallatus es, vt exitus nullus nec sperandus sit, nullum auxilium, vbi homines etiam si vellent opem ferre non possent, hæc demum est tentatio. Vbi solius Dei auxilium & imploras & expectas, Tum repente aderit Dominus, & è mediis procellis educet in se sperantes. Deinde Abraham etiam ideo loco huic nomen dedit, vt memoria huius facti ad posteros veniret. Prætereà etiam ad figuram Christi, ibidem enim Christus & ex eodem loco, mundo saluator
Thren. 4 & legislator apparuit. Et visus est detentus vepribus, captus est peccatis nostris, & ad mortem ductus.

Vocauit autem angelus Domini secundo de cælo.

Sufficiebat iusto pro pręmio quod viuus rediret Isaac, & quòd meritus erat illam eximiam laudem, nẽpe quod dicit: Nunc cognoui quod times Deũ, &c. Nondum tamen

men contentus est Deus sic remunerasse obedientiam eius, sed maiora addit, vt vel hinc discamus certa nobis pręmia, imo multiplicia reposita esse, si vocationi nostrę inseruiamus. Hinc Paulus: bonum certamen certaui, nam in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ. Iterum igitur vel secũdò vocatur Abraham è cęlo, quasi dicat Angelus, nondum totum præmium accepisti, sed magna illa obedientia tua magna meretur præmia. Deinde secundò vocat eum, ad ostendendum quòd quæ hic promittũtur, non ad primos, id est, carnales filios ipsius pertinent, sed ad secundos, id est, spirituales. Vtrisq; filiis Abrahæ, carnalibus scilicet & spiritualibus, Deus promissiones fecit, sed dissimiliter. Et sicut supra carnalium promissiones habuimus, sic hic habemus promissiones spiritualibus filiis pertinentes. Cæterum quia filij Abrahæ secundum fidem, multo nobiliores sunt filiis secundum carnem tantùm, ideo hæc secunda promissio multo maior est quàm prior. Carnalibus filiis promissa est terra Chanaan, ea promissio facta est in terra, hæc autem è cælo, illa sermone tantum, hæc autem interposito iuramento. In priori nulla additur causa, hic autem additur: Quia (inquit) hoc fecisti, &c. Prima promissio facta est tempore circuncisionis datæ, hæc secũda facta est tẽpore oblationis Isaac. Vnde palam est quòd prior pertinet ad populum legis, hæc ad eos qui sanguine Christi redempti sunt. Quantumuis igitur promissio hæc tardè venerit, tamen multò maior, firmior, & latior est quàm prima. Sic enim etiam aliàs vt plurimum secunda præstant primis, Sic Isaac tardè quidem nascitur, sed tamen præfertur Ismaeli. Idem videmus in Iacob & Esau, Ephraim & Manasse. Sic Deutronomium clarius est primæ dationi legis. Sic Euangelium pręfertur legi, ecclesia synagogę, Christus Adamo, futura vita præsenti. Sic Paulus dicit: Non prius quod spiciale sed quod animale. Cæterum quòd promissio ad fideles pertinens tempore immolationis Isaac promulgatur, signum est, quòd omnes promissiones quas habemus, nõ aliunde robur habent, quàm è passione Christi. Demùm quod promissiones renouantur, Docere nos debet, vt iam nos renouemur, &c.

2. Tim. 4.

1. Cor. 15.

Per

Per memetipsum iuraui dicit Dominus, &c.

Multas hactenus Dei promisſiones audiuimus, nuſquam tamen addidit iuramentum quàm hic. Nunquid igitur Abraham, qui hactenus ſemper ob fidem commendatus eſt, hic primum diffidere incipit, vt opus ſit Deo iurare? Nequaquam. Non diffidit Abraham, ſed verè & conſtanter credit, nec propter ſe iurauit Deus, quaſi ipſi non ſit fidendum, aut quaſi fallere ſoleat, ſed ideo iurat, vt oſtendat quanto amore humanum genus complectatur, idcirco eo more & amore ſe Abrahamo cōglutinat, atque familiarem ſe facit, quo ſolent homines erga eos

Heb.6. quos certos reddere volunt. Nam quandoquidem inter homines omnis controuerſiæ finis eſt iuramentum. Voluit Deus cum Abrahamo humano more agere. Nemo igitur iam dicat: Non auſim accedere ad Deum, cum videat illum patribus tam familiarem fuiſſe, vt ſe etiam humano more iuramento ſe eis aſtringeret. Deinde etiam ideo tempore immolationis Iſaac, & in promisſione, ad fideles pertinentes, Deus iurat, vt oſtendat certisſima eſſe quæ per Chriſtum nobis promiſit, quaſi dicat: Si quid vnquam certi fuit in verbis meis, certisſima ſunt quæ per Chriſtum promitto vobis. Hinc Paulus, in

2.Cor.1. Chriſto, inquit, ſunt omnes promisſiones amen & etiam: hinc & in Pſalm. Iurauit, inquit, dominus & non

Pſal.109 pœnitebit eum, &c. Et iterum: Semel iuraui in ſancto

Pſal. 88. meo, ſi Dauid mentiar, &c. Hoc Dei iuramentum circa

Heb.6. Chriſtum Paulus magni pendit, cum dicit: Quoniam neminem habuit Deus maiorem per quem iuraret, iurauit per ſeipſum, vt abundantius oſtenderet immobilitatem conſilij ſui, &c.

Quia feciſti hanc rem, & non peperciſti, &c.

Non occiderat filium, nec ſecutum erat opus, quia tamen animus Abrahæ promptus fuerat, ipſa voluntas reputatur pro opere. Hic igitur videmus voluntatem & affectum pro opere à Deo reputari, ſiue bonus ſit affectus

Matt.5. ſiue malus. Hinc Chriſtus: Si quis viderit mulierem ad concupiſcendum eam, iam mœchatus eſt eam in corde. Obſerua etiam hic, quòd non dicit quia credidiſti, ſed quia hoc feciſti, vt ſciamus Deum etiam opera attendere

dere. Atque ex hoc loco Iacobus in sua Epistola colligit, contra eos qui fidei plus æquo tribuebant, Abraham iustificatum fuisse ex factis, non ex fide tantum. Quod dictum quidem putant pugnare cum doctrina Pauli, qui docet Abrahamum ex fide iustificatum, vnde & epistolam Iacobi damnant. *Iac.2.* *Rom.4.*

Atqui si sensum suum ad scripturas, non scripturas ad sensum suum aptarent, viderent hoc non inter se pugnare. Non enim ita loquitur Paulus de fide vt opera excludat, sed vtraque fidem & opera coniungit. Non enim de quacunque fide loquitur Paulus, sed de ea quæ per dilectionem operatur. Nec Iacobus de quibuscunque operibus loquitur, sed de iis quæ ex fide procedunt.

Iustificat igitur fides secundum Paulum, si per dilectionem operetur: iustificant opera secundum Iacobum, si ex fide procedant, tunc enim verè iustificatum hominem ostendunt & probant.

Si igitur veram fidem habent, non qui verbis hoc iactitant, qui ore multa egregiè de Deo tonant, sed qui metu Dei quæ Deo placent sequuntur, quæ vetat Deus fugiunt, propter Deum omnia facere & ferre parati sunt.

Benedicens benedicam te.

Hoc in genere dicit, postea specialiter exprimit quæ sint illæ benedictiones. Cæterùm non sic intelligendum, quòd tantùm verbis ipsum benedicere velit, hoc est, bene precari: Sed Dei benedicere est benefacere. Est igitur sensus verbi, quia hoc fecisti, &c. Benedicam te: non solum, inquit, filium tuum recipies, sed etiam me pariter tibi patrem senties semper: pro qua quoque obedientia ego vicissim tibi dabo filium meum, & non parcam. Sicut enim te melior sum, sic tibi amoris signum maius præstabo.

Multiplicabo semen tuum sicut stellas, &c.

Iudæi has promissiones ad se solos trahunt: Verum supra satis ostensum est quid hiis promissum sit, nempe qui non tantum ex carne vel secundum carnem filij Abrahæ sunt. Hæ igitur promissiones ad veros filios Abrahæ perti- *Sup.ca.15*

pertinent, Ad Christum scilicet & credentes. Pulchrè autem nõ dicit multiplicabo posteros, vel filium tuum, sed semen tuum, alludens scilicet ad primam promissionem

Gene.3. de semine mulieris, quod semen Christus est: cui promit

Isai.53. titur multiplicatio. Sic enim in Isaia dicitur: Si posuerit pro peccato animam suam, videbit semen longæuũ, &c. Et in Psal. Postula à me & dabo tibi gentes hæreditatem tuam, &c. De hac veri seminis multiplicatione etiam ali-

Isai. 60. bi Isaias loquitur: Filij, inquit, tui de longe venient, &c. & per totum cap. Signanter autem addit: Sicut stellas cæli & sicut arenam maris. quo significatur, quòd etiam de Christo gloriantes, nõ omnes boni sint, quemadmodum & Christus ipse ostendit in parabola de semine & ziza-

Matt.13. nia. Item de sagena, item de eo qui nõ habuit vestem nu-

Mat.22. ptialem. Imo expressis verbis dixit, multos vocatos esse sed paucos electos. Felices igitur qui stellis cæli comparantur, infelicissimi qui in ecclesia nihil aliud sunt, quàm arena nullis vsibus apta.

Possidebit semen tuum portas inimicorum, &c.

Per portas significantur ipsæ ciuitates, imo omnis potestas, vis, fortitudo, ob id quod vt plurimum vrbes munitissimæ sunt circum portas. Hoc autem in Christo pri

Iohan.12 mum impletum est, qui verum semen Abrahæ est. Ipse enim principem mũdi eiecit, mortem destruxit, infernum

Osee. 13. spoliauit: Vnde in propheta. Ero mors tua ô mors, ero morsus tuus inferne. Possidebit igitur semen tuum, &c. quasi dicat: fidei veritas destruet mendacium, veri Dei cultus idololatriam, omnisq; altitudo humiliabit se Christo semini tuo. Præualebit verbum eius vniuersæ sapien-

Luc. 21. tiæ, potentiæ, malitiæ huius mũdi. Vnde Christus: Dabo vobis os & sapientiam cui non poterunt resistere omnes aduersarij vestri. Christus lapis angularis quẽ ædificantes reprobarunt quidem, sed impedire non potuerunt. Deinde hoc verbũ etiam in fidelibus impletur, qui quo-

Matth.6. tidie de diabolo & mũdo triumphant. Vnde & Christus etiam de ecclesia dicit: Portæ inferorum nõ præualebũt

Luc.10. aduersus eam, &c. Et iterum: Dedi vobis potestatem calcandi super serpentes, & super omnem virtutem inimici.

Quia autem inimicos nos habere ostendit, admonet vt cauti

vt cauti simus & vigilemus.

In semine tuo benedicentur omnes, &c.

Hoc verbũ alio referri non potest quàm ad Christum, quantumuis Iudæi reclament, sed conuincit eos res ipsa, quia omnia hæc in Christo impleta perfectissimè sunt. Aut dent aliũ in quo hæc sic impleta sint. Cęterùm quòd dicit in semine tuo, Paulus pulchrè expendit: Non (inquit) dicit in seminibus, quasi in multis, sed in semine tuo, quasi vno, vnus est enim in quo hæc implentur Christus. *Galat.3.* In hoc igitur verbo comprehenditur, quicquid nos de Christo credimus, nempe quòd verus homo sit, quòd ex virgine natus, quod mori debuit, quod resurgere, & ad dexterã Dei sublimari, imo quòd etiam Deus sit. Quia enim semen Abrahæ dicitur, certum est quòd homo est. Secundò, quod hoc semen alios benedicit, signum est, quòd ipsum maledicto non subiacuit. Atqui maledicto subiacet quicquid ex carne natum est, ex viro scilicet & muliere. Consequitur igitur quòd ex fœmina quidem debuit nasci vt verus homo esset, sed ex virgine vt non incurreret maledictum. Tertiò, quia omnes benedicere debet, necesse fuit eum in aliam ex mortalibus transire vitam, qua possit omnibus vbique adesse. Moritur ergo vt homo, resurgit autem & ascendit vt omnia adimpleat. *Ephes.4.* Quartò, si omnes per ipsum benedicendi sunt, necesse est vt etiam Deus sit, quomodo enim purus homo vitam, iustitiam, salutem dare possit? Deinde in hoc vno verbo omnis Christiana doctrina compræhenditur, quę in duobus consistit. Primò, quod ex nobis maledicti & damnati sumus. Secundò, quòd per Christum omnia bona percipimus. Sic igitur etiam veteribus Christus prædicatus est. Sic per Christum benedictio nobis promissa est, antequam nasceretur. Item antequam lex daretur, vt sciamus esse gratiã nõ meritum. Obserua quod omnes quidem dicit benedicendos, sed non dicit quòd benedictionem accepturi sint. Omnibus prædicatum est Euangelium, sed non omnes obedierunt & obediunt.

Quia obedisti voci meæ, &c.

Hoc repetit maximè propter Christum, qui propterea quòd se humiliauit, vsque ad mortem crucis, exaltauit eũ

Philip. 2. Deus, & dedit illi nomen super omne nomen, &c.

Reuersusque est Abraham ad pueros.

Epilogus est: Nihil autem se iactat Abraham de tanto opere vel promissionibus, simpliciter arbitrabatur se id Luc. 17. egisse quod Domino debebat, tanquam seruus inutilis, parcissimus verbis, sed factis & consilus sapientissimus, deinde Christi resurrectio hic significatur. Rediit Isaac viuus ariete occiso, reuertitur Christus ad discipulos post mortem corporis, sed eo iam rediuiuo. In fine capitis Rebeccæ mentionem inducit, vt ad futurã historiam viam paret.

Caput vigesimum tertium.

VIXIT autem Sara centum vigintiseptem annis Et mortua est in ciuitate Arbee, quæ est Hebron, in terra Chanaan: venitque Abraham vt plangeret & fleret eam. Cumq; surrexisset ab officio funeris, locutus est ad filios Heth, dicens: Aduena sum & peregrinus apud vos: date mihi ius sepulchri vobiscum, vt sepeliam mortuum meum. Responderunt filii Heth, dicentes: Audi nos Domine, princeps Dei es apud nos: in electis sepulchris nostris sepeli mortuum tuum, nullusq; te prohibere poterit quin in monumento eius sepelias mortuum tuum. Surrexit Abraham, & adorauit populum terræ, filios videlicet Heth: dixitq; ad eos: Si placet animæ vestræ vt sepeliam mortuũ meum, audite me, & intercedite pro me apud Ephron filium Seor: vt det mihi speluncam duplicem quã habet in extrema parte agri sui, pecunia digna tradat eam mihi coram vobis in possessionem sepulchri. Habitabat autem Ephron in medio filiorum Heth. Responditque Ephron ad Abraham cunctis audientibus qui ingrediebantur portam ciuitatis illius, dicens: Nequaquam ita fiet, Domine mi, sed tu magis ausculta quod loquor: Agrum trado tibi, & speluncam quæ in eo est, præsentibus filiis populi mei, sepeli mortuum tuum. Adorauit Abraham coram populo terræ. Et locutus est ad Ephron circunstante plebe eius. Quæso, vt audias me: Dabo pecuniam pro agro. suscipe eam, & sic sepeliam mortuum tuum in agro. Responditque Ephron: Domine mi, audi me: Terra quam postulas, quadringentos siclos argẽti valet: istud est pretium inter me & te: sed quantum est hoc? sepeli mortuum tuum. Quod cùm audisset Abraham,

ham, appendit pecuniam quam Ephron postulauerat, audientibus filiis Heth, quadringentos siclos argenti probatæ monetæ publicæ. Confirmatusque est ager quondam Ephronis, in quo erat spelunca duplex respiciens Mambre: tam ipse quàm spelunca, & omnes arbores eius in cunctis terminis eius per circuitum, Abrahæ in possessionem, videntibus filiis Heth, & cunctis qui intrabāt portam ciuitatis illius. Atque ita sepeliuit Abraham Saram vxorem suam in spelunca agri duplici, quæ respiciebat Mambre, hæc est Hebron in terra Chanaan. Et confirmatus est ager & antrum, quod erat in eo, Abrahæ in possessionem monumenti à filiis Heth.

IN hoc capite mors Saræ describitur ipsiusq; sepultura: Ea autē mors Saræ finem legis & prophetarū significat, Lex, inquit, & prophetæ vsq; ad Ioannem. Et Apostolus: Finis, inquit, legis Christus, quia videlicet illo dato prophetiæ siue promissiones quæ per Saram significātur conticuerunt. Vnde notandum quòd Deus Abrahæ vlterius apparuisse non legitur: Nec verò damnosus est iste finis legis & prophetarum, sicut nec mala fuit mors Saræ. Mors quidem iustorū preciosa & optabilis requies. Admonet nos caput hoc tribulationis iustorum, quam subinde renouat Deus. Admonet item mortis, quæ finis est omnium in hac vita. Admonet sepulturæ qua semel cum Christo consepulti, subinde debemus carnem mortificare, vt nouus homo resurgat. *Matt. 11. Rom. 10. Psal. 115. Rom. 6.*

Vixit autem Sara centum viginti septem, &c.

Vixit religiosa mater 36. annis post natum Isaac, nonagesimo siquidem matris anno natus est, nec alterius fœminæ tāta ætas legitur in canone. Voluit eā Deus aliquādiu cum filio gaudere, quē tot annis, tanto desiderio, verbis Dei credula sperauerat. Sic Deus suos etiam hic nōdi mittit sine consolatione. Mortua est autē in Hebron, quæ ciuitas Arbee, id est, quatuor, dicitur: quòd in quatuor partes diuisa erat, vel quòd illic fuissent quatuor gigātes, vel potius quod ibi sepulti fuerint quatuor nominati patriarchæ, videlicet maximus Adā, sicut in libro Iosue legitur, & deinde Abraham, Isaac, & Iacob, vt inferius dicetur. *Gene. 17 Iosue. 14*

Venitq; Abraham vt plangeret, &c.

Videmus hoc loco etiam sanctissimos fleuisse suos mortuos. Non enim expellit Deus naturam, sed fide vult eam cohibere. Non dubitabat Abraham vxorem viuentem cum Deo esse, sciebat voluntatem Dei esse, nec irascitur contra Deum, & tamen ex charitate flet. Sic pius homo, fide soli Deo adhęret, charitate tamen proximo alligatus

Rom. 12. est, ideo gaudet cum gaudētibus, flet cum flētibus. Quod ad fidem attinet, solum Deum intuetur, per charitatem autem omnium incommoda vt sua ducit. Licet igitur amicos lugere, dummodo non nimium, ne videamur spem resurrectionis non habere, vel contra Dei opera & ordina-

1. Thess.4 tionem irasci. Imo sic viuendum est Christiano, vt pro officiis & beneficiis à multis desideretur, sic vixit Tabi-

Actor. 9. tha illa quam Petrus suscitauit.

Aduena sum apud vos. Date mihi ius.

Formula hæc est communis iuris, vt peregrini vel aduenæ, ius emendi quæ volunt non habeant, nisi id à præfectis reipub. impetrent. Atque hoc facit hic Abraham. Sensus verbi est: Sicut cohabitatorem sustinetis, ita mortuum nō abiiciatis. Iam præmisi vxorem, ipse propediem secuturus. Aduena enim sum & peregrinus, nec verba

Actor .7 hæc sunt, sed veritas ipsa. Hactenus tam Deo charus homo, ne passum quidem pedis in terra propriū habuit, nec quæsiuit. Imo ne nunc quidem quæsiturus nisi opus haberet sepulchro, huiusmodi opibus cōtentus erat, quę transferri facilè poterant, si ad mandatum domini alio transeundum erat. Arguitur hic auaritia nostra, cui nihil satis est. Agrum agro copulamus & domum domui, quasi

Isai. 5. nos soli & semper in terra habitare possimus. Nec interim cogitamus hic non esse patriam nostram, sed alibi. Quid autem prodest in aliena regione satis habere, & in propria patria egere, maxime cum in aliena regione hac tantùm pernoctemus, in propria autem perpetuò mansuri simus? Nec cogitamus quòd nimia cupiditate habendi augmentamus ignem auaritiæ. Nec cogitamus quòd relinquere nos oportet præsentia, nec quòd amor terrenorum ad peccata multa occasionem nobis præstat. Denique nec diuitem illum attendimus, cui dictum est: Stul-

Luc. 12. te hac nocte tollent animam tuam, & quæ parasti cuius

erunt?

erunt? Cæterùm quòd Moses pluribus hic verbis vtitur circa emptionem sepulchri, cum potuisset breuiter omnia dicere, nec multum referat quid ab vtraque parte dictum sit in hoc tractatu. Non tamē sine causa Moses tam diligenter hæc descripsit. Ostendere enim voluit Abrahamum nō solum coram Deo iustum fuisse, sed etiam coram hominibus, in conuictu, in tractatibus, in omni denique vita. Ne quis putet satis esse si in Deum pius sit, quémadmodum plerique nihil curant quomodo cum proximo viuant, quasi hoc nihil ad pietatem attineat. Ob eam causam Moses tam diligenter hæc scripsit. Primò enim Abraham hoc loco ostendit charitatem suam erga vxorem, quam non solum viuam sed etiam defunctam amauit. Charitas enim Christianorum nō finitur morte, imo fortior est morte: Charitas, inquit, nunquam excidet. Vide igitur quomodo Abraham charitatem suam ostendat erga vxorem defunctam. Primò, non abiicit aut contemnit mortuam, sed tum primum ostendit quāti eam faciat. Longe aliter faciunt mundani, qui tam diu amant, quamdiu commoda sentiunt, postea negligunt. Secundo, non comburit corpus Saræ, sicut gentiles solebant, sed sepelire vult, nimirum edoctus ex eo, quod dominus dixit: Terra es & in terram reuerteris. Sic enim pius ille omnia secundum verbum Dei agebat. Tertio, non qualitercunque eam sepelire vult, sed in loco honesto, separatim à gentibus. Quid, inquis, opus erat tanta cura sepulchrum quærere, cum nihil referat vbi corpus putrescat. Domini est terra & plenitudo eius. Verum quidem est quòd animæ nihil obest quo loco corpus putrescat, Attamen cum etiam corpora nostra templa sunt spiritus sancti, habeantque promissionem futuræ resurrectionis, imo Christo incorporata sint per manducationem corporis & sanguinis Christi, congruum est vt corpora Christianorum honesto loco & separatim ab aliis sepeliantur, per hoc enim confitemur fidem nostram. Itemque fatemur quantam gloriā etiām corporibus nostris cōferre velit Deus, fatemur nos ab incredulis separatos. Hinc est quòd omnes tam veteres quàm nostri diligenter fidelium corpora sepelierunt, &c. Deinde videmus in hoc capite quàm

1. Cor. 13

Gene. 3.

Psal. 23.

humaniter, ciuiliter, & comiter Abraham vixerit inter gentiles. Accommodauit se moribus eorum inter quos habitabat, in his tantum quæ contra Deum non erant. Non fuit singularis sibi soli placens, sua præferens, sicut hypocritę faciunt. Sed iam impleuit illud Pauli: Placere omnibus per omnia. Item, vnusquisque proximo suo placeat in bono. Propter vnitatem enim seruandam plurima facienda & patienda sunt. Nunquam enim efficiemus vt omnes secundum caput nostrum agant. Indicat & hoc comitatem ipsius Abrahæ, quòd quamuis nollet funus suum in sepulchris gentium sepelire. Non tamen palam hoc dicit, ne arrogans videretur, existimarentq; Hethei se contemptos. Maximè autem eius comitas in hoc apparet, quòd non semel sed bis adorauit populum terrę, hoc est gratias egit, cum externa quadam reuerentia aut inclinatione. Non enim simpliciter ipsos adorasse credendum est: Sed gratias egit cum decoro gestu corporis.

Audi domine Princeps Dei es inter nos, &c.

Blanda interrogatio, suauem quoque responsionem facile recipit postulatio sensata. Vide autem q̃ ciuiliter famulo Dei respondent. Primò dñm eum vocant, propter familiaritatem Dei. Deinde princeps, inquiunt, Dei es apud nos, id est gratum te Deo experimur. Effert, & velut manibus te portat virtute & facultatibus, vel princeps Dei es, id est, tam syncerè & innocenter corã nobis conuersatus es, vt dubitare non possimus te esse præcipuum quendam amicũ Dei. Hinc discamus quomodo in mũdo nobis viuendum sit: Pręterea facilè concedunt quod Abrahã petierat imo plus, in electis, inquiũt sepulchris, &c.

Electa sepulchra dicuntur, aut præcipua, aut quæ ipse voluisset & elegisset. Prior tamen sensus magis arridet. Ideo autem tam facile concedunt, quia in resurrectione mortuorum, quam etiam gentes sensatiores credebant, consortes habere cupiebant amicos Dei. Eadem ratione & penes martyrum memorias olim Christiani sepulchra eligebant. Igitur si Deo seruiremus, etiam mundus nobis obsequia præstaret.

Multis autem modis hii gentiles meliores nobis sunt, qui

qui amicos Dei nõ curamus, maximè si pauperes sint, &c.

Si placeat animæ vestræ intercedite pro me.

Hic videmus iustitiam Abrahæ in contractibus, imo non solum ipsius Abrahæ, sed etiam Ephronis, vbi vterque curat ne alterum grauet. Ephron liberè & gratis offert, Abraham non nisi pretio dato accipit. Nos neutrũ imitamur, nedum non gratis offerimus, sed quàm possumus charè & iniquo precio vendimus. Alii precium fraudant, debita non soluunt, nec emere volũt sed vi rapiũt. Emptum autem voluit Abraham hũc agrum, ne posteris relinqueretur occasio dissensionis, hinc publicè emit, & publicam probatamq; monetam dat. Prospiciendum est posteris, vt rebus patris sine contentione vti posint filii post obitum parentum. Deinde ideo emere voluit, quia nolebat alios ibi sepeliri, volebat quantum posset, vt populus Dei non permisceretur infidelibus. Cæterùm quod post mortem Saræ primũ possesionem emit, significat quòd iusti in hoc seculo possesiones non curant. Nam non habemus hic manentem ciuitatem, curant autem vt post mortem habeant mansiones in terra viuẽtium. Non autem plus emit quàm sepulchrum, vt discamus contenti esse, si victum & amictum habeamus, scientes quod nihil in mundum intulimus, nihil etiam efferamus. *Hebr.13.* *1.Tim.6.*

Confirmatusq; est ager Ephronis, &c.

Hunc agrum & locum spiritus sanctus notum esse voluit filiis Israel, vt esset memoriale fidei & promisionũ, vtque tanto chariorem haberent patriam olim posidendam. Sic & nos iam ex parte possesionem accipimus in cœlo. Christus enim illuc ascendit cum carne nostra, vt nos studeamus sequi & suspirare ad eandem patriam. Dupliciter igitur Abraham in hoc capite ostẽdit fidẽ suam, Emendo enim agrum ostẽdit se credere eam terrã semini suo dandam, Tam diligẽter autẽ Saram sepeliẽdo, ostẽdit se credere futurã resurrectionẽ mortuorũ. Videmus deniũ in hoc capite, Saram ditiorẽ fuisse in morte q̃ in vita. Sic & sancti securiores sunt in morte. Historiæ sanctorũ indicãt, plus curæ esse Deo mortuos sanctos q̃ viuos. qđ non faceret Deus, nisi resuscitare vellet. Liberamur tum *Rom. 8.*

ex hac vanitate & corruptione,& planè ex nostra cura in Dei curam abimus. Discamus circa sepulturam Sarę vt
Rom. 6. etiam nos sepeliamur: Consepulti, inquit, sumus Christo per baptismum in mortem, hoc igitur agẽdum nobis est vt paulatim sepeliamur, mortificãtes desideria nostra, donec omnia intereant. Nam hæc caro & sanguis regnum
Ioan. 12. Dei non posſidebunt. Nisi granum frumenti mortuum fuerit, nullum fructum affert. Sic nos dum baptizamur, quasi seminamur ad moriendum, vt rursum crescamus in alia vita. Est autem consolatio magna piis, quòd Paulus dicit: Complantati sumus, &c. Videmus enim quanto pulchriora corpora nanciscantur plantæ, sic & nos clari-
1. Cor. 15 tate inenarrabili induemur à Deo: cui sit laus & honor in perpetuum.

Caput Vigesimumquartum.

Erat autem Abraham senex dierumq́; multorum: & Dominus in cunctis benedixerat ei. Dixitq́; ad seruum seniorem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat: Pone manũ tuam subter fæmur meum: vt adiurem te per Dominum Deum cœli & terræ, vt non accipias vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, inter quos habito: sed ad terram & cognationem meam proficiscaris, & inde accipias vxorem filio meo Isaac. Respondit seruus: Si noluerit mulier venire mecum in terram hanc, nunquid reducere debeo filium tuum ad locum de quo tu egreßus es? Dixitq́; Abraham: Caue nequando reducas filium illuc. Dominus Deus cœli, qui tulit me de domo patris mei, & de terra natiuitatis meæ, qui locutus est mihi, & iurauit mihi, dicens: Semini tuo dabo terram hanc, ipse mittet angelum suum coram te, & accipies inde vxorem filio meo. sin autẽ mulier noluerit sequi te, nõ teneberis iuramẽto: filium meum tantum ne reducas illuc. Posuit ergo seruus manum sub fæmore Abrahã Domini sui, & iurauit illi super sermone hoc. Tulitq́; decem camelos de grege Domini sui, & abiit, ex omnibus bonis eius portans secum, profectusq́; perrexit in Mesopotamiam in vrbem Nachor. Cumque camelos fecißet accumbere extra oppidum iuxta puteum aquæ vesperè, eo tempore quo solent mulieres egredi ad hauriendam aquam, dixit: Domine, Deus Domini mei Abrahã, occurre, obsecro, mihi hodie, & fac misericordiã cum Domino meo Abraham, Ecce ego sto prope fontem

tem aquæ, & filiæ habitatorum huius ciuitatis egrediētur ad hauriendam aquam. Igitur puella cui ego dixero, inclina hydriam tuam vt bibam: & illa responderit: Bibe, quin & camelis tuis dabo potum: ipsa est quam præparasti seruo tuo Isaac, & per hoc intelligam quòd feceris misericordiam cum Domino meo. Necdum intra se verba compleuerat, & ecce Rebecca egrediebatur, filia Bathuel, filii Melchæ vxoris Nachor fratris Abraham, habens hydriam in scapula sua: puella decora nimis, virgoque pulcherrima, & incognita viro, descenderat autem ad fontem, & impleuerat hydriam, ac reuertebatur. Occurritq; ei seruus, & ait: Pauxillum aquæ mihi ad bibendum præbe de hydria tua. Quæ respondit: Bibe domine mi. Celeriterque deposuit hydriam super vlnam suam, & dedit ei potum. Cumque ille bibisset, adiecit: Quin & camelis tuis hauriam aquam, donec cuncti bibant. Effundensq; hydriam in canalibus, recurrit ad puteum, vt hauriret aquam: & haustam omnibus camelis dedit. Ipse autem contemplabatur eam tacitus, scire volens vtrum prosperum iter suum fecisset Deus, an non. Postquã autem biberunt cameli, protulit vir inaures aureas, appendentes siclos duos: & armillas totidem, pondo siclorum decem. Dixitq; ad eam: Cuius es filia? indica mihi. est in domo patris tui locus ad manendum? Quæ respondit: Filia sum Bathuelis filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Et addidit, dicens: Palearum quoque & fœni plurimum est apud nos, & locus spatiosus est ad manendum. Inclinauit se homo, & adorauit Dominum, dicens: Benedictus Dominus Deus Domini mei Abraham, qui non abstulit misericordiam & veritatem suam à domino meo, et recto itinere me perduxit in domum fratris domini mei. Cucurrit itaque puella, & nuntiauit in domum matris suæ omnia quæ audierat. Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, qui festinus egressus est ad hominem, vbi erat fons. Cumq; vidisset inaures & armillas in manibus sororis suæ, & audisset cuncta verba referentis: Hæc locutus est mihi homo: venit ad virum qui stabat iuxta camelos, & prope fontem aquæ, dixitq; ad eũ: Ingredere, benedicte domini: cur foris stas? præparaui domum, & locum camelis. Et introduxit eum in hospitiũ: ac destrauit camelos, deditq; paleas & fœnum, & aquam ad lauandos pedes camelorum, & virorum qui venerant cũ eo. Et appositus est in conspectu eius panis. Qui ait: Non comedam, donec loquar sermones meos. Respondit ei: Loquere. At ille: Seruus, inquit, Abraham sum. Et Dominus benedixit domino meo valde, ma-

gnificatusque est: & dedit ei oues & boues, argentum, & aurum, seruos & ancillas, camelos & asinos. Et peperit Sara vxor domini mei filium Domino meo in senectute sua, deditq; illi omnia quæ habuerat. Et adiurauit me dominus meus dicens: Non accipies vxorem filio meo de filiabus Chananæorum, in quorum terra habito: sed ad domum patris mei perges, & de cognatione mea accipies vxorem filio meo. Ego verò respondi domino meo. Quid si noluerit venire mecum mulier? Dominus ait, in cuius conspectu ambulo, mittet angelum suum tecum, & diriget viam tuam: accipiesq; vxorem filio meo de cognatione mea, & de domo patris mei. Innocens erit à maledictionē mea, cum veneris ad proximos meos, & non dederint tibi. Veni ergo ad fontem aquæ, & dixi: Domine Deus domini mei Abraham, si direxisti viā meā in qua nunc ambulo, ecce sto iuxta fontem aquæ, & virgo quæ egredietur ad hauriendam aquam audierit à me: Da mihi pauxillum aquæ ad bibendū de hydria tua: & dixerit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis hauriam: ipsa est mulier quam præparauit Dominus filio Domini mei. Dumque hæc tacitus mecum voluerem, apparuit Rebecca veniens cum hydria, quam portabat scapula: descenditq; ad fontem, & hausit aquam. Et aio ad eam. Quæ festinans deposuit hydriam de humero, & dixit mihi: Et tu bibe, & camelis tuis tribuam potum. Bibi & adaquauit camelos. Interrogauique eam, & dixi: Cuius es filia? Quæ respondit: Filia Bathuelis sum filii Nachor, quem peperit ei Melcha. Suspendi itaque inaures ad ornandam faciem eius, & armillas posui in manibus eius. Pronusque adoraui dominum, benedicens domino Deo domini mei Abraham, qui perduxit me recto itinere, vt sumerem filiam fratris domini mei filio eius. Quam ob rem si facitis misericordiam & veritatem cū domino meo, indicate mihi. sin autem aliud placet: & hoc dicite mihi, vt vadam ad dexteram siue ad sinistram. Responderuntq; Laban & Batuel: A Domino egressus est sermo: non possumus extra placitum eius quicquam aliud loqui tecum. En Rebecca coram te est, tolle eam, & proficiscere, & sit vxor filii Domini tui, sicut locutus est Dominus. Quod cùm audisset puer Abraham, procidens adorauit in terram Dominum. Prolatisque vasis argenteis, & aureis, ac vestibus, dedit ea Rebeccæ pro munere: fratribus quoque eius, & matri dona obtulit. Inito conuiuio vescentes pariter & bibentes manserunt ibi. Surgens autem manè, locutus est puer: Dimitte me, vt

vadam

vadam ad dominum meum. Responderuntq; fratres eius & mater: Maneat puella saltem decem dies apud nos, & postea proficiscetur. Nolite, ait, me retinere, quia Dominus direxit viã meam: dimitte me vt pergam ad Dominum meum. Et dixerunt: Vocemus puellam, & quæramus ipsius voluntatem. Cumque vocata venisset, sciscitati sunt: Vis ire cum homine isto? Quæ ait: Vadam: Dimiserunt ergo eam, & nutricem illius seruumq; Abraham, & comites eius, imprecantes prospera sorori suæ atque dicentes: Soror nostra es, crescas in mille millia, & possideat semen tuum portas inimicorum suorum. Igitur Rebecca, & puellæ illius ascensis camelis, secutæ sunt virum: qui festinus reuertebatur ad dominum suum. Eo autem tempore deambulabat Isaac per viam quæ ducit ad Puteum, cuius nomen est viuentis & videntis: habitabat enim in terra australi: Et egressus fuerat ad meditandum in agro, inclinata iam die: cumque eleuasset oculos, vidit camelos venientes procul. Rebecca quoque cõspecto Isaac, descendit de camelo, & ait ad puerum. Quis est ille homo qui venit per agrum in occursum nobis? Dixitq; ei: Ipse est dominus meus. At illa tollens cito pallium suum, operuit se. Seruus autẽ cũcta quæ gesserat, narrauit domino suo Isaac. Qui introduxit eã in tabernaculum Saræ matris suæ, & accepit eam vxorem: & intantũ dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris eius acciderat, temperaret.

IN hoc capite multa sunt quæ imprudenti lectori vel friuola vel puerilia videri possent. At in diuinis literis nihil est tam humile, nihil tam abiectum, quod non doceat, admoneat, exhortetur, consoletur. Scribitur ergo hic lepidissima historia, in qua primum cernere licet diuinam prouidentiam, quæ omnia sapienter & ordine quodam disponit, quæ nobis aliquando vel temerè vel humano consilio gesta videntur. Deinde in hoc capite nobilia sunt exempla, vnde mores & vitam nostram formemus & meliorem reddamus. Postremò latêre hic videbimus abstrusissima quædã mysteria. Nã vt Isaac typus est Christi: ita & gesta eius non nihil futurũ adumbrant.

Erat autem Abraham senex, &c.

Quia Sara decẽnio iunior iã obierat, videbatur & ipse proximus morti, ideo incipit prouidere domui suæ, & preciosissimis diuitiis ordinãdis incumbere, vnico filio proui-

prouisurus vxorem dignã. Possumus tamen hanc senectutem Abrahæ magis ad mores quàm ad annos referre, maxime ob id quòd de nullo præcedentiũ tale quid dicitur, cũ tamẽ pleriq; multo plures annos habuerint. Ergo Abrahã senex erat dierũq; multorũ, id est, perfectæ fidei, multorumq; bonorũ operũ: hæc enim vera est senectus,
Sap. 4. quæ non annorũ numero cõputatur, sed canicie sensuũ, &c. Qualiter aũt Dominus in cunctis benedixerit ipsum Abraham supra satis audiuimus. Hac igitur quasi præfatione quadam præmissa nunc aggreditur narrationem.

Dixitq; ad seruum suum seniorem, &c.

Si quis diligenter obseruet generationum descriptiones, videbit lineam illam ex qua Christus secundum carnem erat nasciturus, exactè & propriè describi. Quãdo-
Sup. c. 22. quidem ergo in fine vicesimi secundi cap. de Melcha, Bathuele & Rebecca dicere cœperat, præsenti capite eandem historiam prosequitur. Interim mortem Sarę & eius sepulturam interiecit. Reuertitur ergo ad ea quæ cœperat, & ex qua familia vxorem duxerit copiosè & pulcherrimè describit. Obserua quòd Isaac non quęrit vxorem, sed Abraham ei prospicit de vxore. hoc enim parentum officium est, non propriè filiorum, quorum est obedire. Deinde quamuis Abraham certus esset de futura prosperitate promissa: agit tamen quod suum erat, & nihil negligit quod ad promissiones implendas pertinebat. Non vult Dominus ociosos, cessantes ac stertentes circa ea quæ futura prædicit, sed vt fideles serui semper persequamur quæ domini sunt, actuũ nostrorum fata vel exitum eidem commendando. Vide autem quanta grauitate & circumspectione matrimonium filij procuret iustus hic, quod tamen nos vt plurimum omnino incogitanter & ridicule incipimus. Primo enim non qualicunque seruo hoc negocium committit, sed seniori, qui hero suo & virtutibus similior & fide spectatior erat. Nos pleriq; leuibus personis ea committimus. Deinde etiam iuramentum ab eo exigit, vt eo diligentius rem curaret seruus. Habet igitur iuramentum etiam inter sanctos locum pro Dei gloria & veritate, non ex contemptu, infidelitate, ociosè, adeoq; non ex malo. Quòd autem dicit, pone manum

num tuam ſubter fœmur meum, tradunt Iudæi quòd in ſanctificatione ſua, id eſt, circuncisione, eum iurare iuſſerit: Nos autem dicimus quòd ille adiurauerat in ſemine ſuo, hoc eſt, in Chriſto qui ex illo naſciturus erat. Præterea non ſimpliciter eum adiurat, ſed per Deum. Dei mẽtionem facit, hoc enim negotium cum Deo incipiẽdum, alioqui nunquam proſperabitur, id quod experientia docet. Nec ſimpliciter Deum nominat, ſed dominum Deum cæli & terræ, vt vel ſic doceat ſeruum vt Deum timeat. Itemq; vt in negotio non diffidat. Quod autem nõ vult filio vxorem accipere è Chananæis, commendatio eſt fidei eius. Sic enim peregrinationem ſuam amplexatus eſt propter Deum, in quo confidebat, vt eorum qui Deo nõ placebant propinquitatẽ ſibi aut poſteris nullam admitteret. Potuiſſet nimirum diuitem aliquam filio acquirere vxorẽ, quandoquidem in tanta veneratione erat, vt Princeps Dei diceretur, ſed non curauit diuitias vt nos facimus. Sciebat Chananæos olim exterminandos. Videbat item in hiis gẽtibus, inter quas habitabat, multa quæ moribus ſuis minimè conueniebant. Hinc diſcamus quantũ fidelibus cauendum ſit à malorum & impiorum conuerſatione, moribus, factis, latè enim ſerpit contagio & facilè incautos inficit. Hinc Iacobus: Vera religio eſt immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo. Mundus enim totus in maligno poſitus eſt. Huc pertinet quod Chriſtus etiã manus & pedes abſcindere, imo & oculos eruere iubet ſi offendant, docet etiam hic locus in vxore ducenda. Nihil præcipitãter, temerè, aut inconſultò agendum. Conſideranda ſunt multa, ſpectandi ſunt mores, educatio, pudicitia, caſtimonia, hæc pij quærũt, impij autem formam, pecuniam, libidinem. Magnum etiam teſtimonium caſtitatis eſt in Iſaac, quòd non ambiuit vxorem, quam concupiſſet oculus, ſed eam quam nunquam viderat præſtolatus eſt, ſecundum voluntatem patris. *Iaco. 1.* *Matt. 18.*

Si noluerit mulier venire mecum, &c.

Apparet hic probitas huius ſerui, quòd diligenter inquirit voluntatem domini, vt plenius obedire poſsit, ne in aliquo tranſgrederetur eius mãdatum. Sciebat ſe non homini, ſed Deo ſeruire, quemadmodum Paulus docet.

Deinde

Ephes. 6. Deinde omnem diligentiā adhibet ne periurus fiat, aut quicquam contra iuramentum præstitum faciat. Sciebat enim non impune futurum, si quis periuret. Quàm paucos nunc inuenias huic seruo similes.

Caue ne quando reducas filium meum, &c.

Obnititur omnibus modis ne filius in Chaldæam reducatur, præsentiens iam per spiritum semen suum, non nisi Deo irato in Chaldæam transiturum. Deinde sciebat in vocatione domini non retrocedendum, sed procedendum esse. Hinc Christus: Qui manum ad aratrum mittit & retro aspicit, non est aptus ad regnum cælorum. Hinc & Petrus eos arguit qui veluti canes reuertuntur ad vomitum, &c. Vide autem hic scientiam huius sanctissimi viri, quàm certus sit se à Deo in quē sperat nunquam destitui. Dominus inquit mittet angelum suū, &c. Ideo aūt vetera beneficia repetit, vt seruo persuadeat ne quid dubitet, quasi dicat: Vide me serue, is Deus qui me eduxit, non eduxit vt desereret, sed vt protegeret, fortunaret, &c. Locutus est mihi, promisit, imo iurauit, quare non est quòd dubites, &c. Videmus hic quòd sancti semper beneficia Dei habent in memoriā, & grati sunt, & ex perceptis discunt sperare etiā alia. Sic igitur fidelis pater familias nedum curat pro filio, vt vxorē suis moribus dignam habeat, sed etiam pro seruo vt fidē in Deū habeat.

Luc. 9.

2. Pet. 2.

Tulitq; seruus decem camelos, &c.

Videmus hic quòd etiā veteres solemniter celebrarūt nuptias. Videmus itē quomodo Abrahā se aliis cōformarit, in his quæ licitè fieri poterant, quemadmodū & Paulus docet: placere inquit omnibus per omnia sicut & ego omnibus per omnia placeo. Itē factus sum Iudęis tanquā Iudęus, omnibus omnia factus sum, &c. In his aūt quę cōtra Deum sunt præcipitur, ne conformemus nos huic seculo. Quanquam autem seruus hic ex omnibus bonis domini sui secū ferret, quibus & ipsam sponsam & parentes donari & honorari, atque ad amicitiam allici & protrahi possent. Non tamen confisus est diuitiis, sed ad Deū per orationem currit, sciebat instabilem esse amorem, qui tamen per diuitias conciliatur. Inter eos autem verus & perpetuus perfectus amor est, quos Deus coniungit. Docemur

1. Cor. 10

1. Cor. 9.

Rom. 12.

cemur hoc loco semper orare,& omnia à Deo expectare, eius auxiliũ ad omnia exposcere,nunq̃ nobis ipsis fidere.

Domine Deus occurre obsecro mihi hodie,&c.

Veraciter seniorem hunc supra nominauit scriptura. Primò enim quod seniore dignum fuit, ab oratione auspicatur coniugium. Nec simpliciter orat,sed confitetur laudem pro beneficiis impensis domino suo, hinc Deum nominat Deum Abraham. Deinde quòd toties replicat dominũ suum, testatur amorem heri sui,apud quẽ studia sanctitatis didicerat. Præterea meritò senior dicitur, quòd non dubitat quin Deus iam præparauit vxorem filio domini sui. Item quòd petendæ puellæ iudicium nõ suis commisit oculis,qui solam faciem, non etiam mores & virtutes peruidere possent,sed secũdum herilem fidẽ, credens quòd domini sui curam haberet Deus,totam in eo posuit electionis spem.Deniq; verò senior dicitur ex eo,quòd non diuitem aut pulchram,sed morigeratam eligit.Petitio autem serui huius non fuit tentatio Dei,sed spiritus diuini suggestio. Nam alioqui venisset in ciuitatem & quæsiuisset vbi est Bathuel,sed voluit Deus vt res hoc ordine perageretur,ideo hanc suggessit seruo petitionem.Nam quomodo potuisset seruus alioqui tam exacte ea petere quæ Deus vellet & tam cito faceret? Argutabatur igitur secũ seruus: Si quæ virgo prodisset ad fontẽ,ad officia propensior, maiori alacritate obsequentior,ad hospitalitatis gratiam promptior,illa esset de cognatione Abrahæ, præparata à domino filio domini sui, eiq; cõmoda,vtpote eisdẽ moribus ornata & instituta. Non parua igitur & vulgaria petit in virgine,sed heroicas planè virtutes, ac spiritũ principẽ, nempe liberalitatem,beneuolentiã,comitatẽ,& mores puellæ dignos,hoc attẽdebant veteres in ducẽdis vxoribus,nõ diuitias,&c.

Necdum intra se verba compleuerat.

Præsentissimũ Deũ vbiq; videmus,quòd tãetsi ipse summus sit & altissimus,humilia tamẽ & abiecta nõ dedignatur,nõ despicit,&c.Sẽper igitur ob oculos nobis versari debet diuina prouidentia, etiam in his rebus quæ nobis fortuitu & casu quodam factæ videntur. Vide etiam hic quàm varient diuina consilia,& quam omninò nõ sint in pote- *Psal.* 112 *Iere.* 10.

potestate viri gressus eius. Abraham inierat consiliũ quo & pudicitiam vxoris, & suam vitam seruaret illæsam. At alio consilio vsus est Deus, atque diuersa via consuluit vtrisque ac destinarat Abraham. Hic autem quicquid petit seruus, statim impetrat, & iuxta consiliũ & votum eius omnia fiunt. Nullus igitur desperare debet quantumuis humilis, aut obscuræ conditionis. Si fidit Deo, gratus est
Actor.10 Deo, non enim respicit personas hominum.

Et ecce Rebecca egrediebatur, &c.

Pulchrè ac diligẽter Moses describit mores huius virginis, partim ad exemplum aliarum, partim propter mysterium ecclesiæ per Rebeccam significatæ. Pulchra erat aspectu, sed pulchrior moribus, alioqui pulchritudo cor-
Prou.31. poris si sola sit vana est. Casta erat corpore, sed multo magis mente. Primò non ociosa sedet, vt pleræque, sed laboriosa: Ocium enim iuuenibus maximè perniciosum. Secundò, cum aquam hausisset reuertebatur: nõ diu moratur in publica, & quamuis seruum Abrahæ videret, nõ tamen curiose inspicit vel alloquitur. Tertiò, cum seruus ab ea peteret potum, statim consistit, offert, benignè alloquitur, dominum vocat, plus offert quàm ille petierat, non grauatur incognito seruire: cũ pleræq; tam morosæ sint, vt vix alloqui homines dignentur. Imo nos in vniuersum difficiles sumus erga extraneos, quasi omnino nihil ad nos pertineat. Et plerunque etiam ea negamus eis, quæ sine labore aut sumptu præstare possemus. Quartò, quamuis audisset eum seruum esse Abrahæ, nõ tamen ipsa eum introducit, hoc enim virgini indecorum esset, sed currit ac in domo matris nunciat. Quintò, non curiosè inquirit cur seruus hic aduenerit, aut quid sibi velit, virgo non sit curiosa. Sextò, obtemperat parentibus, quandoquidem videt ipsos consensisse vt ad Isaac pergeret: tametsi durum erat ei relinquere parẽtes & patriam, tamen non reluctatur. Postremò cum ipsum Isaac videret, statim è camelo descendit & se operuit, vnde apparet eius verecundia & reuerentia. Hæc sunt vera ornamenta virginum, longè maiora & preciosiora quàm externa ornamenta. Virginibus itaque exemplum sit Rebecca, cuius laus vsq; hodie manet & manebit, cum alio-
rum

rum memoria statim pereat. Iusti enim in memoria æterna sunt. *Psal. 111.*

Ipse autem contemplabatur eam tacitus, &c.

Hebræi legunt: Obstupuit vir seu fecit seipsum attonitum, admirabatur non solum virginis virtuté insigné, sed multo magis Dei ordinationem, qua hæc omnia disponebantur iam experto, non frustra se & dominum suum credidisse omnia sua Deo. Considerat ergo puellæ mores, non quòd dubitet an illa sit (nam certus iam erat illam eandem esse, cum omnia iuxta votum eius acciderant) sed considerare voluit atque perspicere, an in puella omnia essent dextra, recta, integra, an esset apta & commoda moribus optimi adolescentis. Apparet hic huius serui diligentia, quòd omnia tam exactè curat, deinde ipsius pietas, quòd inclinans se gratias agit Deo.

Habebat autem Rebecca fratrem nomine Laban, &c.

Sicut in Rebecca exemplum proponitur virginibus, sic in Laban & Bathuele exemplum proponitur patribus familias. Primò enim Laban cum audisset verba sororis, statim egreditur ad virum inuitandum, non expectat donec rogetur. Secundò, benignè eum alloquitur & piè, ingredere benedicte Domini, quo verbo ostenditur etiam ipsum Laban fidelem fuisse. Tertiò, non tantùm ipsum introducit, sed & eos qui cum ipso erant. Nihil veritus sumptuum magnitudinem. Quartò, ipsemet Laban camelos destrauit, aquam lauandis pedibus attulit, mensam parauit, &c. Videmus etiam hic quàm propensi fuerint ad hospitalitatem veteres illi, à qua nos omnino abhorremus. Quintò, cum audissent Laban & Bathuel rem vt erat gesta, non contradixerant sed intulerunt: A domino egressus est sermo, &c. Sextò non casui aut fortunæ hoc adscribunt, sed ordinationi diuinæ. Septimò, nō cogunt puellam, sed inquirunt eius voluntatem. Octauò, cùm vident seruum festinare, non retinent eam, sed sinunt abire. Nec solam eam sinunt abire, sed addunt nutricem eius vt haberet quæ ipsam instrueret. Nonò, bona precátur sorori suæ, &c. Hæc essent exempla patribus familias attendenda & imitanda.

Non comedam donec loquar sermones, &c.

Etiam hic seruus egregium exemplar est fidelium seruorũ. Primò, quũ is videret se ad cognationẽ Abrahæ peruenisse, nõ tamẽ seipsum ingerit ad hospitiũ nisi inuitatus, docet modestiã. Secundo, quamuis fessus esset, tamen noluit cõmedere, donec negociũ suũ exequutus esset: sciebat se nõ homini, sed Deo seruire, vt Paulus seruos docet. Sciebat item se iurasse, nec impunè sibi futurum si quod iurasset nõ diligẽtissime exequeretur. Tertio pulchrè negotiũ ipsum proponit: cõmendat Abrahamũ, seruus inqt sum Abrahã. Recenset etiã diuitias, ne grauarẽtur filiã suã dare. Tamẽ vt fidelis seruus oẽs diuitias Abrahæ Deo ascribit: Dominus inqt benedixit ei, &c. deditq; ei, &c. Cõmendat etiã ipsum Isaac à mirabili eius natiuitate & cõceptione, vt scirẽt Deũ cũ ipso esse. Deinde etiã à diuitiis: dedit ei omnia bona sua, &c. Recenset verba ipsius Abrahæ, cognationẽ suam aliis nationibus perferentis, vt beneuolos reddat. Recenset etiã iuramentum quod ipse fecerat, vt prõptiores reddat, denique terret eos. Si non dederint inquit tibi, tu immunis eris, quasi dicat, sed nõ ipsi. Ad hæc recẽset suam orationẽ & euentũ rei, vt viderent Dei voluntatẽ esse. demum concludit: Si ergo facitis misericordiam cum domino meo, &c. Verè fidelis seruus & prudens, qui nihil omisit eorum quæ adhibẽda erant. Discãt serui, imo prædicatores, &c. Quartò seruus hic cum videt eos consentire, rursum inclinatus gratias agit Deo, didicerat in domo Abrahæ semper orare & gratias agere. Quintò, munera quàm diligenter distribuit, primum puellę, deinde parentibus eius. Sextò festinat ad dominũ suũ, vnde patet iterũ fides eius & obediẽtia. Non cessandũ est cũ Dei auxiliũ adest. Postremò omnia, quæ sibi cõtigerant, narrat domino suo vt & ipsi cõiunx gratior esset, tanq̃ à Deo missa, & feruentius Deo gratias ageret. Hijs exemplis quotidianam vitã nostram informare debemus, ob id enim scripta sunt.

Ephes.6.

Eo tempore deambulabat Isaac, &c.

In Isaac videmus exemplum generosi filii, quod vtinã & filij nostri imitarentur. Primo enim iam ad quadragesimum ætatis annũ peruenerat, vt infra dicetur, nec tamẽ aut per seipsum vxorẽ ambit, aut à patre petit. Hoc autẽ

Infra.25

indi-

indicium est insignis in ipso castitatis, & quòd vitia adolescentiæ adolescens ipse calcauit. Deinde signum est quod totaliter se voluntati & obedientiæ patris resignauerit, vt nihil vellet aut cogitaret, quā quæ pater vellet. Præterea signum est quòd à iuuentute Deum timuit. Timor enim Dei facilè libidinem reprimit, corpusque exsiccat. Hæc igitur Isaac cōtinentia arguit lasciuiam nostrorū iuuenū, qui sine freno cōcupiscentias suas sequūtur, quasi aliter facere nequeāt, cum & Isaac iuuenis fuerit, aliter tamen vixerit. Deinde ipsius continentia vsq; ad quadragesimum annum, arguit eos qui ante tempus se matrimonio addicunt, cum adhuc nesciant quid sit matrimonium, imo seipsos adhuc ignorent. Si parua res esset matrimonium, etiam Abraham ante vigesimum annum filio vxorem dedisset. Stolida iuuentus tantùm curiositatem & voluptatem sequitur, quæ satiata nescit quo se vertat. Arguit etiam hæc Isaac continentia eos qui impossibile iudicant continenter viuere, hocque crebro inculcant iuuentuti, fortasse timentes, ne si iuuentus castè viueret, ipsorum lasciuia magis videatur. Atq; Isaac mendacii eos arguit, qui in feruore adolescentiæ vsque ad quadragesimum annum castè vixit. Postremo arguitur hic nimia parentum nostri temporis indulgentia, quæ sola causa est, quòd iuuentuti impossibile videtur continere, quodque in omnia vicia se præcipitant, & ante legittimam ætatem nubant, vel vxores ducant: horum nihil esset si educarentur, quemadmodum Isaac fuit educatus. Ocium & vinum & malæ societates iuuentutem corrumpunt, quæ tamen omnia filiis nostris & filiabus indulgemus, non sic Abraham fecit. Primò igitur in Isaac commendatur continentia.

Egressus fuerat ad meditandum in agro.

Alterum in quo commendatur Isaac est, quòd seruus vxorē adducēs, nō inuenit eū in cōuiuio aut ludo, sed in agro, nec inuenit eū inter malos, sed solū. Denique nec ociosum eum inuenit, sed in optimo exercitio: Egressus inquit fuerat ad meditandum. Verè piū & laudabile studium, maximè in iuuene. Meditabatur in testamento

 sui pa-

sui patris Abrahæ, & ob hoc solitudinem amabat, hoc
Thren. 3. studium commendat scriptura cum dicit: Bonum est viro cum portauerit iugum ab adolescentia sua. Sedebat solitarius,&c. Quanquam autem etiam in domo meditari & contemplari poterat, in agro tamen plura erant, quæ ipsum in admirationem & laudē Dei excitarent,&c. Denique signanter deambulasse dicitur iuxta puteū viuētis
Su. 16. & 21. & videntis: Ob loci enim religionem frequētabat illum Isaac, ibi enim Agar bis ab angelo consolata fuerat. Cæterū quòd Hebræi eū ideo egressum dicunt vt scrutaretur naturas herbarū, vel motus stellarū, incertū est ex textu. Et si enim hæc inquirere malū nō sit, pij tamen hoīes huiusmodi curiosa relinquētes meditātur alia, nēpe quo-
Rom. 1. modo ex visibilibus inuisibilia Dei, & ex creaturis creatorem agnoscant.

Accepit eam vxorem, &c.

Breuiter has nuptias describit, vnde satis ostenditur nihil illic lux⁹, nihil lasciuię, nihil insani tumultus fuisse,
Tob. 8. & 9. sed omnia in Dei timore perfecta fuisse, quemadmodum & de nuptiis Tobię legim⁹. Quid magis necessariū esset, q̃ vt hæc exempla attenderemus, & imitaremur in quotidiana nostra vita & cōuersatione? Cæterùm quod in fine dicitur, eū non tantū accepisse Rebeccam sed etiā dilexisse, eos arguit qui statim post expletā voluptatē vxores odire incipiūt, ac alienis se aggregare. quòd aūt additur:

In tantum dilexit eam, vt dolorem qui ex morte matris contigerat temperaret.] Iterum generosi filii indicium est, qui matrem suam ante triennium mortuam adhuc lugebat:& quamuis eum dolorem aliqualiter temperaret, non tamē dicitur eum omnino ex animo abiecisse. Quanto honore putas matrem viuam coluerit, qui etiam defunctæ obliuisci non potuit. Quàm rara sunt nunc huiusmodi exempla. Quotusquisque est qui parētibus viuis honorem debitum impendat? plerique parētum viuorum obliuiscuntur, multi inhonorant, tātum abest vt mortuorum recor
Deut. 27 dentur: Nec interim cogitant maledictos esse qui parentes non honorant,&c.

ALLEGORIA HVIVS HISTORIAE.

Abraham Deum patrem significat, Isaac Christum, Re

becca

becca Ecclesiam, imo quamlibet fidelem animam. Seruus
Abrahæ, Apostolos. Quod si attẽdimus quid de quatuor
illis personis scriptum sit, in hoc capite pulchrè videbi-
mus, quid ad salutem nostram fecerit Deus pater, quid
Christus, quid Apostoli, & quid nobis faciendũ sit. Quẽ 1
admodum igitur Abraham vnicũ habuit filiũ, cui omnia 2
sua dat, sic Deus, &c. Abraham non vult filiũ, suũ solum
esse, sed cogitat ei vxorem adiungere vt filios procreet,
sic Deus pater: postula à me & dabo tibi gentes, &c. *Psal. 2.*
Abraham primò mẽtionem nuptiarum facit, ipse seruum 3
mittit, alioqui nõ iturũ, ipse vxorem vocari facit, alioqui
ex se non vẽturam. Sic Deus auctor & principium salutis
nostræ est & fuit, alioqui nunquam ad Christum perue-
nissemus, nisi pater voluisset & seruos misisset. Abraham
non per se, non per filium hoc exequutus est, sed per ser- 4
uum, Sic Deus pater nõ per se venit, nec Christus ad nos
gentiles visibiliter venit, sed per Apostolos adduxit. Nõ
enim missus erat Christus, nisi ad oues quę perierant do
mus Israel. Abraham non quemcunque seruum ad hoc
elegit, sed seniorem & fidelem. Sic Christus non quibus- *Matt. 15.*
cunq; oues vel sponsam suam cõmittit, sed fidelibus pa- 5
storibus. Hinc Petro ter dicit: Diligis me, &c. Senex esse
dicitur qui Christo sponsam adducit, senex autem non *Ioan. 21.*
annis sed sciẽtia & moribus. Hinc olim ministri Ecclesię
presbyteri dicebãtur, id est, seniores. Hinc Paulus ad Ti *1. Tim. 4.*
motheum: Nemo, inquit, adolescentiam tuam cõtemnat, 6
sed esto exemplar, &c. Abraham non simpliciter seruo
hoc cõmittit, sed eũ adiurat: Sic prædicatoribus sub in-
terminatione magnę pœnæ impositũ est officiũ: Sangui-
nẽ, inquit, pereuntiũ de manu speculatoris requirã. Hinc *Ezech. 3.*
Paul. Væ mihi si non Euangelizauero. Abraham seruũ à *1. Cor. 9.*
iuramento absoluit, si tamẽ per eũ nõ stet quo minus vir 7
ginem adducere possit, Sic & prophetã excusat Deus, si
quod suum est fecerit. Hinc & Paulus: mũdus ego sum à *Act. 20.*
sanguine vestro, &c. Abraham non quamcunq; vxorem 8
vult adiungere filio, sed electam, quæ eiusdem esset san-
guinis & fidei, eisdẽ moribus prædita quibus Isaac, quæ
deniq; filio suo honori non pudori esset. Sic Deus san-
ctam vult habere Ecclesiã, quæ filio suo congruat. Sancti,

inquit estote, quia ego sanctus sum. Hinc Paulus. Hęc est
1. Thes. 4 volūtas Dei sanctificatio vestra, &c. Secūdò in ipso Isaac
videmus quid Christus tempore suæ desponsationis fecerit.
1 Isaac egressus fuerat in agrum, Christus in mundū,
2 Isaac vesperi egressus, Christus in vltima ætate mundi.
1. Ioan. 2. Charissimi, inquit Ioannes, nouissima hora est, &c. Isaac
tunc habitabat in parte australi, Christus filius Dei ab aquilone designante iudicium se conuerterat ad austrum
4 misericordiæ. Isaac deambulabat ad puteū viuentē & vi-
Hebr. 4. dentē, viuens & videns Deus est, qui dicit: Viuo ego, & cuius oculis omnia nuda & aperta sunt. Fons huius viuētis & videntis est sacra scriptura, ita ad fontē est humilitas passionis, per hanc viā deambulabat Christus in sua peregrinatione, nunc hanc, nūc illam scripturam implēs,
Ioan. 19. donec tandē impletis omnibus diceret: cōsummatū est.
5 Isaac sponsæ venienti occurrit, Et Christus omnibus ad
Luc. 15. se venientibus per gratiam occurrit, vt patet de Zachæo
6 & filio prodigo. Isaac Rebeccam accepit in vxorē, Christus Ecclesiā non in famulam, sed in vxorem & sponsam,
7 omniū bonorū suorū participem assumpsit. Isaac Rebeccam introduxit in tabernaculum Saræ matris, Christus Ecclesiam de gentibus in locū synagogæ, è qua ipse pro-
Matt. 21. genitus erat. Auferetur inquit, à vobis regnū, & dabitur
Rom. 11. genti facienti fructum eius. Sic oleaster insertus est in
8 bonam oliuā. Isaac adeo dilexit Rebeccam vt dolorem qui ex morte matris aciderat temperaret, Sic & Christus secundum humanū affectum doluit super matre sua
Luc. 19. synagoga, quippè qui & ciuitatem videns fleuit super illam, sed adeptus nouam reginam, de qua sibi noua gens nascitura esset, rectè dolorem temperauit, & delectabiliter cōsolatus est. Tertio in seruo Abrahæ pulchrè ostēditur quod apostoli fecerint, & successores eorū facere debent, circa adductionem fidelium sponsarum Christi.
1 Sic enim seruus ille quamuis nesciret, quæ esse deberet sponsa Isaac, tamē ad pręceptū domini sui exiit, Domino committēs effectum & finem rei. Sic apostoli egressi prę-
Mar. 16. dicauerunt vbiq;, cùm nescirēt qui credituri essent. Ipsi spargebant semē verbi Dei, domino cōmittebāt effectū.
2 Seruus ille tulit secum de bonis domini, imo de omnibus

bonis

bonis quibus instrueretur puella, ostendens non paruas viri aut soceri sui esse diuitias. Nec apostoli vacuis manibus venerunt, sed magna munera attulerunt, gratiam, pacem, remissionem peccatorũ, gratiam miraculorũ, dona spiritus sancti, sanctitatem vitæ & morum &c. vt vel sic homines in amorem Christi sponsi excitarent. Hinc Pau
lus: Euangelium, inquit, nostrum non fuit in sermone tan *1. Thes. 1.*
tùm, sed in virtute & spiritu sancto, &c. Seruus Abrahæ 3
non indifferenter quamlibet obuiãtem domino suo adducit, sed prius circa fontem stat, & deliberat quæ puel
la eligenda esset, Sic apostoli & veri prædicatores, non *Matt. 7.*
quibuslibet Euangelium, deiq; gratiam obtrudnnt, non margaritas proiiciunt ante porcos, nec sanctum dant canibus, sed eloquii sacri fluenta cõsiderant atque ex ipsis colligunt, quæ vel quibus prædicationis suæ verba com mittant, & ex quibus auditoribus fiduciam certitudinis assumant. Infideliter igitur agunt, qui circa discrimen omnibus gratiam Dei, & Deum propitium promittunt, etiam hiis qui in peccatis perseuerant, hii enim sunt falsi prophetæ, qui animas viuificant quæ non viuunt, dicunt
pax pax cum non sit pax, promittunt etiam impiis pacem *Ezech. 13*
cum nulla sit pax impiis. Non sic Paulus, sed ira, in- *Rom. 2.*
quit, & indignatio in omnem animam operantis malum, &c. Seruus Abrahæ non ex seipso proficiscitur, sed
missus à Domino, sic non leuitatis erat in Apostolis 4
quòd per mundum discurrerent, quemadmodum nunc in quibusdã erronibus videmus, sed diuinæ iussionis.
Alioqui de erronibus illis dicitur: Ipsi currebant & ego *Ierem. 23*
non mittebã eos. Seruus Abrahæ antequam negocium 5
aggrediatur orat, sic Paulus: Flecto genua mea, &c. Præ- *Ephes. 3.*
dicatio sine oratione nullum fructum facit, Seruus Abra 6
hæ cum fecisset quod suum erat, statim inuenit virginẽ quam quærebat. Sic apostoli & si ad ignotas regiones pergerent, vbique tamen inuenerunt qui eos cum gaudio reciperent, vt patet in actis apostolorum. Deus enim ipsis cooperabatur, quemadmodum & Abraham seruo suo dicebat: Dominus mittet Angelum suum tecum, &c.
Alioqui quid potuissent Apostoli soli facere? Seruus 7
Abrahæ potum à virgine petit, & quid aliud facit

 Paulus

Phil. 2. Paulus cum dicit: Implete gaudium meum, vt idem sentiatis. Iterum repletus sum gaudio, audiés fidé tuam, &c. Sitis apostolorum, est desiderium salutis nostræ, potum præstamus, cum ipsorum verba audimus, & opere imple-
8 mus, hoc ipsis gratissimú est. Seruus Abrahę cum videret iuxta votum suum virginem facere, gratias egit Deo. Sic
9 Paulus vbiq;. Seruus Abrahæ virgini ornaméta tribuit, signanter inaures, & manus apostoli eodem modo ornát Ecclesiam, maximè vt aures habeat ornatas, & manus, hoc est, fidem & opera. Pharisęi tantum ornabant manus; hoc est, tantùm docebant opera, pseudoprophetæ tantú ornant aures, id est, tantùm docent fidem quæ per auditum
10 verbi est. Verùm neutrum sufficit. Seruus Abrahæ virgini in coniugium Isaac consentienti maiora munera dat, & fidelibus subinde maiora spiritus sancti dona submini
11 strantur. Seruus Abrahæ cófecto negotio festinus redit ad dominum suú, non remanet in aliena regione in mundo, & quamuis conuiuium præparauit, non tamen curat nisi ea quæ in domo Abrahæ sunt, Sic apostoli fecerunt,
12 sic facere debent omnes prædicatores. Seruus Abrahæ virginé è domo patris educit ad domum Abrahæ: Apostoli animas è mundo ad Ecclesiam. Seruus nó sibi addu-
13 cit sed domino, sic Apostoli, &c. Deniq; in Rebecca pulchrè ostensi sunt mores Ecclesiæ, imo cuiusq; fidelis aui-
1 mæ. Primò, sponsa Christi Rebecca dicitur, quod patientiam sonat, quamuis enim coniuncta sit Isaac, id est, risui, & gaudium habeat à Christo, in mundo tamé habet pressuras, vnde & Paulus hæc duo coniungit: Spe, inquit
Joan. 16. gaudentes, in tribulatione patientes. Rebecca virgo
2 erat, & Christus virginem habere vult ab omni externo
2. Cor. 11. amore mundam. Despondi, inquit, vos vni viro virgi-
3 nem castam exhibere Christo. Rebecca in labore & of-
4 ficio inuenitur, nec Christus vult ociosos, Rebecca charitatem ostendit seruo Abrahæ, & Christus charitatem exigit. Rebecca seruo Abrahę hospitiú & victum offert, sic fideles facere debent prædicatoribus. Si nos, inquit, vobis spiritualia seminamus, magnú est si carnalia vestra
1. Cor. 9. metamus? Item qui altario deseruiunt de altario viuant.
5 Rebecca omnibus relictis sequitur seruum Abrahæ, Sic

facit

facit fidelis, deniq; secum ducit puellas, sic Christianus. 7
Item appropinquans domui Abrahæ descendit de ca- 8
melo, sic fidelis humiliatur, relinquit quicquid tortuo-
sum erat & curuum. Præterea Rebecca videns Isaac sta- 9
tim operuit se, sic fidelis quo magis Christum agnoscit,
eò magis erubescit de præterita vita: quem inquit fru- Rom. 6.
ctum habuistis in hiis de quibus nunc erubescitis. De-
mum Rebecca perpetuo manet cum Isaac, nō reuertitur 10
ad domum patris sui, sic fidelis qui perseuerauerit vsque Mat. 24.
in finem, hic saluus erit, &c.

Caput vigesimum quintum.

ABraham verò aliam duxit vxorem nomine Cethuram: quæ peperit ei Zamram, & Iecsam, & Madam, & Madian, & Iesboc, & Sue, Iecsan quoque genuit Saba & Dadan. Filii Dadan fuerunt Assurim, & Latussim, & Laômim. At verò ex Madiam ortus est Epha, & Epher, & Henoch & Abida, & Eldaa, omnes hi filii Ceturæ. Deditq; Abraham cuncta quæ possederat, Isaac: filiis autem concubinarum largitus est munera, & separauit eos ab Isaac filio suo dū adhuc ipse viueret, ad plagam orientalem. Fuerunt autem dies vitæ Abrahe, centum septuagintaquinque anni. Et deficiens mortuus est in senectute bona, prouectæq; ætatis, & plenus dierum, congregatusque est ad populum suum. Et sepelierunt eum Isaac & Ismael filii sui in spelunca duplici, quæsita est in agro Ephron filii Seor Hethei, è regione Mambre, quam emerat à filiis Heth, ibi sepultus est ipse & Sara vxor eius. Et post obitum illius benedixit Deus Isaac filio eius, qui habitabat iuxta Puteum nomine Viuentis & Videntis. Hæ sunt generationes Ismael filii Abrahæ, quē peperit ei Agar Aegyptia, famula Saræ: & hæc nomina filiorum eius in vocabulis & generationibus suis. Primogenitus Ismaelis Nabaioth, deinde Cedar, & Adbeel, & Mabsam, Masma quoq; & Duma, & Massa, Hadad, & Thema, & Getur, & Naphis, & Cedma. isti sunt filii Ismaelis: & hæc nomina per castella & oppida eorum duodecim principes tribuum suarum. Et facti sunt anni vitæ Ismaelis centum triginta septem, deficiensq; mortuus est, & appositus ad populum suum. Habitauit autem ab Heuila vsque Sur, quæ respicit Aegyptum introeuntibus Assyrios, coram cūctis fratribus suis obiit.

obiit. Hæ quoque sunt generationes Isaac filii Abraham. Abraham genuit Isaac: qui cùm quadraginta esset annorum, duxit vxorem Rebeccam filiam Bathuelis Syri de Mesopotamia, sororem Laban. Deprecatusq; est Isaac Dominum pro vxore sua, eo quod esset sterilis: qui exaudiuit eum, & dedit conceptum Rebeccæ. Sed collidebãtur in vtero eius paruuli, quæ ait: Si sic mihi futurũ erat, quid necesse fuit concipere? perrexitq; vt cõsuleret Dominum. Qui respondens ait: Duæ gentes sunt in vtero tuo, & duo populi ex ventre tuo diuidentur, populusque populum superabit, & maior seruiet minori. Iam tempus pariendi aduenerat, & ecce gemini in vtero eius reperti sunt. Qui primus egressus est, rufus erat, & totus in morem pellis hispidus: vocatumque est nomen eius Esau. Protinus alter egrediens, plantam fratris tenebat manu: & idcirco appellauit eum Iacob. Sexagenarius erat Isaac quando natĩ sunt ei paruuli. Quibus adultis factus est Esau vir gnarus venandi, & homo agricola: Iacob autem vir simplex habitabat in tabernaculis. Isaac amabat Esau, eo quòd de venationibus illius vesceretur: & Rebecca diligebat Iacob. Coxit aũt Iacob pulmentũ: ad quem cũ venisset Esau de agro lassus, ait: Da mihi de coctione hac rufa, quia oppidò lassus sum. Quam ob causam vocatum est nomen eius Edom, Cui dixit Iacob: Vende mihi primogenita tua. Ille respondit: En morior, quid mihi proderunt primogenita? Ait Iacob: Iura ergo mihi. Iurauit ei Esau, & vendidit primogenita. Et sic accepto pane & lentis edulio comedit, & bibit, & abiit, parui pendens quod primogenita vendidisset.

IN hoc capite Moses historiam patriarchę Abrahæ cõcludit, moxque incipit historiã ipsius Isaac, hic igitur primò videbimus, quomodo sanctus Abrahã peregrinationem suam cõclusit, deinde quomodo Isaac in locũ eius successerit, nõ solũ hæres bonorũ, sed etiã virtutum Abrahæ & pietatis. Quamobrem pulchrè hic adduci potest illud sapientis: Mortuus est, & quasi non est mortuus, reliquit enim filium similem sibi, In vita sua vidit & lætatus est in illo, in obitu suo non est contristatus. *Eccle.30*

Abraham verò aliam duxit vxorem.

Ex hoc facto Abrahæ simpliciores offendiculum, proterui autem velamen lasciuiæ suæ accipiunt. Illi enim offenduntur, ac nescio quid mali suspicãtur, quod Abrahã

tam

tam senex aliam duxit vxorem, hij autem putant nunc sibi omnia licere, quum Abraham etiam in senectute voluptati operam dedit. Sic enim ex longa illa historia Abrahæ carnales ea tantũ obseruant, quæ ipsorum affectibus respondent, vt quòd viuente vxore etiã ancillam duxit, & quòd post vxoris mortẽ iterum iuuenculam duxit omnia alia surda aure prętereũt. Sed valeant huiusmodi porci indigni quibus hæ margaritæ proijciantur. Ne tamen infirmiores offendantur, dicunt quidam hanc Cethuram fuisse Agar, quam post mortem Saræ resumpsit Abrahã. Alij dicunt hanc vxorem ductam fuisse, antequam Isaac connubio coniungeretur. Scribuntur enim pleraq; non eo ordine quo gesta sunt. Verum nihil opus est excusare iustum. Primò enim secunda matrimonia in se non sunt illicita, nec prohibita. Deinde Abrahæ non solum licuit aliam vxorem ducere, sed etiam debuit hoc facere, quanquam enim iam duos haberet filios, tamẽ promissione diuina acceperat se patrem non duarum tantũ, sed multarũ gentium futurũ. Nõ igitur leuitas aut lasciuia fuit quòd Abraham hoc fecit, sed impletio diuini mandati, & propagatio diuini cultus. Nec ideo hoc scriptum est, quasi necesse sit ipsum iustũ in hoc imitari, quemadmodum & in cæteris. Denique non tantum ipsum factum attendendum est, sed multo magis ipsa persona, imo ipsa Dei voluntas: fierĩ enim potest vt quis aliquid sine peccato faciat, quod alius sine peccato facere non potest. Sic Abraham laudabiliter filium ad mortem duxit, quia præceptũ Dei habuit. Alius eum in hoc imitari volens grauissime peccaret. Sic filij Israel sine peccato spoliauerunt Aegyptios. Sic Sampson sine peccato Philistæos afflixit, quia præceptum domini habebant. Nobis autem non licent huiusmodi, quia prohibita.

Matt.17. *Gene.17.* *Gene.22.* *Exod.14* *Iudic.15*

Et dedit Abraham vniuersa quæ habuit.

Prudens pater & circumspectus ante mortem hæreditates bis diuidit, sciens nimirum quàm multa & periculosa dissidia ex facultatibus distrahendis nonnunquam post mortem parentum inter filios oriantur. Hoc exemplum imitentur parentes, imo omnes. Sic Ezechiæ dicitur. Dispone domui tuæ quia morieris, &c. Cæterùm *Esa.38.*

quod

quòd Agar & Cethura hic nominantur concubinæ, non sic intelligendũ est, quod illegitimę fuerint, sed fuerunt vxores Abrahæ: nõ tamẽ dominæ domus, sicut Sara, cui omnia erant commissa, Aliæ duę sub Sara erant, quamuis etiam vxores essent. Abraham igitur filios concubinarũ separat ab Isaac, cui benedictio reposita erat, Dum huic quidem omnia bona sua dat, illis tantum munera. Per hoc primo significatum est Christum ex Isaac oriũdum,
Heb.1. omnibus creaturis præponendum. Vnde Paulus: cui aliquando angelorum dixit: Sede à dextris meis, &c. Deinde per hoc significatum est filios quidem Dei per orbem multiplicandos, sed Isaac præ aliis hæreditaria benedictione domini & genealogia Mesfiæ cohonestandum. Obserua quòd Abraham tres habuit filios, Ismaelem, Isacum, & filios Cethuræ. Sic tria hominum genera inueniuntur, qui de Deo gloriantur. Aliqui verè pij sunt, hij signantur per Isaac. Alij solo nomine Christiani sunt, carnaliter enim viuunt, hij per Ismaelem signantur: Alij à fide aberrant, & hæreses excitant, hij signantur per filios Cethuræ. Quamuis autem etiam carnales & hæretici de Deo glorientur, non tamen ad hæreditatem admittũtur, sed tantum munera accipiunt, hoc est, vel externa bona, vel externa tantum sacramenta, non autem fructum eorum, id est, spiritum sanctum.

Fuerunt autem dies annorum vitæ Abrahæ.

Anni Abraham describuntur ad concordandas scri-
Gene.12. pturas. Deinde etiam ideo vt videamus quanto tempore sanctus hic peregrinatus sit, septuaginta quinque annorũ erat cum à Domino vocatus fuit: Centum septuaginta quinque annorum mortuus fuit. Patet igitur quod centum annos peregrinus fuit, ac multa pertulit mala, idque patientissimè. Arguitur per hoc nostra impatientia, qui ne ad horam quidem aliquid pati volumus, vnde Paulus:
Hebr.12. Nondum vsque ad sanguinem restitistis.

Et deficiens mortuus est in senectute.

Non sine causa tot verbis vtitur Moses, cum vno verbo rem absoluere posset. Quòd defecisse dicitur, non ad fidem aut pietatem vel ad spiritum, sed ad naturam referri debet. Iudæi enim cùm volunt significare mortem homi-

hominis nõ violentam fuisse, sed naturalem, dicunt eum defecisse. Quod autem subdit, mortuus est, iterum videmus finem vniuersæ carnis, hæc enim mortis sententia propter peccatum, in primum hominem prolata, in omnes eius filios se extendit. Quamuis autem mortis memoria amara sit impiis, tum quia mors in se naturæ contraria est, tum quia impij nimium diligunt mundum, ac ideo inuiti abstrahuntur, tum etiam & maximè quòd malam habent conscientiam. Piis tamen mors terminus est omnium malorum. Mortuus est igitur Abraham resolutione quidem corporis, sed secundum spiritum viuit Deo, quia Deus viuorum Deus est non mortuorum. Senectus autem bona dicitur, vita venerabilis & plena virtutum, sine miseriis vitiorum naturalium, quibus aliquos post octuagesimum annum subiacere videmus. Magna igitur laus est Patriarchæ, quod obiisse dicitur cum senectute bona. Senex enim dicitur, non spacio dierum aut temporis, cùm iunior obierit omnium auorum suorum, sed sensu, fide, sanctimonia vitæ, profecerat in immensum. Ad laudem etiam iusti pertinet quod additur: plenus vel satur dierum, hoc est huius tẽporis vel vitæ pertœsus erat, iamq; cupiebat dissolui & esse cum Christo, quemad modũ Paulus ait. Ideo enim Deus suos tot aduersis subijcit, vt pertœsi huius vitæ ad cælestia suspirent. Quòd autem in fine additur: Appositus est ad populum suum, Schema est quo Hebræi frequenter vtuntur. Apponi autem vel congregari ad populum suum, Primò est in sepulchris maiorum sepeliri, Secundò in fide parẽtum mori, Tertiò perduci iuxta animam in paradisum felicitatis ad electorum animas. Quemadmodum enim ex agris colligitur natura messis in horreum, sic de publico huius vitæ congregantur electi suis temporibus in secreto quiescentium.

Gene. 3. Math. 22. Philip. 1.

Et sepelierunt eum Ismael & Isaac.

Sepultura maiorum, indicium est pietatis filiorum & gratitudinis. Virtutum suarum memoriale & monimentum, quas sedulò sectentur & non obliuiscantur doctrinarum, seq; morituros semper recordentur, statuẽdosq; iudicio pro factis suis. Cæterùm de sepultura fidelium

infra

Gen.35. infra circa mortem Isaac latius tractabitur contra nouatores quosdã imo temeratores sepulchrorũ, vide infra.

Et post mortem eius benedixit Deus Isaac.

Hic incipit historia patriarchæ Isaac, qua videbimus *Psal.112.* quàm verè dictum sit: Generatio rectorum benedicetur. *Psal.36.* Itemque, nunquam vidi iustum derelictum, nec semẽ eius quærens panem. Benedixit autem Deus Isaac, hoc est, largiter eum donauit nedum diuitiis, honore, &c. sed multo magis fide, & omnium virtutum & gratiarum charismatibus, benedicere enim Dei est benefacere, sicut ipsius dicere est facere, quantumuis apud nos differant. Benedixit autem non Ismaelem primogenitum, sed Isaac qui *Psal.112.* minor erat. Vbi videmus quòd coram Deo nihil valet *1.Reg.16* primogenitura, deinde quòd Deus plerunque quòd altum est præteriens humilia eligit. Exemplum simile habemus in Dauide & fratribus eius. Nemo igitur propter externa dona superbiat, nemo de huiusmodi donorum carentia desperet. Signãter autem additur: post mortem Abrahæ, vbi apparet ineffabilis Dei bonitas. Mortuus erat Abraham, non tamẽ eius obliuiscitur Deus, eorumq; quæ ipsi promiserat, sed etiam post eius mortem implet promissa. tantæ reputationis sunt apud Deum iusti, quòd nunquam eorum obliuiscitur, quod propter ipsos etiam posteris eorum benefacit, & quòd etiam post mortẽ promissa implet, quæ in vita positis non impleuit. Nemo igitur de promissis Dei dubitet, certò implebuntur aut in hac vita aut in futura, aut in nobis, aut in posteris, aut in vtrisque, tantum vt Deum timeamus. Addit Moses quòd Isaac habitauerit iuxta puteum, &c. quo pium eius ingenium ostẽditur, nimirum quòd in eo loco habitationem eligit, vbi Deus semel atque iterum sese ostenderat ipsi Agar. Ideo autem hunc locum præelegit, vt semper Dei memoria ob oculos ipsius obuersaretur, deinde vt ex hiis quæ ibidem facta erant fidem suam confirmaret. Postremò vt occasionem haberet peccata vitandi, sancteq; viuendi, nos loca sancta fugimus, tantum vt licentius viuere possimus. Mysticè autem sancti iuxta puteum habitant, vbi Deus viuit, saluat, videt, & videtur. Fons hic scriptura est sacra, cuius sapientiæ aquas sancti possidẽt,

reli-

reficiuntur Dei eloquijs, per quę viuunt, vident, & vidētur, imo & saluantur. Hoc quasi exordium præmisit Moses historiæ de sancto Isaac, & quasi summarium quoddá totius historię, in his enim duobus vita huius patriarchę consistit, quòd scilicet Deus eum benedixit, & quòd ipse econtra Deum quæsiuit, &c.

Hæ sunt generationes Ismael, &c.

Antequam progrediatur in historia cœpta, interponit generationes Ismaelis, sed admodum breuiter, nihil quidem de vita eius scribit, tum quia propositum eius erat tantum lineam Christi describere. tum quia parum boni de ipso Ismaele scribi poterat, tum tertiò, quia vitá eius supra satis expressit, cum dixit: Erit homo ferus, manus eius contra omnes, &c. Generationes tamen eius describit, tum vt videamus impletum quod Abrahæ promiserat Deus, de multiplicando Ismaele, tum vt Iudæi scirent vnde gentes ipsis vicinæ originem suam habuissent. *Gen. 16.*

Cæterum in hac generatione ipsius Ismael iterum videmus, quòd mali semper citius crescunt, augentur, & cæt. quàm boni. Duodecim filios habebat Ismael antequam Isaac vel vnum haberet: Videbatur quasi non Isaac, sed Ismael benedictus à Deo esse, verùm contrarium ostendit. Hinc Sapiens: Hæreditas ad quam festinatur in principio, in fine benedictione carebit. Et Dauid: Vidi impium exaltatum sicut cedros libani, transiui & ecce non erat. Et iterum: beatum dixerunt populum cui hæc sunt, temporalis scilicet prosperitas. Ego autem dico, beatus populus cuius Dominus Deus eius. Et sapiens: Etiam si centum annis prosperè agat impius, ego scio quòd bene erit timenti Deum. Ideo etiam primò generationes Ismaelis describit, quia non prius quod spirituale sed quod animalę. Signanter etiam mortem Ismaelis describit. Mortuus inquit est, sed non addit in senectute bona, & satur dierum, per hoc ostendens magnam differentiam esse inter mortem piorum & mortem impiorum. Vtriq; moriuntur, verùm mors sanctorũ preciosa est in conspectu domini, mors autem peccatorũ pessima. Quanquam Ismaelem quidam volunt saluatum, propterea quòd additur, & appositus est ad patres suos, *Prou. 20* *Psal. 36.* *Psal. 143* *Eccle. 8.* *1. Cor. 15.* *Psal. 115.* *Psal. 33.*

sed

ſed hæc Deo committenda ſunt. In fine additur: Coram cunctis fratribus ſuis obiit: quod dupliciter exponitur. Primo coram cunctis, &c. id eſt iunior obiit, Secundo coram cunctis, id eſt circumaſtantibus omnibus filiis, nepotibus, & amicis, &c. Nihil amplius de Iſmaele ſcribitur, ſed relinquitur eius generatio, quia qui tantum terrena quærunt, indigni ſunt quorum memoria habeatur, Pſal. 111. cum econtra iuſtus in memoria æterna ſit apud Deum & homines.

Hæ ſunt generationes Iſaac, &c.

Hic reuertitur ad propoſitum. Emphaſim autem habet verbum Hæ, quaſi dicat, quid opus eſt impiorum generationes deſcribere, cum præſto ſit generatio iuſtorum. Hæ ſunt generationes Iſaac, huc verte oculos, hæc linea non tantum ſanctos tibi oſtendet, ſed etiam ad ſanctum ſanctorum te ducet. Repetit autem quod Abraham genuerit Iſaac, & quòd Iſaac acceperit vxorem Rebeccam, &c. vt iterum inculcet quæ Deus circa huiuſmodi fecerit. Quòd autem quadragenarius vxorem duxit Iſaac: oſtendit caſtitatem eius, bonamque educationem, quòd tam diu ſine vxore permanere potuit, quod tamen nunquam potuiſſet, ſi in ocio, voluptatibus, commeſſationibus, laſciuia, educatus fuiſſet, vt noſtri educantur. Colligitur hic quòd tribus annis ante nuptias Rebeccæ Sara Sup. c. 17 defuncta eſt. Nam nonagenaria peperit Iſaac, mortua eſt Sup. c. 13. cum eſſet centum viginti ſeptem annorum, hoc autem non vacat myſterio. Eodem enim modo tribus annis antequam eccleſia Christo coniungeretur, mortua eſt lex & prophetia, leges enim & prophetæ, vſque ad Iohanné, Matt. 11. à prædicatione autem Iohannis, vſque ad effuſionem ſpiritus ſancti tres anni fuerunt.

Deprecatus eſt Iſaac pro vxore ſua.

Vix dum incepit hiſtoriam ipſius Iſaac, & ſtatim in ipſis quaſi foribus apparet crux & tentatio. Non parua enim tentatio fuit, quòd Iſaac promiſsiones habens videbat vxorem ſuam ſterilem, cum interim Iſmael & cæteri, nullam habentes promiſsionem, vxores fœcundas haberent. Benè igitur admonet Sapiens: fili accedens ad Eccle. 2. ſeruitutem Dei, ſta in timore, & præpara animam tuam ad tenta-

tentationem. Sterilem autem vxorem dominus filio Abrahæ præparauit, quia Dei donum erat, non ex hominibus, vt in semine Abrahæ omnes gentes benedicerentur, & ob id decebat sic ad dandum extēdi manum Dei, vt ad cognoscendum non dormitaret ingratitudo hominis. Quid autem in huiusmodi re melius erudiret fidem vel obstrueret os, quàm sterilitas fœminarum. Imo vt plurimum steriles esse sanctorum matres voluit (quémadmodū videmus in Isaac, Iacob, Ioseph, Sampsone, Samuele, Ioanne baptista, &c. qui omnes ex sterilibus nati sunt) vt gratiæ & promissionum filii haberentur, & naturæ fragilitas ad opus bonum sine gratia comprobetur, sitque locus fidei & precibus. Vult enim precibus obtineri, quod ab æterno ordinauerat præstare, filii sancti non nisi precibus & fide à domino impetrantur. Deinde etiam ideo steriles esse voluit sanctorum matres, vt ex partu sterilium etiam credi posset partus virginis. Vnde & angelus fidem virginis confirmare volens. Ecce inquit Elizabeth cognata tua sterilis, concepit filium in senectute sua, quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Demum etiam ideo sanctis steriles dedit matres coniuges Deus, vt & alii discerent exēplo, primū æquanimiter ferre sterilitatem, nec viri propterea cōtemnant coniuges, nec mulieres egrè ferant sterilitatē suam. Scit enim Deus quæ bona quibuslibet dare debeat. Nō enim omnia omnibus competunt, nec vni homini omnia dat, ne scilicet quis superbiat. Cæterùm quantumuis Isaac videret vxorem suam esse sterilem, non tamen aliam accipit vxorem, id quod Abraham fecit, didicerat enim Isaac Deum etiam ex sterilibus dare filios, deinde videat secundam vxorem Abrahæ malè cessisse, imo & filiū ex eadem degenerem factum. Noluit igitur aliam accipere vxorem, sed patienter domini expectat promissionem. Interim tamen non ad magos currit, &c. sed dominum precatur pro vxore, nobis in exemplum. Cæterùm sicut Isaac pro vxore sterili orauit, sic nos oremus pro dura sterili anima nostra, &c.

Luc. 1.

Su.c. 16.

Exaudiuit eum Dominus.

Non primo statim die, sed post viginti demum annos,

ne quis egrè ferat si non statim exaudiatur,sed eo fortius orandum.Ideo enim dominus plerumque differt vt pro
Luc.11. bet num perseuerare velimus. Semper igitur quærendum, petendum,pulsandum.

Sed collidebantur in vtero eius paruuli.

Alia tentatio & maior priore: iam enim nedum filii concepti, sed & vxor dilectissima periclitatur, poterat & hic murmurare, quod impiis omnia prosperrimè cederent,sibi autē nō, poterat dubitare de promissione Dei, poterat dicere vtinam nunq̄ pro hac re orassem. Melius enim fuisset sine filiis mori; quàm vna cum filiis & matrē amittere.Sic tentat suos Deus, vt semper recedente vna
Sap.3. tentatione,alia & maior succedat. Tanquam aurum in igne probat eos,&c. Et nos putamus nihil aduersi nobis contingere debere,sed fallimur.Si filij Dei esse volumus oportet vt disciplinam domini toleremus. Si enim à parentibus carnis hoc perpessi sumus,quanto magis à Deo hæc patienter ferre debemus. Collidebantur autem paruuli,non in contentione vel scientia certandi, siue affectione vincendi, vtpote qui nundum rationis vsum haberent,sed eodem Dei nutu permoti,quo non solum irrationalia pecora,verùm etiam inanimata elementa præsagio futurorum moueri solent,aut permutari:qualia iam sæpe facta sunt,& adhuc maiora futura sunt,testante domino cum dicit: Erunt signa in sole & luna,&c. Per hanc
Luc.21. igitur collusionem puerorum ostensum fuit, quòd non vnius animi futuri essent, deinde per hoc præostēsa fuerunt filiorum Dei & mundi simultates.Imo per hoc præostensum fuit,quòd Ecclesia duplices filios habitura esset,carnales scilicet & spirituales, qui adeo inter se pugnarent,vt interdum etiam ipsi matri immineret periculū. Sic contigit in exordio Ecclesiæ, inter conuersos è Iudæis,& conuersos è gentibus.Sic contigit tēpore Arrii, &c.Sic etiam hoc tempore satis cū periculo matris pugnant Christiani,& cum neuter alteri cedere vult, periclitatur mater.Quid igitur facit Rebecca?

Si sic mihi futurum erat,quid necesse,&c.

Verbum hoc indicat eam in magno timore & dolore fuisse , & si enim sancta esset mulier , tamen ipsa etiam male-

maledictionem Euæ matris sensit, quamuis ipsi in bonum *Gen. 3.*
cesserit. Non igitur grauentur mulieres nostræ, si &
ipsæ ærumnas Euæ experiantur. Vide autem piam huius
Rebeccæ mentem, in tali angustia posita non consulit
magos, sed abiit, inquit, vt consuleret dominum. Abiit
ad altare quod Abrahã cõstruxerat, vel ad ipsum Sem, &
Melchisedech, qui adhuc viuebat, vel ad ipsum Isaac, vel
apud se orauit. Nihil enim horum certò affirmare possu-
mus, nec multũ refert. Scimus Dominũ respõdisse, siue hoc
fecerit in somnis, siue per angelũ, siue per quẽcũq; hominẽ.

Duæ gentes in vtero tuo sunt, &c.

Locus hic magna & inscrutabilia iudicia Dei osten-
dit, vt meritò quis dicat: Quis non timebit te ò rex gen- *Iere. 10.*
tium. Est enim locus hic confinis ei, quod Christus in
Euangelio dicit: Duo erunt in agro, vnus assumetur & al- *Matt. 28.*
ter relinquetur, &c. Sic hij duo in vno erant vtero, eosdẽ
habebant parentes, eadem hora nati, & tamen vnus ele-
ctus fuit alter reprobatus, iuxta illud: Iacob dilexi, Esau *Mal. 1.*
autem odio habui, id est, neglexi, dimisi, nihil enim simpli
citer odit dominus eorũ quæ fecit. Hoc exemplo duorũ
fratrũ Paulus probat nos ex sola gratia, non ex meritis e-
lectos. Nihil enim adhuc meruerat Iacob, & tamẽ iam sen *Rom. 9.*
tentiam pro eo fert Deus, nec Esau quicquam conqueri
potuit quasi iniustè secũ factũ esset, cum nullius debitor
sit Deus. Quòd si pergas quærere, cur ergo huic & non
etiã alteri dedit gratiã, respõdet Paulus: O homo tu quis *Ibidem.*
es qui respõdeas Deo, &c. Nõ est nostrũ hoc inquirere,
sed timere. Imo gratias agere quòd nos vocauit, & benè
sperare quòd electi simus, beneq; vti gratia Dei. Terribi-
le itẽ est quòd hic dicitur: Maior seruiet minori. Iã enim
sentẽtia lata est, quòd qui seipsos exaltãt humiliãdi sunt,
& ecõtra. Terribile itẽ ꝙ vt plurimũ qui magni sunt co-
rã mundo, abiiciuntur à Deo. Iuxta illud: Non multos
potẽtes, sapiẽtes, nobiles, elegit Deus, sed quæ stulta sunt
mundi. impleta est autem hæc prophetia. Primò in hijs
duobus fratribus Iacob & Esau. Secundò in Israelitis & *1. Cor. 1.*
Idumæis, Tertiò in Iudæis & gentibus. Implebitur etiam
adhuc in veris & fictis Christianis, hypocritæ enim quã-
tumcunque nunc fulgeant, tamen in fine confundentur.

Econtra veri Christiani etsi iam abiecti sint, tamen suo tempore exaltabuntur. Huc pertinet illud Sapientis:
Sap. 3. Stabunt iusti in magna constantia, &c. Mysticè duo populi in nobis sunt, caro & spiritus, vitia & virtutes. Verùm Dei sentẽtia est vt maior seruiat minori, id id, caro quæ prior est spiritui, quem posterius accepimus in baptimo.

Iam tempus partus aduenerat, &c.

Moses quàm diligentissimè describit horum filiorum natiuitatem, formam, educationem, ingenia. Primò ob id vt verbi Dei ad Rebeccam veritas probetur, deinde propter significationem futurorum. Ecce inquit gemini inuenti sunt in vtero eius, per hoc probatur veritas primi verbi quo dixerat Deus: duæ gentes in vtero tuo sunt, huic respondet quod hic dicitur: Ecce gemini inuenti sunt, &c. Hij enim gemini sunt duæ illę gentes, id est capita duarum gentium. Vides quàm non fallat verbum Dei. Securè igitur ei credimus.

Qui primus egressus est rufus erat.

Dixerat Deus duæ gentes ex vtero tuo diuidentur, id nunc re ipsa probatur, idque multipliciter. Primò enim valde dissimiles erant duo hij fratres, etiam externa specie corporum. Alter enim rufus & hispidus erat, de altero nihil tale loquitur, imo contrarium, vt patet infra.
Inf. c. 27 Hac autem dissimilitudine corporum pulchrè præostẽsa fuit dissimilitudo morum & animorum. Esau enim veraciter rufus fuit, id est, sanguinolentus vel sanguinem sitiens, cogitabat enim fratrem interficere, fuit item hispidus, id est, durus, inciuilis, intractabilis, Iacob autem ecõtra. Verè magna diuisio, tã dissimiles mores habere.

Factus est Esau virgnarus venandi.

Quemadmodum supra dissimilitudo corporũ, sic hic dissimilitudo morum & ingeniorum, probat veritatem verbi, quod Deus dixerat, duo populi ex vtero tuo diuidentur, Esau enim mundanus factus est, quemadmodũ & supra de Cayn Nemroth & Cham dictum fuit. filii
Luc. 16. enim seculi prudentiores sunt filiis lucis in generatione sua. Vnde & Esau prior nascitur in hunc mundum, sed tandem supplantatur, vndę & plantam eius sequens frater in

ter in manu habebat, Iocob autem vir ſimplex, id eſt integer, innocens, ſic enim vtitur ſcriptura hac voce: habitabat in tabernaculis, vel quia paſtor erat, vel quia domum curabat, vel quia peregrinum ſe in hac vita eſſe agnoſcebat, vndè & paucis contentus erat. Et hæc quidem coram mundo paruæ laudis ſunt, ſed coram Deo ſummè commendabilia.

Iſaac diligebat Eſau. Rebecca Iacob.

Etiam in hoc diſtinguebantur duo illi fratres, quod Eſau veluti mundanus diligitur, Iacob ob humilitatem contemnitur, ſic plerunque mali diliguntur, boni contemnuntur. Sic decipitur etiam ſanctus Iſaac, quòd cum diligit quem Deus reprobauerat. Quanquã enim aliqui dicant quòd ideo dilexerit Eſau, vt dilectione ſua eum traheret ad bonũ, ipſe tamen textus planè oſtẽdit, quòd naturali quodam motu magis afficiebatur ad Eſau, quàm ad Iacob, tum quia primogenitus erat, tum quia de venationibus eius comedebat pater. Sic enim muneribus & aliis eblandiebatur patris fauorem, vbi videmus verè dictum eſſe: Munera excecant oculos etiam prudentum. Cæterùm quantumcunque Iſaac diligeret Eſau, non tamen valuit Dei ordinationem infringere, qua dictum fuit: Maior ſeruiet minori. *Exo. 3.*

Coxit autem Iacob pulmentum, &c.

Docet hæc hiſtoria, quòd ipſe Iacob non ſolum ex Dei ſententia, ſed etiam iure humano palmam victoriæ & primogeniti dignitatem ad ſe pertraxerit. Quid enim poteſt Eſau conqueri de amiſsione primogenituræ, cum eam ſua ſponte, & tam vili precio vendiderit. Obſeruandum autem hic, quàm frugaliter vixerint ſancti, quamq; vilibus cibis contenti fuerint, quo nimirum damnatur luxus noſter, quibus nihil ſatis eſt. Quamuis etiam in hoc tam vili cibo lentis peccauerit Eſau. Multipliciter enim *Gen. 3.*
gula peccatur, vel contra præceptum ſumẽdo, vt Adam: *1. Reg. 14*
vel tempus præueniendo, vt Ionathas: vel lautiora deſiderando, vt filii Iſrael in deſerto: vel nimis curioſè præparando, vt filij Heli: vel ſuperfluè ſumendo, vt Sodomitæ: vel nimis auidè cupiendo, vt Eſau. *Exo. 16. 1. Reg. 2. Ezech. 16*

Vende mihi primogenita tua, &c.

Primogeniti præ cæteris fratribus habebant sacerdotium, dominium, & plus hæreditatis quàm alii. Videtur autem quòd Iacob hic peccauerit, qui fratri esurienti cibum denegarit, occasioneq; famis primogenita eius ad se traxerit, (quemadmodum solemus necessitatis tempore res nostras carius vendere contra charitatem) hoc videtur etiam Iacob hic fecisse, quamuis alii eum excusent, quòd cum sciret ex sententia Dei primogenita ad se pertinere, potuerit ea quoquo modo ad se pertrahere, quem-

Exod.14 admodum & filij Israel Egyptum spoliando non peccauerunt, propterea quòd ea bona à Deo ipsis concessa erant. Docemur autem hic promissa Dei non negligere, sed omni studio ad nos pertrahere. Esau autem multipliciter peccauit hoc facto. Primo enim primogenita nihili faciebat, quæ Iacob vt sacrosancta plurimum appreciabatur, deinde Esau ventrē præferebat honori, cibum virtuti, sine gratiarum actione reficiebatur, meditabatur via facti retinere, quod jam vendiderat, &c. Meritò igitur

Hebr.12. monemur à Paulo, ne quis fornicator aut prophanus fiat vt Esau, qui propter vnam escam vendidit primogenita. Scitote enim dicit Paulus, quoniam & post ea cupiens hęreditate benedictionem reprobatus est, &c. Obseruent hæc qui propter temporalia negligunt spiritualia & reiiciunt, stultissimi scilicet homines, cum certum sit quòd temporalia nō manent sed transeunt. Deinde nihil aliud quàm curas afferūt. Ad hæc plerūq; ad peccata inuitant, iisque vita æterna nos priuant & Gehennæ addicunt.

Allegoricè.

Exod.4. Esau Iudaicū populū significat, qui prior natus est, primogenitus meus Israel ait Deus, denique ipsorū erat ado-

Rom 9. ptio, testamenta, & promissiones, &c. Hic autem Iudæorum populus semper fuit hispidus & rufus, duræ ceruicis & sanguinolentus. Quem enim prophetarum non perse-

Act.7. cuti sunt, &c. Insuper factus est venator tanquam quærēs temporalia. Deinde primogenita sua vendidit, & perdidit propter cibum rufum, hoc est, propter effusionem sanguinis Christi, quem tantopere sitiebant, vt mallēt omnia perire q̄ Christo parcere. Sanguis inquiunt eius su-

Matt.27. per nos, & super filios nostros. Sic igitur coctionē hanc rufam,

rufam,id est,sanguinem Christi acceperunt,& primogenita perdiderunt. Ablatum enim est ab eis regnum Dei, & datum genti facienti fructum eius. Eadem coctione rufa,hoc est,sanguine Christi,&c. Iacob,id est, credula gentilitas vescitur, sed ad maximam suam vtilitatem. Quod enim Iudæi propter effusionem sanguinis Christi perdiderunt,hoc Ecclesia per eundem sanguinẽ consecuta est, & quotidie consequitur, vnde Petrus: Vos estis genus electum,&c. Qui aliquando nõ populus Dei nunc autem populus, &c. Hæc coctio rufa, corpus & sanguis Christi,adhuc est in Ecclesia, & quamuis videatur cibus contemptibilis,plus tamen veræ refectionis fidelibus affert,quã quæcunq; venatio mundanorum. *Mat. 21.*

Moraliter.

In Esau mores impiorũ describuntur, primi nascuntur,primum locũ obtinent in mundo. Rufi sunt, fratrum sanguinem sitientes,hispidi sunt,duri, immisericordes,intractabiles,venantur semper, diu noctuq; tẽporalia quærunt,diligi videntur à Deo,propterea quod prospera eis omnia contingũt. Vendũt primogenita,Negligũt spiritualia & cælestia. Nec curant etiam si Deũ & spiritualia perdiderint, sed suo tempore videbunt. Econtra in Iacob mores piorũ describuntur, hi enim vt plurimũ in mundo inferiores sunt, sed tamen corã Deo student esse primi. Deinde leues sunt, mansueti, misericordes,domi habitãt,quia quietẽ amãt,habitãt in tabernaculis,quia agnoscũt se peregrinos, & habẽtes victũ & amictum contenti sunt. Videntur negligi à patre, sed à matre diliguntur,à scriptura scilicet, quæ hos filios laudat & beatificat. Beatum inquit dixerunt populum, cui hæc sunt,tẽporalia scilicet,&c. Ego autem dico: beatus populus cuius dominus Deus eius. Demum pii omnibus venditis & expositis emunt spiritualia, vt docet parabola de negociatione. *1. Tim. 6.* *Psal. 143* *Mat. 13.*

Caput Vigesimum sextum.

Orta autem fame super terram post eam sterilitatem quæ acciderat in diebus Abraham, Abiit Isaac ab Abimelech regem Palæstbinorum in Gerara. Apparuitque ei

Dominus, & ait: Ne descendas in AEgyptum, sed quiesce in terra quam dixero tibi. Et peregrinare in ea, eroq; tecum, & benedicā tibi: tibi enim & semini tuo dabo vniuersas regiones has, complens iuramentum quod spopondi Abrahā patri tuo. Et multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli: daboq́ue posteris tuis vniuersas regiones has. Benedicentur in semine tuo omnes gentes terræ, eò quòd obedierit Abraham voci meæ, & custodierit præcepta & mandata mea, & ceremonias legesq́ue seruauerit. Mansitq́ue Isaac in Geraris. Qui cum interrogaretur à viris loci illius super vxore sua, respondit: Soror mea est. timuerat enim confiteri quòd sibi esset sociata coniugio: reputans, ne fortè interficerēt eum propter illius pulchritudinem. Cumq; pertransissent dies plurimi, & ibidem moraretur, prospiciēs Abi-melech rex Palæsthinorum per fenestram, vidit eum iocātem cum Rebecca vxore sua. Et accersito eo, ait: Perspicuum est quod vxor tua sit: cur mentitus es eam sororem tuam esse? Respondit: Timui ne morerer propter eam. Dixitq́ue Abi-melech: Quare imposuisti nobis? potuit coire quispiam de populo cum vxore tua, & induxeras super nos grande peccatum. Præcepitq; omni populo, dicens: Qui tetigerit hominis huius vxorē, morte morietur. Seuit autē Isaac in terra illa, & inuenit in ipso anno centuplum: benedixitq; ei Dominus. Et locupletatus est homo, & ibat proficiens atque succrescens donec magnus vehementer effectus est. Habuitque possessiones ouiū & armentorum, & familiæ plurimum. Ob hoc inuidentes ei Palæsthini, omnes puteos quos foderant serui patris illius Abraham, illo tempore obstruxerunt, implentes humo: intantum, vt ipse Abi-melech diceret ad Isaac: Recede à nobis, quoniam potentior nobis factus es valde. Et ille discedens, vt veniret ad torrentem Geraræ, habitaretq; ibi: rursum fodit alios puteos, quos foderant serui patris sui Abraham, & quos illo mortuo, olim obstruxerant Philisthiim: appellauitq́ue eos eisdem nominibus quibus antè pater vocauerat, foderuntq; in Torrente, & repererunt aquam viuam. Sed & ibi iurgium fuit pastorum Geraræ aduersus pastores Isaac, dicentium: Nostra est aqua, quā ob rem nomen ex eo quod acciderat, vocauit Calumniam. Foderunt autem & alium: & pro illo quoq; rixati sunt, appellauitq; eum, Inimicitias. Profectus inde fodit alium puteum, pro quo non contenderunt: itaque vocauit nomen eius, Latitudo, dicens: Nunc dilatauit nos Dominus & fecit crescere super terram. Ascendit autem ex illo loco in Bersabee,

sabee, vbi apparuit ei Dominus in ipsa nocte, dicens: Ego sum Deus Abraham patris tui, noli timere, quia ego tecum sum: benedicam tibi, & multiplicabo semen tuum propter seruum meum Abraham. Itaque ædificauit ibi altare: & inuocato nomine Domini, extendit tabernaculum: præcepitq; seruis suis vt foderent puteũ. Ad quem locum cùm venissent de Geraris Abi melech, & Ochozath amicus illius, & Phicol dux militum, locutus est eis Isaac: Quid venistis ad me hominem quem odistis & expulistis à vobis. Qui responderunt: Vidimus tecum esse Dominum, & id circo nos diximus: Sit iuramentum inter nos, & ineamus fœdus: vt non facias nobis quicquam mali, sicut & nos nihil tuorum attigimus, nec fecimus quod te læderet, sed cum pace dimisimus auctum benedictione Domini: Fecit ergo eis conuiuium, & post cibum & potum surgentes manè, iurauerunt sibi mutuò: dimisitq; eos Isaac pacificè in locum suum. Ecce autem venerunt in ipso die serui Isaac annuntiantes ei de puteo quem foderant, atque dicentes: Inuenimus aquam. Vnde appellauit eum, Abundantiam: & nomen vrbi impositum est Bersabee, vsque in præsentẽ diem. Esau verò quadragenarius duxit vxores duas, Iudith filiam Beeri Hethei, & Basemath filiam Elon eiusdem loci: quæ ambæ offenderant animum Isaac & Rebeccæ.

IN hoc capite Isaac de nouo instituitur hęres promissionum fidei, tentationum quoque & profectuum. Et quanquam humilia quædam in hoc capite videantur describi, vt de fodiendis puteis, &c. Non tamen contemnenda sunt, præbebunt enim affatim & exempla diuinæ Prouidentiæ, circa pios, & consolationis in aduersis, insuper etiam exempla vitæ Christianæ.

Orta autem fame super terram, &c.

Fames, pestis, gladius, pœnæ sunt quas minatur dominus hiis qui non seruant mandata eius, sed quantumuis hæc prædicantur & inculcantur, nõ tamen videmus nec intelligimus donec venerint. Atque dum veniunt soli pij credunt, impii contemnunt, negligunt, irrident, aut casui aut consilio hominum ascribẽtes. Videtur quidem fames & sterilitas naturalibus medijs prouenire, vtpote nimia siccitate vel nimia intemperie aeris. Verùm pius homo non secundis causis hæc ascribit, sed primæ causę, Deut. 28 Ier. 34.

Deo scilicet. Hinc discit Deum timere. Cæterùm fames de hiis pœnis est quæ non semper noxium tangunt, imò vt plurimum tangit & magis premit pauperes & minus noxios, qui etiam prius sunt oppressi: id quod etiam hic videmus in Isaaco, quē fames plus premebat q̄ alios. Nec tamē ob id iniustus Deus si hæc permittit. Dauid sanctus dicit se propemodum cōmotum, quòd videbat pacē pec
Psal. 72. catorum. In labore hominum non sunt, inquit, & cum hominibus non flagellabuntur, &c. Et dixi, ergo sine causa iustificaui cor meum, &c. Volebam, inquit, hæc peruestigare sed nō poteram, donec intrarem in sanctuariū Dei, & cōsiderarem nouissima eorum, &c. Hic vidi nō gratiæ sed iræ esse, quod impii hic flagella non sentiunt. Itē vidi non iræ sed gratię esse, quòd pii omniū maximè has pœnas sentiunt hic, per hoc enim probátur, per hoc itē ostēditur quod impij perpetuò passuri sint. Si enim sic iudi-
1. Pet. 4. cium incipit à domo Dei, quis finis eorū erit qui nō credunt. Noli igitur gloriari si cum aliis pœnam famis non sentias. Si enim peccata tua hic non puniuntur, certò punientur in futuro. Igitur si sapis aliorū miseriis condole, & si tu habes vnde famem non timeas, cura vt aliorum famem releues. Ideo enim Deus plerumque famem mittit, vt habeant diuites occasionem miserendi. Obserua quòd Moses nedum huius famis meminit, sed etiam eius
Su. ca. 12 quę tēporibus Abrahę facta fuerat, vbi vide Dei mira opera: Nihil non boni sperādum erat, cū hii patriarchæ in regionē illā venissent, & verbū Dei prędicare cœpissent. Et ecce statim oboritur fames, hoc idē factum est tēpore Iacob, vt infra audiemus, itē tēpore Helię & Helizęi, &c.
Acto. 11. Imo etiā tempore Apostolorū sub Claudio imperatore. Duas autem assignare possumus, quare Deus tunc vel maximè immittit mala, cum verbū suū finit prædicare. Prima est, quòd cū prędicatione Euangelii & verbi Dei horrenda peccata veniunt, quæ prius non erant, alii item ingrati sunt, alii contemnunt, alii persequuntur & blasphemant, alij segniores fiunt ad omnia bona. Et qui prius ignorantia peccabant, nūc malitia peccant, quod Deus dissimulare non potest. Ideo plerunq; tunc vel maximè incipit punire, cū verbum suū emittit. Secunda ratio est, quia

diabolus princeps est mundi, vt sæpe in scriptura à Christo nominatur, & ipse eo titulo gloriatur, vt cùm Christo omnia mundi regna promitteret, ideo sibi seruientibus omnia terrena abundanter dat, cum autẽ audito verbo Dei emendari incipimus, non mirũ quod irascitur nobis & solita stipendia non dat, imo omnia mala immittit, vnde & Iudæi per Ieremiam cõuersi huiusmodi malis grauati dicebant: Reuersi seruiemus reginæ cœli, &c. Melius enim erat nobis tunc quàm nunc. Sic & Israelitæ cõquerebantur se in Aegypto abundantius omnia habuisse, quàm secuti dominum in deserto. *Matt.4.* *Iere.44.* *Exod.16*

Abiit ad Abimelech regem Palæstinæ, &c.

Abimelech non personæ nomen est sed regiæ dignitatis, vnde & qui tẽporibus Abrahæ regnabat Abimelech dictus fuit. Sic enim reges Aegypti omnes Pharaones primum, deinde Ptolomæi dicti sunt. Et imperatores Romanorũ Cæsares, Sic reges Palæsthinæ hoc nomine Abimelech dicti sunt vel nominati: Non sine causa autẽ hoc nomen sibi assumpserunt, Abimelech enim interpretatur pater meus rex, quo ostẽdebatur quòd nedũ reges esse deberẽt, sed & patres. Et nedũ sic regnare vt timeantur, sed potius vt amẽtur. Impius magistratus est qui tantum hoc agit vt timeatur, nõ etiã vt ametur. Vnũ igitur hoc nomẽ Abimelech & reges & subditos admonebat officii sui: illos vt scirẽt se nõ tyrannos sed patres esse, hos aũt vt superiores suos omni reuerẽtia prosequerẽtur. Vtinam & Christiani vel ethnicorum exemplo hæc discerent.

Apparuit ei Dominus & ait, &c.

Hic se ostendit dominus, vt verum appareat illud: Adiutor in tribulationibus. Nec solũ piis hominibus adest, sed & manifestè apparet, denique alloquitur iustum, nec qualitercunque, sed quàm familiarissimè, vnde apparet quàm gratus fuerit Deo sanctus hic. Sic enim summa ira est vbi Deus vel omnino tacet vel in ira loquitur. Sic summa gratia est vbi Deus blandè hominem alloquitur. *Psalm.9*

Ne descendas in Aegyptum, &c.

Patet ex hoc verbo quòd Isaac proposuerat in Aegyptũ descẽdere, regionẽ fertilẽ, quemadmodũ pater ipsius fecerat, prohibetur autẽ excedere ẽ terra promissionis,

ne fidei

ne fidei feruor decrescat. Deinde nõ patitur Deus suos descẽdere, sed vult semper illos ad superiora proficere. Signanter autem prohibet sanctos ingredi AEgyptum, terram tenebrosam & rerum diuitem. Vbi enim abundantia rerum est, ibi & plurimum est abundantia peccatorum, exemplo fit Sodoma. Securius igitur viuitur, quo ad cõscientiam, in terra vbi fames est, quàm in terra vbi omnium rerum copia. Iubetur igitur Isaac manere in terra Chanaan, Imo peregrinari in ea. Semper enim peregrinantur sancti, sed ad domini voluntatem, non quo volunt & libet.

Gene. 13.

Eroque tecum & benedicam tibi.

Ne sollicitus putaret se fame cruciandum, addit Deus promissiones, imo renouat eas quas ad Abraham fecerat. Sunt autem sex, Prima, ero tecum inquit. Verè magna promissio. Quis hoc audiens non omnia pericula contemnat: si Deus pro nobis quis contra nos. Ego ero tecum: Curabo omnia tua, seruabo & pascam. Iam etiam nobis hoc Christus dicit in Euangelio: Ecce ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Secunda promissio: Benedicam tibi, non ociosus, inquit, aut vacuis manibus tibi adero, sed abundanter benedicam. Tertia, tibi & semini tuo dabo terram hanc. Non solum nunc in fame te seruabo, sed in posterũ propriam dabo tibi terram hanc. Hij qui nunc quieti sedent eiicientur, tu qui peregrinaris propriam habebis. Sic etiam cum iustis fiet in iudicio. Stabunt inquit iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, econtra impij videntes turbabuntur, &c. Summa, quantũuis pij peregrini videantur in terra, tamẽ olim omnibus dominabuntur. Quarta promissio, complebo iuramẽtum quod spopondi Abraham patri tuo. Etiam huius iuramẽti meminit, vt certior fiat Isaac verbum Dei esse complendum. Quinta, multiplicabo semen tuum sicut stellas cæli. Non hic addit, & sicut puluerem terrę, vnde patet, quod de solis & veris filiis Abrahæ loquitur, qui scilicet filii sunt fidei opere & spiritu, non solum carne. Non solum inquit multiplicabo eos, sed clarificabo toto orbe. Eorum Deus, fides, virtus, & cultus celebrabitur vbiq; terrarum.

Rom. 8. Matt. 28. Sap. 5.

rarum. Sexta promißio. Et in semine tuo benedicentur, &c. Hæc est summa promißio, omnes alias longe excedens. Semen autem illud non nisi Christus est, qui solus est benedictio, sanctificatio, iustitia, redemptio, & hæreditas æterna sanctorum omnium, & salus vera. Hanc promißionem sæpe repetit, quia per fidem in futurum Christum etiam veteres saluati sunt.

Eo quod obedierit Abraham voci meæ.

Hoc addit primò ne putaretur Isaac iustior fuisse, quàm Abraham, quasi dicat, Non propter tuam iustitiam hæc promitto, quare non est quòd ex hoc superbias. Secundò addit hoc, vt sciamus piorum nullam esse obliuionẽ apud Deum. Tertiò, vt ipsum Isaac extimulet, ad imitationem paternæ obedientiæ. Quartò vt ostendat propter pios se etiam aliis benefacere. Quintò, vt videamus apud Deum etiam esse respectum operũ bonorum. Non enim dicit: Eo quòd credidit, sed quòd obedierit voci & seruauerit. Verißimè igitur dixit Paulus: Circuncißio nihil est nec preputium, sed obseruatio mandatorũ Dei, scilicet est aliquid quod Deus attendit. vnde monet Ieremias: Nõ cesset manus tua, est enim merces operi tuo. Vide autem quàm diligenter describit ipsius Abrahæ obedientiam & pietatem. Primò obediuit voci domini, patet in exitu è terra sua, in eiectione Ismaelis, in imolatione Isaac. Secundò seruauit nedum precepta, sed & ceremonias & leges. Per præcepta intelligit ea quæ sunt de dictamine legis naturalis, per ceremonias intelligit ea quæ ad cultum Dei pertinent. Per leges autem intelligit doctrinas reuelatas patribus, quę alioqui non obligarẽt, nisi inquantum præceptæ sunt. Omnia hæc seruare pertinet ad verum obedientem.

1. Cor. 7.

Iere. 31.

Et cum interrogaretur de vxore sua.

Hic præter famem etiam alia tentatio superuenit, imo duplicata. Primò enim in periculo est vxoris castitas, deinde etiam ipsi Isaac imminere videtur periculum mortis. Omnia tamen pericula euadit ipso adiuuãte qui promiserat: ego tecum sum. Simile quiddam etiam supra de Abraham habuimus, idque non semel tantũ, sed bis: quare hic breuiter transeamus. Quod igitur homines loci inter-

Gene. 12 & 20.

interrogant de vxore eius, fieri potest vt sola libidine permoti hoc fecerint, quemadmodum Aegyptij. Quia tamen non idem attẽtarunt quod Aegyptij, verisimilius videtur bono animo hoc fecisse, nimirum vt scirent qui & quales essent hospites illi. Vbi videmus gentiles etiam quosdam honestatis studiosiores fuisse, quàm nos. Nos omnes sinimus sine discrimine habitare apud nos, hinc fit vt turpia quæq; irrepãt in rempublicã, demũ regnent etiam. Quòd si boni & innocentes homines ad nos commigrant, quacunque tandem causa coacti, iam non debemus idololatra rege bonitate inferiores esse. Cæterùm quòd Isaac timet, nõ mirum est, quia sciebat se inter eos versari qui Dei cognitione carebant. Vbi autem non est Dei cognitio, ibi nihil boni vel iusti ab hominibus carnalibus sperari potest. Quamuis enim etiam ipsi interdũ nonnihil iustitiæ præ se ferant, non tamen est vera & cõstans iustitia.

Perspicuum est quòd vxor tua sit, &c.

Etiam iusto tacente Deus pro eo curat, ac in securitatem eum restituit. Notatur aũt probitas regis, qui lusum Isaac non iudicat esse incestum, sed in meliorem partem interpretatur, nempe ipsos coniuges esse. Nec vnquam tale quid iustum cum sorore ausum fuisse. Integra enim fama illorum & honesta maturitas non sinebat turpiora in suspicionem assumi. Docemur hic ne præcipiti iudicio omnia in deterius interpretemur. Tu enim quis es

Rom. 14. qui iudicas alienum seruum. An autem mẽtitus sit Isaac, peccaueritq́;, dicendo Rebeccam esse sororem suam, supra responsum est, cap. 12. Illud tamen hic discimus, facta maiorum non omnia trahenda esse in exemplum. Nam & ipsi homines fuerunt, affectibus nonnunquam obnoxij. Deinde etiam hoc discimus, facilem esse lapsum linguæ, & qui in verbo non offendit, hunc perfectum esse.

Quare hoc fecisti nobis, &c.

Etiam ethnicus rex graue & sibi & regno suo damnum iudicat, si quid in vxorem alicuius peccatum esset. Nimirum longe iustior plerisque magistratibus, qui nullum damnum reipublicæ arbitrantur esse, si quælibet quantumuis enormia peccata inundent, cum tamen certum sit

ex

ex scripturis, omnia mala propter peccatum incidere, & nedum vrbes, sed & regna propter peccata interire, vt patet in Sodomis & Aegypto. Deinde Rex ille grande peccatum iudicauit, etiam si quis ignoranter cum Rebecca peccasset, cum nos econtra peccatum nostrum vt plurimum ignorantia protegamus. Docet nos igitur hic locus etiam ignorantiæ peccatum coram Deo imputari, maximè si sit ignorantia crassa & affectata. Vnde intelligamus quantum Deo displiceat, quod per contemptum cō mittitur & deliberatè contra Deum & proximum. Videmus igitur in hoc rege, quòd in omni natione semper fuerint aliqui Deum timentes. *Sup. capi 19. & 14* *Exo. 14.*

Qui tetigerit hominis huius vxorem morte moriatur.

Discimus hic quàm graue scelus adulteriū etiam apud gentes iudicatum fuerit. Deinde magnam iustitiam & æquitatem in hoc rege videmus, quòd graui pœna vetat ne quis vel tangat hominis vxorē. Nos vt de rebus peregrinorum aut aduenarum nihil disquirimus, ita eos parū curamus. Insuper eos contemnimus, lædimus, contra omnem iustitiam & æquitatem. Vndiq; rex ille gentilis nos confundit. Sic igitur Isaac disponente Deo in omnimodam securitatem constituitur, qualem nec sperare ausus fuisset, tam bonum est viro præstolari cum silentio salutare Dei, portareq; iugū domini. Sic Deus immutat corda regum ad consolationem piorum, id quod & in Nabuchodonosor tribusque pueris videmus. *Chron. 3.* *Dan. 3.*

Seuit autem Isaac in terra illa, &c.

Humilia videntur hæc, sed tamen magnam fidem iusti indicant, quòd ad verbum Domini nedum intrepidus in terra illa mãserit tempore famis, sed etiam in terra sterili seminauit, omnibus alijs desperantibus. Et quia magnam fidem habuit, magnum etiam fructum retulit. Inuenit, inquit, centuplum, & addit in illo anno, scilicet tam sterili, tam infructuoso; vbi videmus quantum possit fides, & quàm meritò Dauid admoneat: Timete Dominū omnes sancti eius, quoniam nihil deest timentibus eum: diuites eguerunt & esurierunt, inquirentes autem dominum non deficient omni bono. Venite filij ergo audite me, timorē domini docebo vos. *Psal. 33.*

Benedi-

Benedixit ei Dominus, &c.

Non cælum, inquit, non terra, non pratum, hæc dabát, sed benedictio Domini, quæ sola diuites facit. Ideo autē tam abundè Isaaco omnia subministrauit, vt ostenderet se Dominum esse naturæ, & posse momento temporis & famē immittere quibus velit, & auferre à quibus & quando velit. Nec enim hoc illi labor est, vt Isaias dicit, non laborabit, id est, non graue aut difficile erit ei. Deinde

Esa. 40. hoc fecit, vt etiam impij viderent quàm bene sit colentibus

Thob. 13. Deum, sicq; ad simile incitentur. Hinc Tobias: ideo dispersit vos inter gentes, vt enarretis mirabilia eius. Demum ostendere voluit, quòd omnes creaturæ piis ad nutum deseruiant, quemadmodum ecōtra impiis omnes

Deut. 28 creaturæ aduersantur. Si peccaueritis, inquit, dabo cælū desuper æneum, & terram ferream, &c.

Et creuit homo & ibat proficiens, &c.

Semper crescunt & proficiunt in melius pij homines, quanquam verbum hoc potissimum ad externam prosperitatem referatur, quam & ideo tot verbis Moses describit, vt videamus verbi Dei veritatem. Itemque pios nunquam à Deo deseri: Denique post magnas tentationes sequi consolationem, quemadmodum in Thobia ple-

Thob. 3. nius legitur. Sunt qui patrocinium hoc ex loco suis cupiditatibus petant: cum enim audiant sanctos diuites fuisse, putant sibi licere per phas nephasq; diuitias congregare. Verùm hi attendant quomodo sancti diuites facti sint, non ex vsuris, fraudibus, rapinis: non ex sanguine pauperum, sed ex benedictione Dei, caueantque ne absque labore aut malis mediis diuites esse velint, ne plus diuitiis quàm Deo fidant, laborēt quemadmodum Isaac, diuites fiant in operibus bonis, & eleemosynis erga pau-

1. Tim. 6 peres erogandis, quemadmodum & Paulus monet, tunc licebit esse diuites. Videmus igitur Deum abundè præstare promissa sua. Videmus non ideo sanctis ociandum esse, quòd multa eis promissa sunt, sed eo fortius laborandum, ne tentetur Deus. Sic Isaac seminat & sic benedicit Deus. Quòd si magnum videtur quòd Isaac centuplum accepit, maiora nobis promissa sunt: Centuplum

Matt. 19. inquit accipiet qui propter Deum temporalia relinquit,

& in-

& insuper vitam etiam æternam possidebit. Confortamini igitur, dicebat Azarias propheta, & non dissoluantur manus vestræ, est enim merces operi vestro. Et Paulus: bonum facientes non deficiamus, tempore enim suo metemus non deficientes. 2. Par. 15 Galat. 6.

Ob hoc inuidentes ei Palæstini, &c.

Hic sequitur alia iusti crux & tentatio, vbi primò videmus ingenium mundi, qui non fert nec ferre potest profectus piorum, sed inuidet, persequitur. Sic quidē viuunt pii vt odio dignum nihil cōmittant. Est enim eorū vita innocens: mores non asperi, consuetudo comis & iucunda, neq; tamen odiū mundi effugere possunt, hoc enim nec prophetis, nec Apostolis, nec Christo cōtigit: Eritis inquit odio omnibus hominibus, &c. Si me persecuti sunt & vos persequentur. Vide autē inuidiæ detestabilē malitiam, inuidēt ei quòd Deum habet propitiū. Si hoc te malè habet ò inuide, cole pietatem & habebis etiam tu propitium Deum. Deinde inuidiam suam non in corde tantùm retinent, sed opere ostendūt: obstruxerūt enim puteos. Occultè vindicant liuorem, quod palam non audent, perq; seruos persequūtur, qui per se erubescerent. Prętereà puteos obstruunt, qui etiam ipsis vtiles erant, tantū vt iustū affligerēt. Tantū malū est inuidia, vt etiā cum suo damno aliis noceat, nec curat cui noceat, tantū vt inuidiæ zelo satis fiat. Deniq; catenus creuit furor gentis, vt etiam rex obsistere non posit nec ausit. Hæc autem tanta inuidia nō aliunde quàm ex diuitiis & prosperitate Isaac nata est, sic plerūq; diuitiæ parāt odiū & bella. Sic supra propter diuitias rixatos audiuimus pastores Abrahæ & Loth. Quid igitur tantopere diuitias quærimus, quæ tot nobis inimicos parant, qui semper ob id inuident, mortem nostram cupiunt, nōnunquam procurant & inferunt, vt interim taceam pericula & damna animæ ex diuitiis prouenientia. Qui diuites inquit volunt fieri, incidunt in laqueis diaboli. Matt. 10 Gen. 13. 1. Tim. 6

Recede à nobis, quoniam potentior factus es.

Verè potentior erat omnibus supernum præsidium habens, dextraque Dei munitus, non tamen ob id eiciendus erat, sed potius retinendus, verùm inuidia sine

ratione agit. Hic igitur videmus quòd non confidendū
Psal. 145 sit in fauore regum aut populi. Nolite confidere in principibus, in filiis hominū in quibus nō est salus. Beatus au tē cuius Deus Iacob adiutor eius. Volebant impii illi impedire prosperitatē ipsius Isaac, sed nō potuerūt. Quo enim magis impii bonis obsistūt, eo magis eos ꝓmouent.

Et abiit Isaac inde, &c.

Patienter fert iniurias: non conqueritur, non expo-
Mat. 10. stulat, sed cedit implens illud Christi, Si persecuti vos fuerint in vna ciuitate fugite in aliam. Itemq; illud Pauli: Non vosmetipsos defendentes, sed date locum iræ.
Rom. 12. Sic ante conditum Euangelium Euangelicè vixit iustus hic, tanto igitur maior est confusio nostra. Non grauatur iustus relinquere terram in qua aliquamdiu fuerat:
Psal. 13. sciebat enim quòd domini est terra & plenitudo eius. Cæterùm quamuis quod ad Philisthæos attinet, inuidia eorum expulsus sit Isaac, Deus tamen alia de causa ipsum peregrinari voluit. Primò, vt fides eius probaretur, Secundò, vt etiam in aliis locis Deus per ipsum glorificaretur, Tertiò, vt doceret sanctos nulli loco, imo nullis terrenis rebus affixos esse debere, sed semper paratos omnia propter Deum relinquere, si casus occurrat.

Rursum fodit aquarum puteos, &c.

Quo magis impii aduersabantur, eò fortius ipse fidebat, nec propter ipsorum ingratitudinem & inuidiam segnior efficiebatur. Debet enim pius homo non solum tueri innocentiam, sed & constantiam, fortitudinem, & magnanimitatem seruare, vt nunquā cesset propter aliorum inuidiam, sed perseueret ac pergat in promouenda ac adferenda veritate & iustitia, forti animo ferens omnes iniurias, insultus, &c. Amore illius summi Dei, cui se totum dedicauit: ac spe immortalitatis: Fuerunt & apud Ethnicos qui ob virtutē & innocentiā inuidia grauarentur, sed contēpto odio, imo morte ipsa, veritatē, iustitiā, & rempublicā, defenderūt. Si tantum apud gentes valuit gloria, quid nō imperabit Christianis Dei metus. Possumus quidē cedere & aliū declinare, sed ob tēporalia tantùm, & ita vt iustitia nō deseratur. Cæterū vbi iustitia &
Mat. 5. pietas periclitātur, ibi non est cedendum. Beati enim qui

perse-

persecutionem patiuntur propter iustitiã,&c. Vide autẽ piã simplicitatem iusti huius. Eos potissimũ puteos refodit, quos serui patris sui foderant: nimirũ delectatus memoria paternæ pietatis. Deinde, non noua ipsis imponit nomina, quemadmodũ nos, qui in omnibus & meliores & doctiores esse volumus quã patres nostri, omnesque terminos quos posuerũt patres trãsferimus. Præterea cũ iurgarentur pastores ac suam esse aquã dicerẽt (sic enim mundus omnia ad se trahit) iterũ cedit: nõ iurgatur, imo nedũ regi sed & pastoribus cedit, nec quicquam mali rependit, q̃ quòd appellatione puteorũ ostẽdit iniuriã sibi factam: Nimirum vt aduersarij eius per hæc peccati sui admonerentur, & posteri eorum à similibus cauerẽt. Postremò cum iterũ aquã inuenissent, ac quietè posiderẽt, prorumpit in laudẽ Dei, & gratiarũ actionẽ: Nunc inquit dilatauit nos dominus. Ecce post tot labores, angustias, & iurgia, Deus nobis lætitiam & pacem dat. Nam lætitia cor dilatat, tristitia constringit, &c.

Apparuit ipsi dominus in ea nocte.

Hoc iam secundò apparet dominus ipsi Isaac, ac ferè eadem verba loquitur quę supra quoq; audiuimus. Neq; tamen superuacuũ fuit ea repetere, homo enim in tentatione cõstitutus, multa & crebra opus habet consolatione. Potuisset Isaac dicere vel apud se cogitare: verè mirabilis es domine in promissionibus, promisisti sed contrariũ accidit, &c. huic cogitationi nunc occurrit, quasi dicat. Ego promisi & reddã vel implebo quãtumcũq; res in diuersum videatur cedere. Igitur de nouo repeto promissiones meas, quare nõ est quod dubites. Tã bonus est Deus quòd semper cõsolatur, tã potens, vt etiam rebus desperatis seruare possit, tamq; verax vt nunquã fallat.

Ego sum Deus Abraham patris tui.

Hoc verbũ pulchrè expendit Paulus, ac nõ paruã sanctorum gloriam esse indicat, quòd Deus nõ cõfunditur eorũ vocari Deus. Videmus igitur hic Dei misericordiã & bonitatem erga pios. Est enim sensus verbi: Ego sum Deus Abraham, quasi dicat, omnes quidẽ creaturæ meæ sunt, sed vnus ille Abrahã plus apud me valet, quã omnes alii. Videmus etiam quàm bonum sit Dei amicum esse. *Heb. 11.*

Videmus quod sancti in perpetua memoria sunt apud Deum, videmus quid honoris debeamus sanctis, quos Deus sic honorat. Adhæc hoc verbo ipsum Isaac extimulare vult, ad strenuè imitandum patrē suū Abrahā, quasi dicat. Vides quantū cōsecutus sit pater tuus iustè viuendo, imitare eum & ero etiā Deus tuus: deniq; in fine iterum addit, propter seruum meum Abraham. Vbi iterum videmus quòd Deus etiam piorum hominum opera attendit & remunerat, imo pro paruis magna rependit.

Rom. 8. Non enim sunt condignæ passiones huius temporis ad futuram gloriam.

Ædificauit ibi altare domino, &c.

Gratitudine respondet diuinæ bonitati. Quid enim aliud poterat quàm gratias agere. Nedum autem animo gratus est, sed & altare ædificat, offert sacrificiū, & voce inuocat nomen domini. Sic verus cultus Dei non in ore aut corde aut opere tantùm consistit, sed in hijs omnib⁹ simul. Errant igitur qui vnum ex hiis tribus negligunt.

Venit ad eum Abimelech rex, &c.

Qui prius iustum expulerat, nunc ad eum venit ac amicitiam eius ambit. Sic qui pios persequuntur, tandem

Luc. 16. ipsorum gratiam quærent, quemadmodum videmus in

Sap. 5. diuite epulone & Lazaro mendico, vnde & Sapiens: Tunc inquit stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Patienter igitur expectemus sicut Isaac, nec nos ipsos vindicemus, suo tempore certò aderit Deus. Videmus autē piū animū in rege isto. Primò oblitus suæ dignitatis ad iustum venit, eius gratiam quærit. Deinde manifestè fatetur Deum cū Isaac esse. Tertiò timet ne mali quid ipsi accidat, propterea quòd iustum expulisset, vnde & iuramentum ab ipso petit. Nihil horum nos facimus.

Fecit Isaac eis conuiuium.

Vide quàm facilè reconciliatur pius homo, arguit quidem regem & suos, sed cùm videret eos emendatos, omnis iniuriæ obliuiscitur, cœnam instruit, iurat pro se & posteris. Docemur hic diligere inimicos, obliuisci iniurias, benefacere omnibus, discant hic principes pacem & tranquillitatem etiam posteris suis procurare.

ALLE-

ALLEGORIA.

Deus pater per seruos suos Mosen & Prophetas, ve- 1
ros puteos aquæ viuę aperuit, hoc est, scripturam sacram
verbumque Dei in vero suo sensu tradidit. Hos puteos 2
philisthæi, id est, pharisæi Iudæorũ & scribæ, nedum cō-
tempserant, suas traditiones præferendo diuinis præce-
ptis, sed etiã terra oppleuerant, id est, terreno & carnali
sensu fœdauerant, vnde Christus ipsis dicebat, væ vobis Luc. 11.
scribæ qui tulistis clauem scientiæ, & ipsi non introistis,
& eos qui introibant prohibuistis. Christus autē in mũ-
dum veniēs, primò omniũ studuit hos fontes sacræ scri- 3
pturæ repurgare, ac verum intellectum ostendere, vt pa-
tet Mat. 9. & 12 Lu. 24. &c. Hoc pharisæi indigne feren-
tes, cum ipso iurgati sunt, vt dicerent nō est hic homo à 4
Deo qui sabbatum non custodit. Item homo vorax est Ioan. 9.
& potator vini. item, hic peccatores recipit. deniq; non Matt. 11.
cessauerunt iurgari, donec ab ipsis recederet. Amen di- Luc. 15.
co vobis inquit, auferetur à vobis regnum Dei, &c. Eie- 5
ctis autem Iudæis Christus per Apostolos suos cæpit in
aliis locis, id est in sterili gētilitate, fodere puteos, id est 6
aperire & ostendere aquam verbi salutaris. Apostoli in 7
mundum emissi vbicunq; foderunt, inuenerunt aquã vi-
uam, id est, vbicunque prædicarent sequebatur effectus Mar. 16.
verbi, Nam dominus cooperabatur. Etiam apostoli cō-
tradictionem sustinuerunt. Primò à Iudæis. Actu. 4. & 5.
6. 14. &c. Deinde à gentibus, vt Actu. 17. Postremò ab 8
hæreticis qui iam tunc contendere incipiebant dicētes:
Nostra est aqua, id est, apud nos est verus intellectus scri
pturæ. Non tamen ob id destiterunt sancti prædicato-
res, sed eo fortius laborant ne scriptura falso intellectu 9
hæreticorum fœdaretur. Deinde autem sæculi sopitis
omnibus iurgijs, verus Isaac noster Christus ascendet & 10
ædificabit altare suum, fodietq; puteum abundantiæ &
saturitatis. Tunc Abimelech & amici eius, id est, reges
& principes cum eo fœdus inibunt, Iudæi & gentiles,
tunc nouissimum illis faciet conuiuium in regno patris
eorum, & vnumquemque dimittet in locum suum, id est,
dabit vnicuique secundum opera sua locum vel mansio-
nē cōdignam, multæ enim in domo patris eius sunt. Tũc Ioan. 14.

erit gatulatio illa dicentium: Inuenimus aquam, nā ipso die qua complebuntur omnia quæ de Christo sunt, laus & gratiarū actio personabit dicentium: quia per te Christe inuenimus fontē aquæ salientis in vitam æternā. Moraliter docemur fodere terram cordis nostri tantisper, donec inueniamus aquam viuam. Deinde curemus ne Philisthæi dæmones aquam eam nobis auferant.

Ioan. 4.

Caput vigesimum septimum.

SEnuit autem Isaac, & caligauerunt oculi eius, & videre non poterat: vocauitque Esau filium suum maiorem, & dixit ei: Fili mi? Qui respondit: Adsum. Cui pater: Vides, inquit, quòd senuerim, & ignorem diem mortis meæ: Sume arma tua, pharetram, & arcum, & egredere foras. Cumq; venatu aliquid apprehenderis, fac mihi inde pulmentum, sicut velle me nosti, & affer vt comedam: & benedicat tibi anima mea antequam moriar. Quod cum audisset Rebecca, & ille abiisset in agrum vt iussionem patris impleret, dixit filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Affer mihi de venatione tua, & fac cibos vt comedam, & benedicam tibi coram Domino antequam moriar Nunc ergo, fili mi, acquiesce consiliis meis: & pergens ad gregem, affer mihi duos hædos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur: quas cum intuleris, & comederis, benedicat tibi priusquam moriatur. Cui ille respondit: Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis: si attrectauerit me pater meus, & senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducat super me maledictionem pro benedictione. Ad quē mater: In me sit, ait, ista maledictio, fili mi: tantum audi vocem meam, & pergens, affer quæ dixi. Abiit, & attulit, deditq; matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius. Et vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum: pelliculasque hædorū circundedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio. Quis es tu, fili mi? Dixitque Iacob. Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursumq; Isaac ad filiū suum: Quomodo, inquit, tam cito inuenire potuisti, fili mi? Qui respōdit: Volun-

Voluntas Dei fuit vt cito occurreret mihi quod volebam. Dixitq́; Isaac: Accede ad me, vt tangã te, fili mi, & probẽ vtrũ tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem, & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidẽ, vox Iacob est: sed manus, manus sunt Esau. Et nõ cognouit eũ, quia pilosæ manus similitudinẽ maioris expresserant. Benedicẽs ergo illi, ait: Tu es filius meus Esau? Respondit: Ego sum. At ille: Affer mihi, inquit, cibos de venatione tua, fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cũ oblatos comedisset, obtulit ei etiã vinũ, quo hausto, dixit ad eũ: Accede ad me, & da mihi osculũ, fili mi. Accessit, & osculatus est eũ. Statimq́; vt sensit vestimẽtorũ illius fragrantiã, benedicens illi, ait: Ecce odor filii mei sicut odor agri pleni, cui benedixit Dominus: Det tibi Deus de rore cæli & de pinguedine terræ, abundantiã frumẽti & vini. Et seruiant tibi populi, & adorẽt te tribus esto dominus fratrũ tuorũ, & incuruentur ante te filii matris tuæ qui maledixerit tibi sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonẽ impleuerat, Et egresso Iacob foras, venit Esau, coctosq́; de venatione cibos intulit patri dicẽs: Surge pater mi, & comede de venatione filii tui: vt benedicat mihi anima tua. Dixitq́; illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respõdit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore vehemẽti: & vltra quã credi potest admirãs, ait: Quis igitur ille est qui dudũ captã venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus prius quã tu venires? benedixiq́; ei, & erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris, irrugiit clamore magno: & cõsternatus ait: Benedic etiã et mihi, pater mi. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionẽ tuã. At ille subiunxit: Iustè vocatũ est nomẽ eius Iacob: supplãtauit enim me in altera vice: primogenita mea ante tulit, & nũc secũdo surripuit benedictionẽ meã. Rursumq́; ad patrẽ: Nũquid nõ reseruasti, ait, & mihi benedictionẽ? Respõdit Isaac: dominum tuũ illũ cõstitui, & oẽs fratres eius seruituti illius subiugaui, frumẽto & vino stabiliui eũ, & tibi post hæc, fili mi, vltra quid faciam? Cui Esau: Num vnam, inquit, tantum benedictionem habes pater? mihi quoque obsecro vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, motus Isaac, dixit ad eum: In pinguedine terræ & in rore cæli desuper erit benedictio tua. Viues in gladio, & fratri tuo seruies; tempusq́; veniet cum excutias & soluas iugum eius de ceruicibus tuis. Oderat ergo semper Esau Iacob pro benedictione qua benedixerat ei pater: dixitque in corde suo.

Venient dies luctus patris mei, & occidam Iacob fratrem meum. Nuntiata sunt hæc Rebeccæ: quæ mittens, & vocans Iacob filium suum, dixit ad eum: Ecce Esau frater tuus minatur vt occidat te. Nunc ergo fili mi, audi vocem meam, & consurgens fuge ad Laban fratrem meum in Haran: habitabisque cum eo dies paucos, donec requiescat furor fratris tui, & cesset indignatio eius, obliuiscaturq́; eorum quæ fecisti in eum: postea mittam, & adducam te inde huc. cur vtroq; orbabor filio in vno die? Dixitque Rebecca ad Isaac: Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: si acceperit Iacob vxorem de stirpe huius terræ, nolo viuere.

IN hoc capite non opus est singula verba exponere, tantùm igitur summatim rerum capita attingam. Primò igitur docet hoc caput Deũ in promissis suis veracẽ esse, & nũq̃ obliuisci quod semel promisit. Sic quod supra promiserat Rebeccę, quòd minor filius eius Iacob præponendus esset maiori, id nunc cõfirmat ac implere incipit, q̃uis sero, hinc confirmanda fides nostra. Deinde videmus in hoc capite, quòd ita implet Deus promissiones suas, vt oẽs mirari cogantur. Nihil minus sperare poterat Iacob, q̃ se benedicendũ, eo maximè tẽpore cũ pater decreuisset Esau benedicere, & tamẽ benedictio ipsi Iacob cõtigit. Econtra nunq̃ certior fuit Esau de benedictione accipiẽda, q̃ dũ pater sic ei loqueretur, & tamen tũc vel maximè perdidit eã. Sic & in aliis p̄missionibus implẽdis verè mirabilis est Deus. Nõ igitur desperemus si aduersa omnia fieri videmus. Nec ecõtra præsumamus si prospere res succedere videtur. Tertio videbimus in hac historia, quòd propositũ Dei nulla humana consilia impedire possunt. Quẽ enim ipse exaltare vel humiliare vult, is procul dubio exaltatur vel humiliatur, etiã si totus mundus contra niteretur, dominus decreuit, quis potest infringere? Decreuerat Iacob benedicere, Esau autẽ abiicere, hoc Isaac quantũcunq; cõtra niteretur impedire nõ potuit. Imo contra voluntatẽ suam eum benedixit quem Deus elegerat. Humiliemur igitur sub potẽti manu Dei, nec cõtra stimulũ calcitremus. Quartò videmus in hoc capite, quòd Deus aliquando etiã iustos sinit aliqualiter ignorare, falli, cadere, decipi, vt se agnoscant,

Gen. 25.

Esa. 4.

1. Pet. 5.

Act. 9.

Sic Isaac sanctus putabat benedictionem Dei in Esau implendam, sed longè fefellit eum sua opinio. Nullus enim homo purus (hoc dico propter Christum qui non homo tantum sed & Deus fuit) plenam habuit scientiam, & certissimam in omnibus veritatem. Vnde & Paulus: Ex parte cognoscimus, & ex parte prophetamus. Et Samuel ignorat quem è filiis Isai dominus elegisset in regem. 1.Cor.13.

Quintò, docet hæc historia quòd Deus aliquando paruis reuelat quæ magnis abscondit. Sic Rebeccæ reuelatur quod Isaac ignorabat. Hinc & Christus gratias agit, quòd humilibus & paruulis reuelata erāt quæ ignorabāt sapientes, &c. Sextò, videmus in hoc capite quod Deus etiam lapsus & humanos defectus in suis fert & dissimulat, dummodo caput, id est, fides, cor & animus, integrè persistat. Sic nō solum in Rebecca & Iacob, sed etiam in Isaac aliquos defectus videmus. non tamen ob id abiiciuntur, quia caput sanum erat. Et hoc igitur ad consolationem nostram pertinet, certò videntes quòd non propter quoscunque defectus statim abiiciamur, nisi ex malitia & incorrigibiliter peccemus, quomodo enim miseretur pater filiorum, misertus est dominus timentibus se, ipse enim cognouit figmentum nostrum. 1.Reg.16 Matt.11. Psal.102

Senuit autem Isaac & caligauerunt, &c.

De iusto hoc multa bona hic dicuntur; quæ & obseruatu digna sunt & imitatu: interim tamen nōnihil etiam imperfectionis in ipso videmus. Primò enim ad consolationem nostram pertinet, quòd etiam sanctus in senio amittit oculorum visum, ne quis ægrè ferat si simile quid etiam sibi acciderit. Ecce quibus non est iudicium vt biberent calicem domini bibentes biberunt, & tu innocēs relinqueris. Secūdò, ad doctrinam nostrā pertinet quod sanctus hic semper mortem ob oculos habet. Nosti, inquit, quòd senuerim & ignorem diem mortis meæ. Verè notatu dignum. Hinc sapiens: Memorare nouissima tua & in æternum non peccabis. Tertiò etiam hoc ad doctrinam pertinet, quòd ante mortem benedicere intendit filios, hoc est bona ipsis à Deo precari, superque ipsos inuocare nomen domini. Sciebat enim optimam hæreditatem esse si propitium ipsis Deum relinqueret, sine quo nihil Iere.49. Eccles.7.

Prou. 10. nihil prosunt æterna bona, benedictio enim domini diuites facit. Vtinam omnes hoc imitarentur, Sed & hoc imitatione dignum est, quod filium ad officia pietatis & obedientię instruit. Egredere, inquit, in agrum, &c. Non in se mala erat venatio, ideo permittit pater, alioqui non permisisset. Postremò quamuis & senio & cæcitate premeretur, nulla tamē vox indignationis ab eo auditur. Inter tot bona iusti huius hoc imperfectionis est, quod vincitur affectibus erga filium maiorem, quem contra ordinationem Dei præferre conatur minori. Verùm nihil mirandum, quòd affectus interdum imposuerunt antiquis illis patribus, cùm Christus dicat, quòd etiā hi qui loti
Ioan. 13. sunt opus habent vt subinde pedes lauēt, id est, affectus.

Quod cum audisset Rebecca, &c.

Etiam in hac muliere multa imitatu digna vidētur, horum primum est, fides inconcussa in verbum Dei. Meminerat fidelis mulier verbi quod ante quadraginta annos ipsi à domino dictum erat: Nempe maior seruiet minori, hoc verbum firmiter credebat, hoc memoriæ infixū habebat: vt vel hinc videamus quanta fide suscipiēdum sit verbum domini & retinendum. Deinde Rebecca filium ante omnia instruit ad benedictionem petēdam, felicem futurum rata, si benediceretur à sancto. Alię matres filios suos ad peccata educant, &c. Tertiò, quamuis sciret virum errare in eo, quòd contra voluntatem domini maiorem benedicere volebat: non tamen cum ipso iurgatur, non vi obsistit, sed latenter curat vt benedictio ei contingat quem Deus destinauerat. Denique omnibus modis curat ne senex pater deceptionem sentiens turbetur. Postremò officiosa est erga virum senem, cibos ei parando quibus libenter vescebatur. Interim tamen & si non peccauerit secundum aliquos virum decipiendo, & filium ad hoc instruendo, nonnullam tamen speciem mali habet. Adeo nihil ex omni parte beatum est, nec quisquam ex omni parte iustus.

Nosti quòd Esau homo pilosus sit, &c.

In hoc adolescente videmus primò timorem Dei, nam timet mentiri, timet patrem sanctum fallere, timet ne incurrat maledictionem, Nec id abs re, &c. Quàm terribile

enim

enim fit à sanctis maledici, ostendunt duo quinquagenarij illi ad Heliam missi, quos ignis de cælo deuorauit: Item pueri illi in Bethel, quibus maledixit Helisæus: & magis ille cui maledixit Paulus. Deinde etiam hoc laude dignum est in se Iacob, quòd quamuis sciret sibi deberi benedictionem primogenituræ, tamen non festinauit eam rapere propria temeritate. Imo nunquam tale quid attentasset nisi præmonitus, & quasi coactus à matre. Postremò commendatur & in hoc, quòd vbique patrem quàm officiosissimè alloquitur, eiq; in omnibus ad nutum seruit. Iuxta hoc tamen speciem mali habet, quòd semel atque iterum dicit esse Esau, quanquam & hoc excusari possit. Et si enim non fuerit Esau in persona, fuit tamen iure & priuilegio, ordinationeq; diuina primogenitus. Verum non oportet sanctos in omnibus excusare, nam & ipsi fuerunt homines. 4.Reg.1. 4.Reg.2. Actor.13

Statimq; vt sensit vestimentorum, &c.

Ex ipsa vestimentorum fragrantia iam sentiebat filium hunc suum à Deo benedictum esse, vnde & statim voluntatem suam diuinę conformans benedicere incipit, quantumuis dubitet quis ille sit. Tria autem ipsi precatur & optat bona, diuitias scilicet, honorem, pacem, quæ quáuis videantur tantũ esse externa bona, sunt tamen & ipsa verè Dei dona. Deinde sub externis hiis omniũ maxime spiritualia intelliguntur, quę verè bona sunt, sine quibus externa hæc nihil prosunt, imò magis obsunt.

Det tibi Deus de rore cæli, &c.

Primo omnium Deum nominat, vt filio inculcet Dei metum & reuerentiam, doceatq; omnia à Deo expectáda & quærenda. Addit de rore cæli & pinguedine terræ, ne ociosus & contempto labore expectet quando è cælo sibi subueniatur, Nam Deus promittit quidem se subuenturum, sed vt plurimum hoc facit per media. Optat autem ei abundantiam non ad luxum & superbiam, sed vt maiorem occasionem habeat benedicendi Deum, & subueniendi proximo. Pij enim homines quo plus accipiũt, eo magis in amore Dei & proximi inardescũt. Impij ecõtra, ideo impiis prę staret nihil habere, quàm multa. Vnde & Salomon precatur ne sibi det diuitias, ne forte satur obli-

Prou.30. obliuiſcatur Dei. Signanter autem dicit, det tibi: Ad ſolos enim iuſtos propriè pertinēt dona Dei, nam propter ipſos omnia creauit. Impij autem quia ea ad ſe rapiunt fures ſunt, ſuo tempore nedum omnibus bonis Dei ſpoliandi, ſed etiam æternis pœnis deputandi.

Seruiant tibi populi & adorent, &c.

Hoc verbo potentiam & ſuperioritatem ei precatur, non tam temporalis dominij, quàm honoris diuini, ſuper omnes gentes, prærogatiuam. Soli enim dicti ſunt & fuerunt peculium Iſraelitæ, ex quibus Chriſtus naſci deberet, quorum fides & ſacra eruditio omnibus gentibus futura benedictio erat. Signanter autem ei primogenituræ dignitatem adiudicat, cum dicit: Eſto dominus fratrum tuorum: quod tametſi longo poſt tempore impletū fuit, verè tamen impletum eſt, maximè tempore Dauidis, qui Idumæos ſubiecit. Poſtremo verbo omnes ad amorem iuſti excitat: Qui benedixerit tibi inquit, benedictionibus repleatur. Econtra omnes abſterret à perſecutione iuſti: Qui maledixerit tibi inquit, ſit maledict⁹. Has duas ſentētias alibi ſcriptura comprobat, nam & propheta dicit:

Zacha.2. Qui tangit vos tangit pupillā oculi mei. Et Chriſtus:

Luc.10. Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit. Hæc eſt benedictio ipſius Iacob, ſub qua omnium maximè ſpiritualia bona, imo Deum propitium optauit. hæc enim vera eſt benedictio. Cæterùm ſicut Iacob accepta benedictione, tametſi nihil earum rerum adhuc cerneret, certus tamen erat ſuo tempore implenda omnia. Sic & nos audito verbo Dei non dubitemus ſuo tempore omnia implenda.

Iſai.28. Qui credit, inquit, non feſtinet.

Vix Iſaac ſermonem compleuerat, &c.

In Eſau expreſſa eſt imago carnalium & mūdanorum. Primò enim quòd vxores accipit duas, ſignum eſt quòd voluptuariam vitam dilexit. Deinde quòd alienigenas ducit vxores, ſignū quòd mundi amicitiam quæſiuit, nihil curans Dei amicitiam. Tertiò, quòd vxores eius Rebeccam exacerbant, idque impunè, ſignum eſt quòd nec parentes magni æſtimauit. Quartò, quòd venator erat, ſignum eſt quòd externa tantùm quæſiuit. Et quanquam verbis & factis ſimulet ſe patrem colere, & ſpiritualia

alia quærere, reuera tamen tantùm seipsum quærebat. Quid igitur mirum quòd à benedictione paterna excidit, imo & à gratia Dei. Diuina autem prouidentia factū est vt non veniret Esau, donec Iacob ad plenum benedictus esset, ne quid mali Iacob pateretur à fratre. Qui enim post viginti annos adhuc eum persequebatur, quid fecisset si primo interuenisset. Sic nouit Deus suos custodire, Sic etiam nouit impiorum conatus impedire. Obserua item quòd magna bona Esau in breui tempore amiserit dum tardaret, adeo nihil est preciosius tempore: Nemo igitur in via Dei cesset. Breui tempore & magna cōsequi potes & amittere. Ideo Christus: Regnum cælorū, inquit, vim patitur. Et Paulus: Vitam nostram cursum appellat, &c. Matth. 11 1. Cor. 9.

Surge comede de venatione filij tui, &c.

Etiam Esau cibos præparauit, sed iam tempus præterierat, iam sententia lata erat, post finalē extremi iudicij sententiam. Nihil gratum Deo facere potest, qui tempore gratiæ ociosus fuit. Vnde & fatuis virginibus dicitur: Nō noui vos. Ideò rectè monet Paulus: Dum tempus habemus, operemur, &c. Et Isaias: Quærite dominum dum inueniri potest, &c. Quòd Esau luget & plorat se benedictionem amisisse, bonum quidem esset, si ex animo hæc faceret, & spirituale damnum deploraret. Verùm ipse tantùm temporalia deplorabat. Insupèr & fratrem omnibus modis inuidia grauare conatur. Iuste, inquit, vocatum est nomen eius Iacob, supplantauit enim me in altera vice, &c. Interim tamen mentitur Esau: Non enim Iacob vi abstulerat ei primogenita, sed ipse Esau vendiderat. Postremò cum videt se verā illam benedictionem amisisse, petit temporalem. Num vnam, inquit, benedictionem habes, quasi dicat: Non curo vnam illam benedictionem spiritualem, tantùm vt terrena omnia mihi prosperè cedant. In hiis igitur me benedic & contentus ero. Hęc est impiorum natura. Matt. 25. Galat. 6. Esai. 55.

Expauit Isaac pauore magno, &c.

Meritò miratur, manifestè videns Dei ordinationi neminem posse resistere. Expauit item ex consideratione inscrutabilis iudicij Dei, quo minorem filium elegerat,

maiore

maiore abiecto. Sic pij homines ad omnia Dei opera mirantur, & ad omnia eius iudicia expauescunt. Nec ob id irascitur Iacob. Videbat enim omnia consilio Dei sic euenisse. Deinde non improbat factum, non reclamat, nõ retractat, sed Domini voluntatem agnoscens, rata habet omnia, & per omnia diuinæ cedit voluntati, seipsum suosque affectus ad maiorem filium vincens. Sic faciendum
Matt. 26. dum Christiano homini, vt verè dicere posit: Fiat voluntas tua.

Dominum tuum illum constitui, &c.

Nihil adhuc huiusmodi bonorum habebat Iacob, & tamen certus erat pater omnia hæc ipsum consecuturũ. Ideo tam apertè pronunciat: dominum, inquit, tuũ iam illum constitui, &c. sic fideles certissimi sunt de promissionibus Dei, etiam si non statim veniant. Deinde quasi in summa hoc verbo comprehendit benedictionem piorum. Sic enim benedicti sunt pij benedictione irreuocabili, vt domini sint huius mundi & principum illius, id est, omnis creatura eis seruiat, nulla re necessaria ad corporis & animæ salutem careant: pane verbi Dei stabiliantur, & vino exhilarante conscientia, id est, spiritu sancto.

In pinguedine terræ & rore cæli erit, &c.

Quasi dicat: In bonis temporalibus non eris fratri tuo inferior, cælum & terra non tibi negabunt officiũ suum, Deus enim solem suum oriri facit super bonos & malos,
Matth. 5. & pluit etiam super iniustos. Nihil igitur aliud carnali homini hiis verbis promittit, quàm saturitatem ventris, id quod carnales maximè quærunt, vt quorum Deus venter est. Hinc Esau hoc audito non amplius plorat. Quòd autem subdit: In gladio tuo viues, non præcipientis est sed prædicentis: filij enim Esau fuerunt bellicosi. Quòd
2. Par. 21 autem in fine addit: Veniet tempus cum excutias iugum eius, hoc impletum est tempore Ioram filij Iosaphat, tũc enim recessit Edom ne esset sub ditione Iudæ.

Oderat ergo Esau ipsum Iacob, &c.

Post acceptam benedictionem statim tentatur Iacob, persecutionem patitur, denique effugatur è domo patris, vt cogitare posset quis, nihil illi profuisse benedi-
Iob. 21. ctionem, imo obfuisse (Sic enim impij dicunt: Quid nobis

bis prodest si orauerimus Deum,&c.Item seruiamus diis *Iere.44.*
alienis, melius enim nobis erat tunc quàm nunc) Iacob
autem sciebat Deũ sic agere cũ suis, quasi videatur promissionum oblitus,cum tamẽ nunquã obliuiscatur.Summa quantumcunque videatur ipsi Iacob benedictionem obfuisse,tamen finaliter profuit.Econtra quantumcunq; Esau videbatur nihil perdidisse, verè tamen multa perdidit.Hæc ideo scribuntur vt non deficiamus,si aduersa & diuinis promissionibus contraria nobis contingant. Item ne superbiamus si malè viuentes prospera cuncta habeamus.Sed ad textum. Oderat inquit Esau,hic se prodit impietas cordis ipsius, quã hactenus pulchrè dissimulauerat. Hic videmus fictas fuisse lacrymas eius,vnde & merito,vt Paulus ait,pœnitentiæ locum non inuenit.Primo enim contra fratrem irascitur, nec simplici aut temporaria ira,sed ea quæ vertebatur in odium.Deinde vias quærit vindicandi. Sic enim caro in odium eorum qui suis obstant conatibus exardescit, vt plusquam hostilia meditetur. Vult sibi bene esse caro,vel cum alterius iactura:Præterea non cogitat Esau diuina prouidentia sic factum,nec se huiusmodi commeruisse,sed tantũ quid frater fecerit considerat. Eodem modo Saul Dauidi inuidebat regnum,cum sciret Deum hoc ordinasse,& se commeruisse vt regnum amitteret. Nihil tamen horum cogitauit,nec Dei prouidentiam,nec suum peccatum. Insuper Esau quia iure non poterat retrahere benedictionẽ, ad vim se accingit: sic impij faciunt. Denique fratrem non tantùm persequi sed occidere cogitat. Sic enim omnes impij sanguinarij sunt. Exemplum de Caim. Ad hæc etiam patris mortem desiderat: Venient,inquit,dies luctus patris mei, & occidam fratrem, &c. Vel vt alij exponunt: faciam patri meo luctuosos dies; occidam enim fratrem meum quem ipse nunc benedixit. Omnia autem hæc celat donec occasio se offerat: dixit,inquit, in corde suo,&c. Hoc est hypocrisis & duplicitas cordis in impiis. Ex omnibus hiis videmus etiam stultitiam ipsius Esau,ex eo quód benedictionem amissam malis mediis. imo peccata peccatis addendo, recuparare nititur, cum per hæc magis incurratur maledictio.

Hebr.12. *Genes.4.*

Non

Non malefactis, sed benefactis benedictio Dei requiritur.

Nunciata sunt hæc Rebeccæ, &c.

Psalm.2. Fremũt impii & mala machinantur in pios. Sed qui habitat in cælis irridebit eos, &c. Sic malos conatus Esau Deus impedit per Rebeccam. Alioqui nisi Deus malorũ conatus impediret quid non mali facerent? Obserua autem hic diligentiam matris circa filios, cum enim tam cito malos conatus Esau deprehendit, signum est quòd filiorum & verba & mores & gestus diligentissimè considerauit. Deinde maiora mala vtrique filio præcauere studet, ne scilicet Esau plus peccet, & ne Iacob mali quid patiatur. Est & hoc signum prudentiæ, quòd nõ manifestè ipsum Esau arguit, vel coram patre accusat, ne vel patrem senem molestia afficiat, vel ipsum Esau plus exasperet: occultè igitur omnia agit.

Ecce frater tuus minatur vt occidat, &c.

Nõ hæc suadet quasi dubitet de promissione Dei, sed humanis mediis vtitur ne tentet Deum. Et qui fidem Rebeccæ dederat, hanc quoq; pro filio sollicitudinem dedit. Quid autem sollicitudo piorum parentum pro filiis,

2.Cor.11 sollicitudo Pauli pro omnibus ecclesiis, aliud est, quàm charitas Dei & proximi. Electis autem verbis vtitur mater, vt filio persuadeat. Primò, periculum ei ob oculos ponit, deinde inquit: Ad Laban fratrem meum, quasi dicat, non ad extraneos te mitto, sed ad fratrem. Tertiò addit, non multos sed paucos dies habitabis cum eo. Quartò, spem dat fratris furorem breui cessaturum. Quintò addit, mittam & reducam te. Sextò, orbitatem suam allegat. Cur, inquit, vtroque orbabor filio in vno die.

Tædet me vitæ meæ propter filias Heth, &c.

Prudẽtia mulieris etiã hic cõspicitur, quòd causam honestã meditatur & allegat corã patre Ne quoquo modo suspicetur quòd propter Esau fugere velit filiũ, nimirum vt pius pater non turbetur & tristitiam super tristitiã habeat. O proba mulier. Cõmendatur & illud in Rebecca, quòd non vult filium suũ cum gentibus idololatris cõm

Gen.24. misceri, quẽadmodum Abraham fecerat. Sic igitur Esau

causa

causa est quod Iacob exulare cogitur, sed per hoc eum ad magna bona promouit. Sic enim impiorum conatus in bonum fidelibus cedũt. Nemo igitur grauiter ferat si ab impijs patitur. Primò enim impij sibiipsis maius damnum inferunt, deinde sua malitia pios promouent ad eorum vtilitatem.

ALLEGORIA.

In hac historia pulchrè præostēsum fuit quid Christus in mundo acturus esset cum Iudæis & gentibus, vsque in finem mundi. Isaac Christum præfigurat, Esau Iudæos, Iacob autem gentes præfigurauit. Isaac speciali quodã modo dilexit Esau, & Christus Iudęos. Vnde & de ipsis carnem sumpsit, Iudæos in primis benedicere voluit. Quoties volui congregare filios tuos, &c. In senectute, id est nouissima ętate mundi ipsos vocauit, ac cibum ab eis petiit, eum scilicet de quo dicit: meus cibus est vt faciam voluntatem patris. Vocauit, inquit, eos ad pœnitentiam. Desiderabat veros pietatis fructus ab eis, verùm illi cessabant, non curabant, egrediebantur foras necdum reuersi sunt. Interim minor frater, gentilitas, intrauit & benedictionem reportauit. Non autem propria præsumptione intrauerunt gentes, hoc enim nunquam ausi fuissent, sed persuasi à matre, gratia scilicet vel scriptura per Apostolos prædicata, non autem vacuis manibus intrauerunt, sed eum cibum attulerunt Christo, quem diu à Iudæis expectãuerat, Veram scilicet fidem per opera bona se exerentem. Hunc cibum non foris in mundo, sed intus in domo conscientiæ inuenerunt. In me sunt Deus vota tua, &c. Attulit duos hœdos gentilitas, id est, pœnitentiam & confessionem. Pelles ligatas habet circum manus & collum, id est, memoriam præteritorum peccatorum semper ob oculos habet ne superbiat. Vestes Esau induit, scilicet stolam primam quam habemus in lauacro. calciamenta pedum, quæ sunt antiquorum virtutes & exempla sanctorum. Annulum quoque, fidei signaculum, cæterasque virtutes pœnitentium, quæ magni & suauissimi odoris sunt coram Domino. vel vestes Esau, sunt testamenta, adoptio, promissio, Iudæis facta. Hæc nunc ad gentes transierunt, vt qui aliquãdo non populus Dei,

Mat. 23.
Ioan. 4.
Psal. 55.

1.Pet. 2. nunc autem populus Dei sunt. Odor bonus vestimentorum, significauit bonum odorem Ecclesiæ è gentibus congregandæ, circumquaque diffundendum. Ergo quia gentilitas hoc modo intrauit, benedictionem patris meruit. Hæc benedictio in duobus consistit, in rore cœli & pinguedine terræ, id est, in gemino munere spiritus sancti, altero quod est in remissionem peccatorum, quo vero rore cœli, innouatur facies orbis: Altero quod est diuersarum distributio gratiarum, quo ditescimus in omnibus, vt in vlla gratia nihil nobis desit. Deniq; hoc consecuta est Ecclesia gentium, quòd cum Christo capite suo dominatur & regnat super omnia. Postremò ita stabilita est in bono, vt qui ei maledixerit maledictionem incurrat. Qui tangit, inquit, vos, tangit pupillam oculi mei. Econtra Iudæi & si cito post ascensionem domini plangentes & eiulantes, & sacrificiorum cibos ingerentes, senserint se benedictionem Dei amisisse, Nondum tamẽ eam receperunt. Nec enim mouetur pater eorum intempestiuis lachrymis, sed vel inuiti seruire coguntur minori fratri, id est, Ecclesię. Veniet tamen tempus cum iugum hoc excutient, cum scilicet conuersi fuerint ad Christum in fine mundi. Cum intrauerit, inquit, plenitudo gentium, tunc omnis Israel fiet saluus.

1.Cor. 12

Zach. 2.

Isa. 1.

Caput vicesimum octauum.

Vocauit itaque Isaac Iacob, & benedixit eum, præcepitque ei dicens: Noli accipere coniugem de genere Chanaan: sed vade, & proficiscere in Mesopotamiam Syriæ, ad domum Bathuel patris matris tuæ, & accipe tibi inde vxorem de filiabus Laban auunculi tui. Deus autem omnipotens benedicat tibi, & crescere te faciat atque multiplicet: vt sis in turbas populorum. Et det tibi benedictiones Abrahæ, & semini tuo post te: vt possideas terram peregrinationis tuæ, quam pollicitus est auo tuo. Cumque dimisisset eum Isaac, profectus peruenit in Mesopotamiã Siriæ ad Laban filium Bathuel Syri, fratrem Rebeccæ matris suæ. Videns autem Esau quòd benedixisset pater suus Iacob, et misisset eum in Mesopotamiam Syriæ, vt inde vxorem duceret: & quòd post benedictionem præcepisset ei, dicens: Non accipies vxorem de filiabus

Chanaan

Chanaan: quodq; obediens Iacob parentibus suis isset in Syriam: probans quoque quòd non libenter aspiceret filias Chanaan pater suus: iuit ad Ismaelem, & duxit vxorem absque iis quas prius habebant, Maheleth filiam Ismael filij Abraham, sororē Nabaioth. Igitur egressus Iacob de Bersabee, pergebat Haran. Cumque venisset ad quendam locum, & vellet in eo requiescere post solis occubitum, tulit de lapidibus qui iacebant, & supponens capiti suo, dormiuit in eodem loco. Viditque in somnis scalam stantem super terram, & cacumen illius tangens cælum: angelos quoque Dei ascendentes & descendentes per eam: & Dominum innixum scalæ dicentem sibi: Ego sum Dominus Deus Abraham patris tui, & Deus Isaac. Terram in qua dormis, tibi dabo & semini tuo. Eritque semen tuum quasi puluis terræ: dilataberis ad Orientem, & Occidentem, & Septentrionem, & Meridiem: BENEDICENTVR IN TE & in semine tuo cunctæ tribus terræ. Et ero custos tuus quocunque perrexeris, & reducam te in terram hanc: nec dimittam nisi compleuero vniuersa quæ dixi. Cumque euigilasset Iacob de somno, ait: Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Pauensque, Quàm terribilis est, inquit, locus iste? non est hic aliud nisi domus Dei, & porta cæli. Surgens ergo Iacob manè, tulit lapidem, quem supposuerat capiti suo, & erexit in titulum, fundens oleum desuper. Appellauitq; nomen vrbis Bethel, quæ prius Luza vocabatur. Vouit etiam votum, dicens: Si fuerit Dominus mecum, & custodierit me in via per quam ego ambulo, & dederit mihi panem ad vescendum, & vestimentum ad induendum, reuersusque fuero prosperè ad domum patris mei: erit mihi Dominus in Deum, & lapis iste quem erexi in titulum, vocabitur Domus Dei: cunctorumque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi.

IN hoc capite Moses historiam sancti Isaac concludit, vel potius relinquit (infra enim de morte eius mentionem faciet) & historiam Iacob incipit, quæ & vsque ad finem libri huius protenditur. Multa enim de hoc sancto viro scribit Moses, quia multa cum eo operatus est Deus multisq; tribulationibus eum probauit, & probatum inuenit. Adeo vt vnus hic vir omnibus esse posset exemplum veræ pietatis. *Infr. c. 35*

Vocauit ergo Isaac Iacob & benedixit his verbis.

Historiam Isacci concludit Moses : Est autem verè pia conclusio. Quid enim aliud potest pater carnalis, quã vocare, benedicere, & præcipere filiis suis. Pulchrè autem etiam ordinem seruat Isaac: Antequã enim filio præcipiat, & graue illud præceptum imponat, prius eum vocat & benedicit. Nimirum vt Iacob videns ex vocatione & benedictione bonam patris voluntatem, promptius obediat, alioqui putasset se ex indignatiõe ablegari, propterea quòd patrem fefellisset. Igitur prudens pater suspicionem hanc primò omnium studet eximere filio. Timebat Iacob accedere patrem, ideo eum vocat vt securè accedat. Timebat item Iacob ne pater benedictionem reuocaret, etiam huic timori occurrit pater, & de nouo eum benedixit, prioremque benedictionem confirmat, omnia hæc in hunc finem, vt filius promptius obediret.

Psal. 102 Eodem modo nobiscum agit Deus: Quomodo miseretur, inquit, pater filiorum, misertus est dominus timentibus se. Antequã enim nobis quicq̃ præceperit, ipse prius nos misericorditer vocauit, & benedixit omni benedictione spirituali, &c. Quis igitur non promptè ei obediret. Amandat autem Isaac filium, non tantùm vt calor iuuentutis & vehementia dometur, vtque multorum hominum mores exploret, atq; in multis exerceatur, qua ratione mundani suos filios amandare solent, sed maximè ob id eum amandat, vt longè à Chananęis separetur, ne se immisceat illis qui olim omnes delēdi erant. Noli, inquit, accipere coniugem vxorem de filiabus Chanaam, &c. Quod exemplum vtinam & nos imitemur. Scimus & nos sententiam latam super principem mũdi & regnum eius, quare longe nos ab eius regno separare deberemus, &

Apoc. 18. quotquot possemus eripere, iuxta illud: Exite de ea populus meus, è Babylone scilicet.

Deus autem omnipotens benedicat, &c.

Hoc commeatu pius pater filium peregrinaturum instruit. Nulla hic pecuniæ, equorum, aut comitum mẽtio. Sciebat pius pater Deum esse optimum & nutritorem & conductorem. Ideo filio Deum optat, nec simpliciter, sed Deum omnipotentem, imo Deum Scadai, id est, omni sufficientem. Mundanus homo hæc paruifaceret, plusque confide-

consideret in pecuniis & comitiua, sed pius longe aliter sentit. Signanter autem Isaac filio optat benedictiones Abrahæ factas, de quibus supra ca. 12. 15. 17. Nihil autem melius ei optare potuisset pro salute vtriusque hominis. Hæc igitur sunt quæ vltimo dicit de Isaac verè notatu dignissima. Ostendunt enim ingentem & mirabilem fidem sancti viri, deinde etiam veram & ordinatam charitatem erga filium. Non enim carnalia ei tantùm quærit, sed maximè spiritualia.

Videns autem Esau quia pater suus, &c.

Aliqui hoc factum ipsius Esau in bonam partem accipiunt, vt sit modestiæ & verecundiæ exemplum. Victus enim Esau mansuetudine & commoditate patris, toleran tiaque fratris mitescit, ac si sic cogitet: Si pater tam dilectum filium Iacob quem mihi præposuit, cuique benedixit, amandat (cum te potius amandare debuerat) dumtaxat vt tibi consulat: cur tam benignum patrem offenderes, cur quod ei displiceret post hoc faceres, &c. Hoc modo Paulus vult, vt in bono & benefactis vincamus ma los. Alii hoc factum Esau in diuersum exponũt: voluntq; quòd hoc fecerit aut tanquam insipiens, aut vt verè stultus. Nam si tœdium matris, aut offensionem paterni animi lenire voluit, insipientiæ fuit hoc pacto id facere velle, & hac intentione ; inconsultis parentibus ad feruilia declinare tabernacula, quod erat cum eiectis exire foras. Sic nempe Sara dixit: Eiice ancillam & filium eius, &c. Si autem quia parentibus quoque propter Iacob iratus erat, hoc fecit vt eos amplius offenderet, verè stultus fuit, imo impius. Vtrolibet modo coniugia sua cum offensione parentum triplicauerit, excusationem non habet, quia simul insipiens & stultus peribunt. Sic & Iudæi qui & prius propter traditiones hominum traditiones Dei reliquerunt, & postea persequentes Christum & discipulos eius, amplius in Ismaelem degenerarunt, vtrolibet modo id faciant, siue per insipientiam, siue per stultitiam, excusationem non habent de peccato suo.

Rom. 12. *Gen. 21.* *Ioan. 15.*

Igitur egressus Iacob de Bersabee, &c.

Hic redit ad historiam ipsius Iacob: in cuius exordio videmus tria illa, in quibus maximè consistit vita Chri-

ſtiana, fidem ſcilicet, obedientiam, & crucem: fidei eſt, quòd paternæ benedictioni innixus proficiſcitur, nihil dubitãs Deum ſecum futurum: obediẽtiæ eſt, quòd nihil cauſatur ſe in tam longinquam regionem amandari, ſed ſimpliciter obedit patri. Vtinam tota vita nos ad eã perfectionẽ peruenire poſſemus, quam Iacob in ipſo ſtatim exordio oſtendit, non verbis, ſed re ipſa. Statim tamen et adeſt crux, piis hominibus peculiaris, nec qualiſcunque
Eccleſ. 2. ſed grauiſsima, vt verum ſit illud Sapientis, filia ccedens ad ſeruitutem Dei, præpara animam tuam ad tentationem, &c. Pulchrè autem peregrinationem iuſti huius deſcribit. Primò, inquit, egreſſus eſt, omnia poſt ſe relin-
Gene. 12. quens, quemadmodum Abraham fecerat, & Chriſtus do-
Matt. 19. cet, deinde nullam hic facit mentionem iumentorum aut comitum, qui eum comitarentur, & viæ laborem leuarent, ſed tantùm, egreſſus eſt, inquit, nimirum illud ſecum cogitans quod Dauid dicit: Hi in curribus & hi in equis,
Pſal. 19. nos autem in nomine domini ambulabimus. Potuiſſet quidem & iumenta & comites habere: non enim adeo tenuis erat, imo patrem diuitem habebat, tamen vt infra dicit, in baculo tantùm vno tranſiuit Iordanem, nimi-
Gen. 32. rum vt perfectum ſe peregrinum oſtenderet in hoc ſeculo, quemadmodum Paulus declarat ad Hebræos. Per hoc
Heb. 11. autem oſtenſum eſt, quòd ad poſsidendam hæreditatem Dei non pompaticè ſed humiliter ingrediendum eſt. Præterea tota die ambulabat vſq; ad occaſum ſolis. Denique non quærit lauta hoſpitia in ciuitatibus, quaſi iam tunc præferens contemptum mundi & voluptatum, id quod maximè ex eo apparet, quòd ſuper nudam humum cubat, capiti ſuppoſito lapide. Vtinam hinc iuuentus diſceret aſſueſcere ad laborem ad opus ad tolerantiam, vt corpus duretur, ne molles & euirati euadant.

Vidit in ſomnis ſcalam, &c.

Pſal 33. Hic videmus quàm verè dictum ſit: iuxta eſt dominus hiis qui tribulato ſunt corde. Statim autem in principio adeſt dominus, alioqui quomodo tantas tentationes ſu-
Pſalm. 9. ſtinere potuiſſet iuſtus ille. Eſt igitur adiutor in opportunitatibus. Erat eo tẽpore Iacob maximè timidus propter alium fratrem qui cõfœderatus erat cũ Chananæis, opus

opus igitur hababat copiosa consolatione. Videmus hic quibus contingât somnia sancta, Nempe hiis qui corpora sua negligunt, parco victu nutriunt, ad delicias non assuefaciunt, molliori strato non subiiciûtur, profundo somno non obruuntur. Videmus item eos potissimum Deo curæ esse, qui præsentia contemnunt, depositisque seculi oneribus nudi & exonerati ad destinatum tendût. Vigilantque & in omnibus laborant & sobrii sunt, nihil se iudicantes scire nisi Iesum, & hunc crucifixum: & cum 1. Cor: 2. Apostolo dicentes: non habemus hic manentem ciuitatem, &c. Illis porta cœli aperitur, & scala hæc ostẽditur. Heb. 13. Tria autem vidit iustus hic, Scalam, Angelos, & Deum ipsum. Conueniens visio, omnibus iusti aduersitatibus occurrens. Tria eum grauabant: Primò, quòd peregrinus in aliena terra omnibus incognitus erat. Contra hoc ostenditur ei scala è terra ad cœlum vsque pertingens, quasi dicat Deus: Noli ob hoc sollicitus esse, quòd peregrinus es in terra, en tibi parata via ad cœlum. Quid igitur tibi nocebit si nihil habeas in terra, dummodo cœlum tibi apertum sit? Verè ingens consolatio. Deinde iustum grauabat quòd longè à parentibus abesset, contra hoc Deus seipsum ei ostendit, quasi dicat; Quid obest etiam si longe à patre carnali sis, dummodo ego tibi pater sum. En assum tibi, &c. Postremò vel maximè eum sollicitabat odium fratris, contra hoc videt angelos in scala illa, quasi dicat Deus: fratrem & homines habes aduersarios, sed angeli tibi sunt amici, plures tecum sunt, 4. Reg. 6 quàm cum fratre, quid igitur times, Signanter autem vidit Angelos non ociosos, sed ascendentes & descendentes. Descendunt ad ministerium nostrum, iuxta illud Psalmi: Angelis suis mandauit de te, &c. Ascendunt Psal. 90. autem vt Deo orationes nostras præsentent, vt in libro Thobiæ legitur. Verè igitur dicere potuit sanctus Thob. 12. hic cum Dauide: Secundum multitudinem dolorum Psal. 93. meorum in corde meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Videmus etiã quàm bonus sit Deus sperantibus in se, animæ quęrenti illum. Verè magna Dei dignatio, vt meritò pius quisque dicat: Domine quid est homo quod memor es eius. Itemque: Non est similis tui Psal. 18.

Hh 4 domine.

Ioan. 10 domine. Quis non timebit te rex sanctorum? Angelos in nostrum obsequiũ destinat, seipsum offert, deinde post hanc vitam ad cœlum nobis iter aperit: Quid amplius debuit facere quod nõ fecit? Hęc tria nedum iusto huic, sed & omnibus piis omnia dura & aduersa leuia fecerũt. Actor. 5. Adeo vt Apostoli etiam gaudentes irent à cõspectu concilii, quòd digni habiti, &c.

ALLEGORIA.

Scala hæc primo præfigurauit posteritatem ipsius Iacob, quæ nedum in longum protrahenda erat, sed etiam in altum eleuanda, vt nulla talis esset natio super terram, Deut. 4. imo in tantum eleuanda erat, vt ex ipsa prodiret qui cœ- Psal. 147 lum suis aperiret. Gradus huius scalæ sunt generationes Matth. 1. illæ quas Matthæus enumerat, Abraham inquiens genuit Isaac, &c. Supremus huius scalæ gradus cui & dominus innixus fuit, est Ioseph vir Mariæ, de qua natus est Christus, Huic inquam innixus est dominus, cũ huius paterna ope & pia vectatione indigens vteretur Deus incarnatus, de loco ad locum fugiens, Herode persequente. Latera huius scalæ sunt boni & mali huius generationis, In dextro latere sunt Abraham, Isaac, Iacob, Dauid, &c. In sinistro Roboam, Achar, Amon, Zechonias, &c. Scala hæc vsque ad cœlum pertingit, quia vsque ad incarnationem filii Dei generatio hæc peruenit. Deus innixus fuit scalæ, quia semini Abrahæ diuinitas se coniunxit, in vnitatem personæ. Angeli descendentes significabant hoc mysterium incarnationis patribus manifestandum, Ascendentes Angeli præfigurabant patres fide, deuotione, & gratiarum actione ascensuros in Deum. Secundò, per scalam præfiguratum fuit mysterium incarnationis Christi. ipse enim est scala, cœlestia coniungens ter- Ioan. 14 renis, qua sola ascendimus in cœlum. Nemo inquit, ve- Ioan. 10. nit ad patrem, nisi per me. Ego sum via. Item: Ego sum ostium. Extra hanc scalam non est salus, vt Petrus ait Actu. 4. Scala hæc cœlum & terram tangit, quia Christus Deus & homo est, mediatorque Dei & hominum. Mat. 17. huic scalæ innixus est Deus. Hic est, inquit, filius me- Ioan. 6. us dilectus, in quo mihi complacui, hunc signauit Deus per

per hunc nos gratos,&c. In hac scala angeli ad nos descendunt, nosq; ascendimus. Per Christum enim angeli fratres nostri effecti sunt: vel angeli in scala sunt prædicatores Christum prædicantes, hi ascendunt & descendunt, prædicant enim Christum Deum & hominem. Ascendentes dicunt, In principio erat verbum, descendentes autem, Verbum caro factum est. In hac scala videtur & loquitur Deus. Deum nemo vidit vnquam, vnigenitus filius enarrauit nobis. Scala hæc nõ ab omnibus neq; vbique videtur, non in domo patris, nõ in die. Sic Christus cognoscitur ab iis tantùm, qui rationis oculos claudunt, qui dicunt: Pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me.

Ephe.1. *Ioan.1.* *Ibidem.* *Iohan.16*

TROPOLOGICE.

Scala hæc vitam Christianam adumbrat, quæ in terra quidem consistit, sed cœlum tangit. Dicunt enim pii: Nostra conuersatio in cœlis est. Duo latera scalæ sunt corpus & anima, quorum vtrumque ad cœlum erigendum est, alterum enim non sufficit. Gradus scalæ sunt virtutes & opera pœnitentiæ, quibus ascenditur ad perfectionem. Deus in somno cõspicitur, quia intentio semper in Deum dirigenda, & semper ob oculos habendus Deus, si consurrexistis inquit cum Christo, quæ sursum sunt quærite, &c. In hac scala nihil aliud nisi angeli sunt: Et vita Christiana angelicæ quàm simillima esse debet. Non ociantur autem angeli, sed ascendũt & descendũt. Sic pii per contemplationem ascendunt, per charitatem descendunt ad proximos. Talis esse debet vita Christiana, tunc enim certò nos ad cœlum perduceret, &c. In illa visione etiam pulchrè præostensa fuit hominum oscitantia in rebus spiritualibus. Excellentem visionẽ vidit Iacob, sed nihilominus dormit, vidit schalam sed nõ ascendit. Sic spiritus per fidem agnoscit Deum vnum ac solum esse moderatorem omnium rerum, & ad eum nobis esse proficiscendum, sed nihilominus dormitat caro, gradusque virtutum segniter ascendit, etiam si in cœlo niti scalam videat dominumq; præstolari, sibi enim perpetuo similis est caro. Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.

Phil. 3. *Col. 3.* *Matt.26.*

Ego sum Deus Abraham,&c.

Nedum externa visione,sed etiam allocutione iustum consolatur Deus, vnde primò patet quantam curam pro suis gerat. Deinde quod Iacob non paruas tentationes habuit,alioqui quid opus fuisset tam copiosa cõsolatione. Non frustra loquitur Deus. Sunt autem verba hæc cõsolationis plenissima, quæ etiã in media morte & desperatione animum addere possent,quare diligenter attendenda sunt. In primis tamen obserua, quod hæc non dicunt ad sanguinolentum illum & hispidum Esau, sed ad Iacob peregrinum eiectum,afflictũ,mundi contẽptorem,peccati supplantatorem. Qui talis est etiam ipsi verba hæc dicta sciat,maximè quod ad spirituales promissiones attinet. Singula item verba Emphasim quandam habent. Primo, ego inquit sum Deus, quo verbo præmunit eum ne dubitet,quasi dicat,quæ dicturus sum Dei verba esse scito non hominis, quare firmiter crede. Secundò,ego sum Deus Abraham, &c. hoc verbo ipsum admonet omnium bonorum,quæ parentibus suis fecerat Deus. Ideo autem admonet, vt & ipse discat fidem & exempla patrum imitari,quasi dicat. Ego sum qui tanta præstiti patribus tuis, imitare eos, & ero etiam tuus Deus. Ob easdem causas etiam scriptura nos admonet bonorum quæ veteres illi à Deo acceperunt. Cæterùm ex hoc verbo Dauid plures psalmos confecit, vt cum dicit: In te domine sperauerunt patres nostri, sperauerunt & liberasti eos. Item, Deus auribus nostris audiuimus, patres nostri annunciauerunt nobis,&c.

Psal. 2. *Psal. 43.*

Terram in qua dormis tibi dabo.

Nedum de præteritis eum consolatur, sed etiam de futuris promittit, & nedum corporalia, sed etiam spiritualia. Hæc autẽ prima promissio pertinet ad filios carnales ipsius Iacob, quibus terra ea data est, vt patet in libro Iosue. Habent autem etiam hic singula verba emphasim. Hanc inquit terram in qua nunc vt peregrinus dormis, Imo è qua nunc exire cogeris, tibi dabo, nam mea sunt omnia. Ego inquit dabo: alii à seipsis eam rapiunt, sed frustra. Vbi Deus non dat,illic nihil diu manet. Rapiebat Nabuchodonosor omnia regna, sed

contra eum dicitur. Væ qui rapit non sua, &c. Tibi inquit dabo, piis omnia creata sunt, & quamuis etiam impii creatis vtantur, tamen inde rationem reddituri sunt. Qui impius est, nec terra, nec aere, nec aqua dignus est, &c. Addit, & semini tuo, vt vel hinc videamus quod etiam Deus temporalia suis dat, licet non sola. Deinde quòd etiã filiis benefacit propter pietatẽ parentũ. Vt videas inquit q̃ gratus sis mihi, etiã filiis tuis benefaciam. *Abac. 2.*

Dilataberis ad orientem, &c.

Hoc pertinet ad semen fidei. In Christo enim & apostolis semen, id est, fides ipsius Iacob in quatuor partes mundi dilatata est, id quod prophetæ in multis locis prę dixerunt, vt Esa. 2. & 60. Zach. 8. cap.

Et benedicentur in semine tuo, &c.

Hæc promissio ad Christum pertinet, huius promissionis nunquam obliuiscitur, quia omnium maximè necessaria est. Ideo eam nunc quartò renouat. Primo enim Adę hoc pollicitus est, deinde Abrahamo, Tertiò Isaaco *Gen. 3. et* hic & huic renouat, promittit autem ex semine Iacob *12. & 26* venturum, qui maledictionem auferret & benedictionem reportaret, idque non vni populo, sed omnibus gentibus, nõ quod omnes homines credituri essent, sed quod omnibus oblata est gratia, & quod ex omnibus gentibus aliqui crediderunt. Addit insuper.

Eróque custos tuus quocunque perrexeris.

Non solum futura promittit, sed etiam præsentaneum auxilium: & non solum spiritualia, sed etiam corporalia. Ego inquit ero custos tuus, verè magna dignatio. Hinc Dauid confidenter dicit: Leuaui oculos meos in *Psal. 120* montes, &c. Auxilium meum à domino, &c. Ecce non dormitabit, &c. Signanter addit Deus, quocunque perrexeris, quod & Dauid in alio psalmo magnificè confitetur. Si ascẽdero inquit in cælũ tu illic es. Si descẽdero *Psal. 138.* ad infernũ ades, &c. Addit, & reducã te, ad pleniorẽ cõsolationẽ. In fine etiã hoc subiicit, nõ dimittam te, &c. hoc vel maximũ est. Alioqui nisi Deus nos teneat, facilè homo à Dei pmissionibus excidere potest. Id quod in Saule videmus & Iuda traditore. Vides igitur quę & quanta Deus suis pmittat. Hæc sunt de quibus Dauid loquitur.

Audiam

Psal. 84. Audiam quid loquatur in me dominus. Item, Auditui meo dabis gaudium & lętitiam,& exultabunt ossa humiliata. Meritò igitur & nos cum Ieremia exclamamus.
Psal. 50. Non est similis tui domine,magnus es tu,&c. Quis non
Hier. 10. timebit te Rex gentium.

Cumq; euigilasset Iacob de somno.

Quàm diu iacet & dormit,magna quidem vidit & audit, sed nihil loquitur. Sic quamdiu nos in nocte huius mundi dormimus,& somniis rerum temporalium occupamur,quantumcumque audimus de spiritualibus, nunquam tamen ad bonum promouemur. Cum autem ex huiusmodi somno euigilamus,tunc ad omnia bona properamus.ideo Paulus monet:Surge qui dormis,&c. Atque
Ephe. 5. vtinam tempestiuè & mane surgamus sicut Iacob. Sunt enim aliqui tam profundo somno occupati qui nunquã euigilant, donec tempus gratiæ prætereat. Obseruandum quòd si Iacob quàm primum è somno surgit, diem auspicatur à laude Dei,& gratiarũ actione, oratione denique & cultu Dei. Non igitur mirum quòd omnia ei
Matt. 6. prosperè cesserunt. Nam Christus dicit:Quærite primũ regnum Dei,& iustitiam eius, & hæc omnia adiicientur vobis. Signanter autem iustus ille è somno experrectus recolit secum visionem illam,Imo Dei visitationẽ quam in somnis viderat,quo docemur vt & nos diuitias consolationis & visitationis nõ negligamus,ne nobis quoq;
Matt. 23. dicatur: Quoties volui congregare filios tuos & noluisti,ecce relinquetur domus vestra deserta. Itemq; Au-
Matt. 21. feretur à vobis regnum Dei,& dabitur genti,&c.

Verè Dominus est in loco isto,&c.

Sensus est: Putabam me solum esse in campo, ab omnibus derelictum, & ecce video mecum esse Deum & angelos.Item putabam humano iudicio Deum solummodo esse apud diuites,quibus abundè subministrat temporalia, & ecce video quod etiam cum pauperibus & afflictis est,imo verius quàm cũ diuitibus illis. Illic enim bona sua dat,non seipsum, hic autem seipsum offert, his consolationibus animum firment, qui paupertate aliisq; externis malis premuntur. Hic enim vident quod non minus immo verius Deũ habent & habere possunt quàm diuites,

diuites. Si autem Deus pro nobis, quis cōtra nos. Quare ergo dicis: Dereliquit me dominus, &c. Nunquid potest mulier obliuisci infantis sui, &c. Quòd autem Iacob dicit: verè Dominus est in loco isto, non sic intelligendum est, quòd tantum in illo loco sit Deus, sed quòd speciali quodammodo se in illo loco ostenderit, non hac vice tantum, sed & ante & post. Secundum omnes expositores, locus hic in quo Iacob dormiuit, fuit mons Moria. Vbi prius Abraham Isaac filium suum offerre voluit, & postea templum ædificatum, in quo & cultus Dei viguit, & Christus ipse Euangelium suum prædicauit. Omnia inquam hæc, tam præsentia quàm præterita & futura, prę uidens & recogitans Iacob dixit: Verè Dominus est in loco isto. Aliàs autem Deus est vbique, iuxta illud, cælum & terram ego impleo, licet non idem in omnibus locis operetur. In cælo est vt remunerator, in terra vt pater, solem suum oriri faciens super bonos & malos, in inferno vt iudex. Vt Dominus autem est apud pios qui eum agnoscunt, verbum eius audiunt & seruant, quemadmodum hic fuit cum Iacob. Is enim non solum verbum Dei audiuit, sed etiam seruauit, obediuit, &c. Alioqui non semper verum est Dominum præsentia gratiæ suæ illic esse, vbi verbum eius habetur vel auditur, nam & impij verbum Dei habent & audiunt: sed vbi auditur & custoditur. Apud eos autem qui verbum Dei audiunt sed non faciunt est quidem Deus, sed in ira, iuxta illud Pauli: Reuelatur ira Dei de cælo super omnem impietatem eorum, qui veritatem Dei in iniustitia detinent. Summa, quòd Iacob hic dicit, omnes dicere possumus. Verè Dominus est in loco isto, & ego nesciebam. Vbiq; enim nobis præsens est Deus, sed quotusquisque hæc agnoscit aut cogitat? Cæterū cum in ecclesiis Christianorū vel maximè audiatur & videatur & operetur Deus per verbum suum, per sacramenta, ibique laudetur, congruè hæc verba Patriarchæ etiam ad nostras ecclesias transferuntur, &c.

Rom. 8.

2. Para. 3

Hier. 23.

Pauensque dixit: Quàm terribilis est, &c.

Verissimè dictum, vbi enim Deus est, illic merito timet & tremit homo. Deus enim noster ignis consumens est, Deut. 4.

non

Deut. 4. non finit impiè agentem impunitum. Vnde & Esaias:
Esa. 33. Quis poterit habitare cum igne deuorante, respondet
Boetius. ibidem, qui facit iustitiā, &c. Magna igitur (ait Boetius) indicta est nobis necessitas probitatis, propterea quòd omnia agimus coram oculis iudicis cuncta cernentis.

Cæterum quòd hic dicitur expauisse Iacob, propriè nō fuit timoris, sed reuerentiæ & admirationis, de tam magnifica & benigna visitatione Dei. Quòd autem subdit: Non est hic aliud nisi domus Dei, &c. Primò hoc vult, dignum scilicet esse vt illic gratias agat. Vbicunque enim Domini clementiam experimur, illic æquum est vt gratias agamus. Deinde in hoc verbo maximè respexit ad futura: Videbat templum eo loco ædificandum, & Christum ipsum illuc venturum, & non longè ab hoc loco opus humanæ redemptionis perfecturum. Ideo dicit: Non est hic aliud nisi domus Dei, quasi dicat: Hic ædificabitur domus, hic Deus videbitur, hic prædicabit Euangelium. Hic aperiet cælum, &c. Sic itaque Deus iustū hunc & in præsenti & in futurum promissionibus firmauit.

Cumque mane surrexisset tulit lapidem, &c.

Nedum corde & ore gratus est, sed & opere ostendit animi gratitudinem. Erigit lapidem, signat locum, vt tam ipse quàm posteri ad hunc locum venientes admonerentur huius visionis, sicque Deum glorificarent. Obserua quod etiam sancti vsi sunt signis quibus admonerentur operum Dei. Errant igitur qui omnes imagines dānant. Quid enim aliud sunt quàm signa quæ nos admonent, & Christi & sanctorum, qui piè vixerunt. Oleum fundit super lapidem, quasi hoc ritu consecraturus terram promissionis, & locum mysteriorum Dei aliquando cōplendorum. Oleum secum tulerat vel pro cibo vel pro vnctione corporis contra lassitudinem. Hoc autē nunc in Dei cultum effundit, quasi paratus se & sua impendere tā benefico domino. Quanquam & hoc ipsius factū non caret mysterio. Lapis enim Christū significat, qui vngendus erat oleo lætitiæ præ participibus suis. Cæterùm
Psal. 44 quod Iacob hic corporaliter fecit, nos spiritualiter facere debemus. Primò vt lapidem capiti supponamus, id est,

con-

conſcientiam in Chriſto collocemus. Deinde vt in illa requie ſomniemus cæleſtia & diuina. Poſtremò vt ipſum lapidē erigamus, id eſt, Chriſtū prędicemus etiā aliis, &c.

Et vouit Iacob votum dicens, &c.

Non contentus eſt pręſenti Dei cultu, quē exhibuerat corde, ore, & opere, ſed inſuper maiora proponit in futurum, nec ſimpliciter proponit, ſed promittit, vouet, ſeipſum aſtringit, ne facilè bonum illud propoſitum amittat. Votum enim nihil aliud eſt, quàm obfirmatio animi in bono propoſito ſemel concepto, ne quauis tentatione victus à bono recedat. Tam inſtabiles enim ſumus, vt etiam ſi bonum quid inchoamus, facilè tamē tentationibus victi ceſſamus. Ad hoc igitur valet votum, ne tā cito labamur, eſt enim quaſi retinaculum & frenum quo caro cohibetur, donec tentatio tranſeat. Qui omni freno caret, is nonnunquam in tentatione facit quod prius nunquam cogitaſſet, & de quo perpetuo dolet. Econtra & ſi quamdiu tentatio feruet inuiti frenū ſuſtineamus, tamē poſt tentationem gaudemus nos quocunq; modo impeditos eſſe à peccato. Sicut igitur laudabile eſt bonū aliquid proponere, ſic & laudabile eſt bonū illud propoſitū voto obfirmare, vt non tam facilè ipſum relinquamus. Quòd aūt plerīq; contendunt vota eſſe contra Chriſtianam libertatem, nihil eſt: Chriſtiana enim libertas in hoc conſiſtit, vt ad omnia liberi ſimus: omnia frena concupiſcentiæ noſtræ laxemus, nullas leges nulla retinacula habeamus, ſed libertas Chriſtiana conſiſtit in ſpiritu. Iam cum caro concupiſcat aduerſus ſpiritum, & corpus corruptibile aggrauet animam, clarum eſt, quòd quanto magis caro deprimitur & in ſeruitutem cogitur, tanto ſpiritus liberior efficitur. Vnde Paulus egregius Chriſtianæ libertatis prædicator dicit: Caſtigo corpus meum & in ſeruitutem redigo, &c. Cum itaq; votum corporis cōcupiſcentiis frenum imponat, clarum eſt quod non impugnat, ſed magis promouet Chriſtianam libertatē. Nec valet quod dicunt, poſt votum opera noſtra nō eſſe amplius libera ſed coacta, atque adeo Deo minus placentia, qui hilarem datorem diligit: alioqui Iacob poſt votum iſtud nihil liberè facere potuiſſet. Imo nec nos quicquā liberè

Sap. 9.

1. Cor. 9.

2. Cor. 9.

liberè facere possemus, quandoquidem in baptismo votum fecimus: Quid autem absurdius dici posset. Sicut igitur votum baptismi non cogit hominem, sed admonet eum vt spontè faciat quod Deo debet, sic & alia vota, &c. Hæc tamen quæ nunc dixi nolim intelligi de votis superstitiosis vel coactis, vel temerariis, vel etiam impiis, qualia multa videmus inter Christianos, sed tantum de hiis votis loquor, quæ ex fide procedunt, & ad bonũ finem ordinata sunt.

Si fuerit dominus mecum & custodierit, &c.

Coniũctio, si, non semper dubitationem aut conditionem significat in scripturis, sed nonnunquam certitudinem, vt in psalmo: Si introibunt in requiem meam. Sic hic non dubitantis est particula, sed affirmantis. Si pro quia, quasi dicat, quandoquidem certus sum quòd dominus mecum est, &c. erit mihi in Deum, &c. eum perpetuò colam, &c. Quatuor autem per ordinem petit Iacob, vt Dominus sit cum ipso, vt eum custodiat, vt victum & amictum det, vtq; eum reducat ad domum patris sui. Atq; hæc sunt quæ & nos petere debemus, maximè spiritualiter intelligendo, vt scilicet nobiscum sit in tribulatione & custodiat à peccatis, vt cibum & vestimentum animæ præbeat, vt denique ad veram patriam nos reducat. Obserua quomodo Iacob temporalia petat. Primo, non dicit: Si diuitias acquisiero per laborem meum vel hæreditatem, sed si Dominus dederit, omnia Deo ascribenda sunt, & ab ipso præparanda. Deinde quamuis sciret Deũ & patri & auo suo magna & multa dedisse, ipse tamẽ non tanta audet petere, indignum se æstimans, ac sanctis illis patribus longè inferiorem. In quo notatur eius humilitas. & præterea non petit abundantiam diuitiarum, sed tantum panem ad manducandum, non ad reponendum, &c. Vbi primo confunditur auaritia nostra, qui nũquam necessariis contenti sumus, contra id quod Paulus docet, vt habentes victum & vestitum his contenti simus, &c. Secundo docemur vt temporalia vltimo loco & parcè petamus, quemadmodum & Christus docuit. Primum quærite inquit regnum Dei.

Psal. 94. *1. Tim. 6* *Math. 6.*

Erit mihi Dominus in Deum.

Eriuo-

Friuolum videtur hoc vouere, cum dominus aliàs sit Deus omnium. Verùm longè aliud hic vult Iacob. Est quidem Deus omnium dominus, sed non omnes eum colunt, timent, amant, vt Deũ. Hoc igitur vult Iacob, quasi dicat, dominus quem hactenus internè colui, is nũc mihi erit in Deum. Hunc deinceps externè colam, prædicabo manifestè coram omnibus, Ab ipso solo pendebo, Nullum alium Deum admittam, &c. Eodem fermè modo nos vouemus in baptismo. Quòd autem addit, & lapis quem erexi vocabitur domus Dei, dupliciter intelligitur. Primò quòd intenderit in reditu ibi Deo sacrificare. Secundò quod prouiderit in eo loco olim templum ædificandum.

Cunctorumq; quæ dederis mihi decimas, &c.

Vide quàm spontè & se & sua Deo offert, nedum in præsenti, sed & in futurum, magna autem iusti fides hic ostenditur, qui quamuis nondum quicquam promissionum acceperat, iam tamen vouet decimas, quasi iam omnia accepisset, tam certò credebat diuinis promissionibus. Signanter autem dicit: Tibi offeram decimas, non quòd ipse Deus his rebus indigeat, sed Deo datur, quod ad cultum eius ministrorumque sustentationem datur. Quanquam decimas dare præceptum sit legis Mosaicæ, tamen etiam naturæ lex dictat, vt ex rebus nostris ad cultum Dei conferamus. Hinc etiam apud gentiles sacerdotes de publico alebãtur. Videmus igitur quanto perfectior fuerit sanctus hic quàm nos. Ipse enim diu ante legem scriptam, solo naturæ ductu, non coactus ab aliquo, spõtè decimas Deo vouet. Nos nihil tale facimus, quòd si quis contendat legem de decimis ad vetus testamentum pertinere & idcirco abrogatum esse, respondeo: At non abrogata est lex naturæ, nec lex charitatis, quæ necessitatis tempore etiam plus quàm decimam partem exigit. Imò totum quod habes & es, quemadmodũ & Christus sese totum cum omnibus suis bonis nobis donauit. Quia tamen charitas apud plerosque refriguit, iustè statutum est vt certa pars, nempe decima, ministris Ecclesiæ pauperibusque tribuatur. Infr. 47.

Ii Caput

Caput vicesimum nonum.

PRofectus ergo Iacob venit in terram orientalem. Et vidit puteum in agro, tres quoque greges ouium accubantes iuxta eum: nam ex illo adaquabantur pecora, & os eius grandi lapide claudebatur. Morisque erat vt cunctis ouibus congregatis deuoluerent lapidē, & refectis gregibus rursum super os putei ponerent. Dixitque ad pastores: Fratres, vnde estis? Qui responderunt. De Haran. Quos interrogans: Nunquid, ait, nostis Laban filium Nachor? Dixerunt: Nouimus. Sanúsne est, inquit. Valet, inquiunt: & ecce Rachel filia eius venit cum grege suo. Dixitque Iacob: Adhuc multum diei superest, nec est tempus vt reducantur ad caulas greges: date ante potum ouibus, & sic eas ad pastum reducite. Qui respōderunt: Non possumus, donec omnia pecora congregentur, & amoueamus lapidē de ore putei, vt adaquemus greges. Adhuc loquebantur, & ecce Rachel veniebat cū ouibus patris sui: nā gregē ipsa pascebat. Quā cū vidisset Iacob, & sciret consobrinam suam, ouesq; Laban auunculi sui, amouit lapidem quo puteus claudebatur. Et adaquato grege osculatus est eam: eleuata voce fleuit. & indicauit ei quòd frater esset patris sui, & filius Rebeccæ: at illa festinans nuntiauit patri suo. Qui cum audisset venisse Iacob filiū sororis suæ, occurrit obuiā ei. cōplexusq; eū, & in oscula ruēs, duxit in domū suā. Auditis autē causis itineris, respondit: Os meū es, & caro mea. Et postquam impleti sunt dies mensis vnius, dixit ei: Num quia frater meus es, gratis seruies mihi? dic quid mercedis accipias. Habebat verò duas filias, nomen maioris Lia: minor verò appellabatur Rachel. Sed Lia lippis erat oculis: Rachel decora facie, & venusto aspectu. Quam diligens Iacob, ait: Seruiam tibi pro Rachel filia tua minore septē annis. Respondit Laban: Melius est vt tibi eam dem quā alteri viro: mane apud me. Seruiuit ergo Iacob pro Rachel septem annis: & videbantur illi pauci dies præ amoris magnitudine. Dixitq; ad Labā: Da mihi vxorē meā: quia iam tempus impletū est, vt ingrediar ad illam. Qui vocatis multis amicorū turbis ad cōuiuiū, fecit nuptias. Et vespere Liam filiam suam introduxit ad eū, dans ancillā filiæ, Zelphā nomine. Ad quā cum ex more Iacob fuisset ingressus, facto mane vidit Liam: & dixit ad socerum suum, quid est quod facere voluisti? nonne pro Rachel seruiui tibi? quare imposuisti mihi? Respondit Labā: Non est in loco nostro consuetudinis, vt minores antè tradamus ad nuptias.

ptias. Imple hebdomadam dierũ huius copulæ: & hanc quoq; dabo tibi pro opere quo seruiturus es mihi septẽ annis aliis. Acquieuit placito: & hebdomada transacta, Rachel duxit vxorem: cui pater seruam Balam tradiderat. Tandemque potitus optatis nuptiis, amorem sequentis priori prætulit, seruiens apud eum septem annis aliis. Videns autem Dominus quòd despiceret Liam, aperuit vuluam eius sorore sterili permanente. Quæ conceptum genuit filium, vocauitque nomen eius Ruben, dicens: Vidit Dominus humilitatem meam, nunc amabit me vir meus. Rursumque concepit & peperit filium, & ait: Quoniam audiuit me Dominus haberi contemptui, dedit etiam istum mihi: vocauitq; nomen eius Simeon. Concepitque tertiò, & genuit alium filium, dixitq; Nunc quoque copulabitur mihi maritus meus, eò quòd pepererim ei tres filios: & idcirco appellauit nomen eius Leui. Quartò concepit, & peperit filium, & ait: Modò confitebor Domino, & ob hoc vocauit eum Iudam: cessauitque parere.

QVi huius mundi pompam ſpectant, ſequentẽ hiſtoriã tanq̃ vilẽ & humilem cõtemnunt. Sed quę mũdo ſunt contempta, Deo ſunt excelſa. Ideo autẽ ſummi illius patriarchæ Iacob hiſtoria tã ſimpliciter ſcripta eſt, vt diſcamus verę religionis & pietatis caput eſſe humilitatẽ. Ita voluit & Chriſtus filius Dei humili matre naſci, humilitatẽ & tenuitatẽ verbo & exẽplo docere, vt illius exẽplo diſceremus omnẽ huius mũdi pompã, & quicquid admiratur mundus contẽnere, maxime autẽ in hoc cap. videbimus Dei prouidentiã ergã ſuos, idque in duobus. Primò, quòd anteq̃ Iacob ingrediatur ciuitatẽ, occurrit ei Rachel, quę ipſi præuiſa erat coniunx. Deinde q̃uis ignotus eſſet, inuenit tamen qui eũ hoſpitaliter exciperet, & in omnibus condeſcendant. Sic Deus curat pro ſuis. Psal. 36.
Atque hoc eſt quod Pſalmiſta dicit: Reuela domino viam tuam, & ſpera in eo & ipſe faciet, &c. Hinc & in alio pſalmo confidenter ait: Dominus regit me, & nihil mihi deerit, &c. Psal. 22.

Profectus ergo Iacob venit, &c.

Poſt diuinã conſolationẽ ſurgit & fiducialiter pergit, nihil amplius ſollicitus, audierat enim dominum dixiſſe: Ego ero tecũ, poterat igitur etiã tũc dicere illud Pſalmi: Dominus illuminatio mea & ſalus mea quem timebo,

Dominus protector vitæ meæ à quo trepidabo, &c. & il-
Psal.26. lud Pauli: Si Deus pro nobis quis contra nos? Sic fide-
lis quisque in via huius mundi seipsum verbo & promis-
sionibus Dei conseruare debet, contra tentationes. He-
bræi legunt: Sustulit Iacob pedes suos, dicuntque ipsum
Iacob à patre dimissum cũ multis diuitiis, sicut & Abra-
hã seruũ dimiserat, sed ab Elipha filio Esau spoliatũ, pe-
destré coactum incedere, propterea hic dici quòd pedes
sustulerit. Vbi iterũ vide mirabile Dei consiliũ. Magna
promiserat viro illi, & tamen adhuc pauper & pedester
incedit. Quis eum credidisset tã charũ & acceptũ Deo,
& tamen rẽ vera quãtumcunq; pauper esset, plus tamẽ eũ
curabat Deus, q̃ oẽs alios in ea regione. Noli igitur quẽ-
quã propter humilitatem & paupertatem despicere, sæpe
enim sub humili habitu & forma, magni amici Dei latent,
Luc.16. id quod videmus in Lazaro, Euangelico paupere. Pergit
autẽ Iacob nõ ad occidentem, sed ad orientem. Sic enim
Phil.3. pii semper ad anteriora contendunt, non retrospicien-
tes, quemadmodum & Paulus.

Et vidit & ecce puteus in agro, &c.

Iuxta fontes & puteos multa magnalia Dei legimus. Quid autem hoc loco puteus & greges & pastores significent in fine cap. audiemus. Illud obseruãdum, quòd hic dicitur cõsuetudinẽ fuisse, vt nõ amouerẽt lapidẽ donec omnes pastores conuenirent cum gregibus, quo doceantur pastores ouiũ Christianarũ, & verbi Dei ministri, vt se inuicem expectent per charitatẽ, cõseruentq; verbum sapiẽtiæ cœlestis, ne quilibet pro sua libidine, nõ auditis aliis, prædicet quæ sibi videntur, vt scismatici nunc faciunt, sed vt oĩa fiant tẽpestiuẽ, per charitatẽ & cũ decore.

Fratres vnde estis, &c.

Insignem modestiam erga omnes præ se fert iustus ille. Primò enim quos nunquam viderat fratres nominat, quos alius ne alloquio quidem dignatus fuisset, maximè
Matt.23. si tantas promissiones habuisset. Sciebant enim sancti,
omnes homines natura fratres esse, quod vtinã etiam no-
bis persuasum esset. Sunt enim qui erubescunt alios ag-
Heb.2. noscere vt fratres, cùm Christus non erubescat nos vo-
care fratres suos. Deinde Iacob nihil magnificè de seipso

dicit,

dicit,sed primo statim verbo se ostendit pastoré esse in eo quòd tá cito docet quid ad pasturá ouium pertineat, Ecce inquit adhuc multú diei superest, &c. Quòd autem pastores dicunt:nó possumus amouere lapidé donec oés conueniant,dupliciter intelligitur. Primò enim referri potest ad robur corporis,quasi dicat, nó possumus soli, nó sumus tá fortes,expectandú est aliorú auxiliú. Secúdò referri potest ad morem,non possumus,id est,non audemus,quia contra consuetum morem est.

Adhuc loquebatur, & ecce Rachel venit, &c.

Videmus hic prouidentiá Dei circa iustú, vt supra meminimus. Statim enim quod quærebat spóte occurrit:id quod & supra seruo Abrahæ cótigit. Describitur autem Rachel pulchra fuisse:quod quis in se nó multú laudis habeat,corá Deo maximè,magnæ tamé laudis est & pulchrá esse & probá,id quod in Rachele videmus. Primò enim pulchra erat,sed tamé casta permansit etiam inter pastores. Vbi obiter obseruanda priscorú hominú probitas, quod puellæ tá speciosæ & adultę nedú parentú domos, sed & ciuitates solæ egredi,atq; cú multitudine pastorú curá pecorú agerét,sine periculo castitatis & famæ. Deinde pulchra erat Rachel,nó tamé inde superbiebat, sed oues pascebat & laboribus assuescebat. Præterea pulchra erat,sed verecunda,adeo vt nec cum consanguineo plura loqueretur,sed ad domum currens patri nunciat, Hæ sunt conditiones virginum, imo vera ipsarum ornamenta. Ac tunc virgo verè pulchra est cum proba,humilis,verecunda,& laboriosa est, quemadmodú Rachel. Sa.c.24.

Et factum est cum audisset Laban, &c.

Etiam hic habemus exemplum hospitalitatis in Laban, quemadmodum & supra in Abraham & Loth,&c. Quòd auté dicit os meum & caro mea es, omnibus Christianis semper in corde & ore esse deberet, vt vel hinc admonerentur quid proximis debeant. Hinc & Esaias cum dixisset: frange esurienti pané tuú ne despexeris,quasi dicat, agnosce proximú tuú quod caro tua est, eiusdé scilicet naturæ. Obseruandú etiá hic quomodo Iacob & Laban inter se certent modestia & beneficiis,Iacob enim totum mensem seruit ipsi Laban & gratis, nec mentioné quidé Sup.c.18 Esa.58

fecit mercedis, Ecõtra Laban spõtè offert mercedẽ. Iniquum existimans talẽ virum gratis seruire, nunquid inquit quia frater meus es gratis serues mihi, quasi dicat, minimè hoc patiar. Vbi nunc similia inter Christianos vidèmus? Nemo gratis alteri vel minimũ officii præstat. Et sunt qui ne debita quidem & promissa reddant, tantum abest vt spontè sua offerant.

Seruiam tibi pro Rachel septem annis.

Non petit aut quærit diuitias, sed memor paterni mãdati, memor diuinæ promissionis vxorem petit, neq; id gratis, sed pro seruicio suo. Et vt oẽs videãt eũ non hoc petere libidinis aut voluptatis gratia: sibi ipsi terminũ ponit admodũ lõgum, septẽ scilicet annos. E quibus omnibus Laban eius probitatẽ perspiciens statim cõsentit. Melius est inquit vt tibi eã dem q̃ alteri. Videbat iusto optimè cõmendari siue tradi liberos nostros. Vbi iterũ arguitur auaritia nostra, qui filiis nostris tantùm diuites cõiuges quærimus, nihil de probitate curãtes. Quod aũt in fine dicitur: Videbãtur ei dies pauci, &c. incitamentũ malis esse debet ad seruiciũ Dei. Si enim amor virginis iusto omnem laborẽ leuem fecit, multò magis amor Dei nobis omnia leuia facere debet. Quanq̃ pleriq; sint qui hoc tantũ in Iacob imitãtur, quod ꝑpter tẽporalia nihil laboris fugiũt, propter spiritualia aũt cõquirẽda, ne tantillũ laboris facere volunt, dissimiles nimirũ iusto huic.

Da mihi vxorem meam, &c.

Hoc verbo præmuniẽdus est animus, ne postea offendatur cũ dicetur Iacobum duas accepisse sorores. Hic enim audimus, quod tantũ vnã petit, & eam in quã primò cõsensit. Habebat quidẽ Labã etiã aliã filiã, habebat ancillas, sed nullã earũ cõcupiuit Iacob q̃ hãc solã sibi despõsatã, deinde nõ vi rapit eã, sed petit à socero suo. Præterea nõ petit eam nisi post cõpletũ septenniũ, tanto tẽpore ab ipsa abstinuit, cũ tamẽ quotidie ipsam videret, cum ipsa esset, sciretq; sibi despõsatam. Magnum testimoniũ castitatis, sed rarũ exẽplum nostris temporibus, nihil tale nũc videtur in iuuentute nostra. Quare hinc discere debẽt iuuenes affectibus suis modũ ponere, imo frenũ imponere, ne tam effrenes sequantur cõcupiscentias suas.

Postremò

Postremò causam addit: Quia tempus est vt ingrediar ad illam. Hoc nō tantū ad septē illos annos referri debet, sed ad ipsius ætatē. Iam enim vt ex infrascriptis colligit Lyra, vltra septuaginta annos erat. Meritò igitur dicit: Tempus est, &c. quasi dicat, quia à patre missus sum vxorem ducere, & Dei voluntas est ex mea posteritate Christum nasci debere, iamque senectus appropinquaret & mors: tēpus est vt & diuinæ voluntati & paternæ iussioni obtēperem. Alioqui sicut hactenus sic & in posterum liberet continenter viuere. Vides omnia eo tendere ne lasciuiæ argui posset iustus hic.

Et congregauit Laban multos amicos.

Testimonio multorum olim, sicut & nunc, nectebant coniugia. Deinde etiā apud veteres mos erat in nuptiis conuiuia celebrare, id quod etiam ex Euangelio colligi potest. Quamuis pii homines ea cōuiuia cū timore Dei celebrabant, vt patet ex Thobia, id quod vtinam etiam hodie fieret. Iam enim nuptialia conuiuia in maximū abusum cesserunt: quod ad longum declarat Chrysostomus super hoc loco scribens, &c. *Iohan. 2. Tob. 9.*

Vespere autem Liam introduxit ad eum.

Hoc fecit Labā tū vt iustū diutius secū retineret, tū vt ambas ei filias collocaret: Neq; enim melius ipsis prouidere poterat. Sciebat iuniorē iam ipsi desponsatam, propter quod ipsam nō posset relinquere. Introduxit igitur & aliā, vt cū carnaliter ipsam cognouisset, nec ipsam facilè eiicere posset, sicque vtraq; filia iusto adhæret. Hoc cogitabat ipse Laban. Cæterū Deus qui hęc disponebat, longè alia per hoc pręfigurabat, de quibus in fine audiemus. Obseruandū etiam hic quomodo Deus rideat nostra consilia, pro Rachel sola seruit Iacob, quam & putat eam esse vnde Christus nasceretur, sed longè fallitur. Sic omnia reguntur & gubernantur prouidentia Dei.

Quid hoc fecisti mihi, &c.

Expostulat cū socero, idq; meritò, quis admodū modestè. Quid inquit hoc fecisti mihi? oīa mea cōsilia mihi turbasti. In Rachelē consensi, quā & idcirco repudiare nō possum, quia verū matrimoniū esse mihi cū illa scio. Cęterū cū Lia dormiui, quā & ipsā nūc eiicere inhumanū

 videtur.

videtur. Quid igitur faciam? In eũ casum me induxisti, vt aut inhumanus dicar qui eam eiiciã cũ qua dormiui, aut duas vxores habeam, quod nunq̃ cõcupiui. Quid igitur fecisti mihi. Expostulat igitur Iacob cum socero, sed verbis tantum, nõ seipsum vindicat. Poterat Liam eiicere, & patri iam viciatã reddere, sed nihil horũ facit, quin potius verecundiæ eius cõsulit, ipsamq; retinet, licet prius nihil minus intendisset. Imo de nouo iterum consentit seruire septem annis pro Rachele, cum iure iam sua esset. Sic pii patienter ferunt se decipi, & malè tractari, nec malum pro malo reddunt.

Imple hebdomadam, & hanc quoque dabo tibi.

Hebdomadam intellige nuptiarũ, id est, septẽ Dies cõuiuii nuptialis, post quos accepit etiã Rachelẽ, ita tamen quòd iterũ inciperet seruire septẽ annis. Nõ tamẽ in hoc peccauit Iacob, quòd duas vxores, imo duas sorores simul accipit, Peculiari enim priuilegio, licuit ei nõ seruare verbũ Adæ, Erunt duo in carne vna: nullaq; lege prohibitum erat sororẽ vxoris ducere. Nemo igitur hoc factũ ipsius Iacob in exemplũ trahat. Paucorũ enim priuilegia legẽ cõmunẽ nequaq̃ infringunt. Et omnia in figura cõtingebant illis. Aliud iam tẽpus alios mores postulat. In vno tamẽ notetur imperfectio ipsius Iacob, quòd scilicet Rachelẽ pulchrã prætulit Lię deformiori. Sic enim nihil ex omni parte beatũ. Et nõ est homo qui nõ peccet, quẽadmodũ & in duabus sororibus videmus æmulationẽ & inuidiam fuisse. Docet igitur caput hoc verè duram esse viro conditionem cum pluribus vxoribus, etiam si sint vxores sorores, vnde nõ sine causa abolita est poligamia.

Videns autem dominus quòd despiceret Liam.

Hic primo videmus falsum esse quòd impii sibi persuadent, Deũ nõ curare mortalia, dicentes illud Iob: Circa cardines cæli perambulat, nec nostra cõsiderat. Hic autẽ lõnge aliter dicit scriptura: dominus inquit vidit quod Lia despiceretur. Sic & Psalmista dicit: Nunq d qui plantauit aurẽ nõ audiet, & qui finxit oculũ nõ cõsiderat: Et in alio loco: Nunquid Deus è vicino tantùm sum, & non etiam de longe, &c. Deinde videmus verũ esse illud propheticũ; Qui tangit vos tangit pupillam oculi mei.

Iob. 21. *Psal. 93.* *Hier. 23.* *Zach. 2*

Nihil

Nihil tam paruum piis contingere poteſt, quod non videat Deus. Si hoc tam ſtatim vidit, quòd Lia nō tantum amaretur quantum Rachel, multo citius vidiſſet ſi male tractata fuiſſet. Pertinet igitur hoc ad cōſolationem piorum. Præterea videmus hic quod longe aliter iudicat Deus, aliter homo. Iacob externam pulchritudinem attē dit, quemadmodum & mundus ſecundum exteriora iudicat, &c. Deus autem non eſt acceptor perſonarū, ęque illi placet deformis vt pulchra, dūmodo pia ſit. Æquè illi placet pauper vt diues, &c. pulchritudo corporis coram Deo te non commendat, ſicut nec deformitas corporis Deo te odioſum facit, non igitur de pulchritudine corporis gloriandum. Nec de deformitate triſtandum. Videmus etiam quòd Deus potiſsimum humilia & abiecta reſpicit, iuxta illud: Quis ſicut dominus Deus noſter qui in altis habitat, & humilia reſpicit? &c. Erat Lia deſpecta coram hominibus, ſed non coram Deo. Qui autem à Deo reſpicitur, beneficium eius ſentit. Hinc ſtatim ſubditur: Aperuit vuluam eius. Vbi obſeruandum eſt quòd fœcunditatem Deo aſcribit, ac docet donum eſſe Dei, maximè vbi filios generam⁹ & educamus Deo. Vbi aūt tantū mū do generamus & educamus filios, prę̄ſtaret nō eſſe fœcū dū. Huc enim pertinet illud Chriſti: Melius eſſet ſi natus nō fuiſſet homo ille. Obſerua hic quomodo Deus dona ſua diſtribuat, vt omnibus quidem det, ſed nulli oīa. Sic Rachel pulchritudinem ſed non fœcunditatem, Liæ aūt cui negauit pulchritudinem, maius dedit ſcilicet fœcunditatem, & quod ex ipſius ſtirpe Chriſtus natus eſt. Noli igitur gloriari de donis tuis aut ſuperbire. Sunt enim & aliis ſua dona & fortè meliora. Nec triſteris ſi non habes quod in aliis vides. Nec enim ille habet quod tibi datū eſt. Quilibet igitur pro gratia ſibi data gratias agat. Nemo enim eſt qui non plura acceperit licet non omnia, ne ſuperbiat. Huc pertinet quod Paulus docet, vt per humilitatem alter alterius ſibi ſuperiorem ducat. propterea quod quilibet aliquid habet quo alii carent. Quilibet igitur in altero Dei dona miretur, laudet, non inuideat. Cæterùm ideo Deus Liam fecit fœcūdam, vt & ipſa cōſolationem acciperet pro ſua deſpectione, & Iacob in

Mat. 26.

Phil. 2.

amore viri superbiens humiliaretur. Denique quemadmodum Lia quadruplicem tristitiam habebat. Videbatur enim nedum à populo, sed & à viro & socero, insuper & à Deo despecta, sic & quadruplicem ei Deus dedit consolationem in quatuor filiis, vt dicere potuerit illud Dauidis: Secundum multitudinem dolorum meorũ in corde
Psal. 93. meo consolationes tuæ lætificauerunt animam meam. Itidem in nobis facit Deus. Nunquam tantum aduersitatis imponit, quin tantum & plus consolationis largiatur, id quod quilibet experietur si attendat quid mali patiatur, & econtra quid boni habuerit & habeat. Fidelis Deus qui non patitur nos tentari supra id quod possu-
1. Cor. 10. mus, sed facit cum tentatione etiam prouentum vt possimus sustinere.

Vidit dominus afflictionem meam, &c.

Vide quã gratanter mulier hæc Dei dona agnoscit, ad singulas partes Deũ laudat & gratias agit. Nec hiis contẽta etiam filiis hinc nomina imponit, vt & ipsi & posteri eorum occasionẽ habeant Deum laudandi. Pulchrè autẽ quatuor hæc verba seinuicem consequuntur: Vidit dominus, Audiuit dominus, Apponat dominus, Et modò confitebor domino. Vtinam & in nobis hæc verba seinuicẽ consequerentur. Videt quidem nos dominus, Exaudiet nos, Apponit denique sua dona, sed pauci sunt qui dicant, modò confitebor domino. Et quid leuius à nobis exigere posset? ipse tria facit, à nobis nõ nisi vnũ exigit, idque admodum leue. Quid enim facilius quàm gratias agere, laudare benefactorem.

ALLEGORIA.

Iacob qui tantas habuit promissiones & Deum ipsum sibi assistẽtem, Christus est, in quo omnes promissiones sunt, Amen & etiã. Idẽ Christus à patre missus est vt vxorem acciperet, id est, humanum genus sibi conciliaret. Laban duas habens filias, vnam pulchram aliã deformem, mũdum significat, qui duos habebat populos, Iudæos & gentes. Rachel Iudaicum populũ significat qui pulcher erat, habebat enim legem, cognitionem & cultũ Dei, No-
Psal. 75. tus erat in Iudæa Deus. Lia gentilem populum significauit, qui propter idololatriã deformis erat. Maximè autẽ

lippis

lippis erat oculis, quia cognitione Dei carebat & ratione cæcatus erat. Fons ad quem Christus venit scriptura sacra est, circa hunc fontem pastores pharisæi iacebant, nec tamen ouibus aquam scripturæ dabant. Iuxta illud: ipsi non introistis, & eos qui intrabant prohibuistis. Hos Christus arguit & veram pascendi rationem edocuit. Denique ipsis cessantibus, ipse ouibus potum doctrinæ præbuit, in hoc opere versanti Christo primum occurrit Rachel, populus scilicet Iudaicus. hunc populum Christus primò cōcupiuit, iuxta illud: Non sum missus nisi ad oues domus Israel. Hunc populū Christus osculatus est, carnem ab ipsis sumendo, & in propria persona ipsos docendo, miraculaq; faciendo. Super hunc populum fleuit, iuxta illud: Lamentauimus vobis & non planxistis. Item: Quoties volui congregare filios tuos, &c. Pro hoc populo, imo pro genere humano seruus factus est, iuxta illud: Seruire me fecisti in peccatis tuis, &c. Seruitus eius fuit, quod cū in forma Dei esset seipsum exinaniuit, &c. Cum autem tempus esset vt idem populus Christo iungeretur, triennio enim ipsis prędicauerat, altera irrumpit, id est, gétilis populus, ac priores partes sumpsit. Non autem per se irrumpit, sed à patre Deo per prædicationem Apostolorum introducta. Et quamuis Christus gentilitatem nō reijciat, ægrè tamen fert se frustra pro Iudæis seruiuisse, vnde & Paulus luget eorum obstinationem, &c. In fine tamen mundi etiam hunc populum Christus sibi adiunget, vt Paulus dicit: Rom. 11. Sed interim gentilis populus fructificat Christo, subindeq; filios generat qui eum patrem nominent.

Luc. 11. *Matth. 15* *Matth. 23* *Isa. 43.* *Philip. 2.* *Rom. 9.*

MORALITER.

Duæ sorores duplex est vita, actiua & contemplatiua. Lia quæ lippis oculis est, actiuam vitam significat, quæ laboriosa est, non venusta. Rachel autem pulchra, contemplatiuam, quæ in requie est. Cæterum Rachaelem, id est, quietam & beatam vitam omnes & in primis quærimus, prius tamen in nocte huius vitæ oportet habere Liam, id est, actiuam vitam. Bis septem anni, bis septem sunt opera misericordiæ, spiritualia & corporalia, in quibus seruire nos oportet, &c.

Caput

Caput tricesimum.

CERNENS autem Rachel quòd infœcunda esset, inuidit sorori suæ, & ait marito suo: Da mihi liberos, alioquin moriar. Cui iratus respondit Iacob, Num pro Deo ego sum, qui priuauit te fructu ventris tui. At illa, Habeo, inquit famulam Balam: ingredere ad illã, vt pariat super genua mea, & habeam ex illa filios. Deditq; illi Balam in coniugium: quæ ingresso ad se viro, concepit & peperit filium. Dixitq; Rachel: Iudicauit mihi Dominus, & exaudiuit vocem meam, dans mihi filium, & idcirco appellauit nomen eius Dan. Rursumq; Bala concipiens, peperit alterum, pro quo ait Rachel: Comparauit me Dominus cum sorore mea & inualui: vocauitque eum Nephthali. Sentiens Lia quòd parere desiisset. Zelpham ancillam suam marito tradidit. Qua post conceptum edente filium, dixit: Feliciter. & idcirco vocauit nomẽ eius Gad. Peperit quoque Zelpha alterum. Dixitque Lia: Hoc pro beatitudine mea: Beatam quippe me dicent mulieres. propterea appellauit eum Aser. Egressus autem Ruben tempore messis triticeæ in agrum, reperit mandragoras: quas matri Liæ detulit. Dixitque Rachel, Da mihi partem de mandragoris filij tui. Illa respondit: Parumne tibi videtur, quòd præripueris maritum mihi, nisi etiam mandragoras filij mei tuleris? Ait Rachel: Dormiat tecum hac nocte pro mandragoris filij tui. Redeuntiq; ad vesperam Iacob de agro, egressa est in occursum eius Lia, & ait: Ad me, inquit, intrabis, quia mercede conduxi te pro mandragoris filij mei. Dormiuitque cum ea, nocte illa. Et exaudiuit Deus preces eius: concepitque, & peperit filium quintũ, & ait: Dedit Deus mercedem mihi, quia dedi ancillam meam viro meo, appellauitq; nomen eius Issachar. Rursum Lia concipiens, peperit sextum filium, & ait: Dotauit me Deus dote bona: etiam hac vice mecum erit maritus meus, eo quòd genuerim ei sex filios: & idcirco appellauit nomen eius Zabulon. Post quem peperit filiam, nomine Dinam. Recordatus quoque Dominus Rachelis exaudiuit eam, & aperuit vuluam eius. Quæ concepit, & peperit filium, dicens: Abstulit Deus opprobrium meum. Et vocauit nomen eius Ioseph dicens: Addat mihi dominus filium alterum. Nato autem Ioseph, dixit Iacob socero suo: Dimitte me vt reuertar in patriam meam, & ad terram meam. Da mihi vxores, & liberos meos, pro quibus seruiui tibi, vt abeam: tu vero nosti seruitutem qua seruiui tibi. Ait illi Laban: Inueniã gratiam in con-

in conspectu tuo: experimento didici quia benedixerit mihi Deus propter te: constitue mercedem tuam quam dem tibi. At ille respõdit: Tu nosti quomodo seruierim tibi, & quanta in manibus meis fuerit possessio tua. Modicum habuisti antequam venirem ad te, & nunc diues effectus es: benedixitq; tibi Deus ad introitũ meum: iustum est igitur vt aliquando prouideam domui meæ. Dixitque Laban: Quid tibi dabo? At ille ait: Nihil volo: sed si feceris quod postulo, iterum pascam, & custodiam pecora tua. Gyra omnes greges tuos, & separa cunctas oues varias, & sparso vellere: et quodcunque furuum & maculosum, variumque fuerit, tam in ouibus quàm in capris, erit merces mea. Respondebitque mihi cras iustitia mea, quando placiti tempus aduenerit corã te: & omnia quæ non fuerint varia, & maculosa, & furua, tam in ouibus quàm in capris, furti me argues. Dixitq; Laban: Gratum habeo quod petis. Et separauit in die illa capras, & oues, & hyrcos, & arietes varios, atque maculosos: cunctum autem gregem vnicolorem, id est, albi & nigri velleris, tradidit in manu filiorum suorum. Et posuit spatium itineris trium dierum inter se & generum, qui pascebat reliquos greges eius. Tollens ergo Iacob virgas populeas virides, & amygdalinas, & ex platanis, ex parte decorticauit eas: detractisq; corticibus, in his quæ spoliata fuerant, candor apparuit: illa vero quæ integra fuerant, viridia permanserunt: atque in hũc modum color effectus est varius. Posuitq; eas in canalibus, vbi effundebatur aqua: vt cùm venissent greges ad bibendum, ante oculos haberent virgas, & in aspectu earum conciperent. Factumque est vt in ipso calore coitus oues intuerentur virgas, & parerent maculosa, & varia, & diuerso colore respersa. Diuisitq; gregem Iacob, & posuit virgas in canalibus ante oculos arietum: erant autem alba & nigra quæque Laban: cætera verò, Iacob, separatis inter se gregibus. Igitur quando primo tempore ascendebantur oues, ponebat Iacob virgas in canalibus aquarum ante oculos arietũ & ouium, vt in earum contemplatione conciperent. quando vero serotina admissura erat, & conceptus extremus, non ponebat eas. Factaq; sunt ea quæ erant serotina, Laban: & quæ primi temporis, Iacob. Ditatusq; est homo vltra modum, & habuit greges multos, ancillas & seruos, camelos & asinos.

Etiam hoc caput videtur admodum ridicula continere, & vix digna (secũdum rationis iudicium) quæ posite-

posteris tanto studio commendarentur. Sic inquam iudicat caro, sed longè aliter iudicat Deus, qui sub rebus tam humilibus magna mysteria occultauit, suo tempore in lucem proferenda. In hoc igitur capite videmus quàm certò & quàm abundè Deus promissiones suas impleat. Tot enim filios iusto huic dat, etiam vnde minimè sperasset, vt meritò dicere potuerit: Nunc video Deum veracē esse, & qui minimè fallat, quare & in aliis mihi promissis bene sperabo. Ideo autem tam copiosè iustū remunerat, quia diu & patienter expectauerat promissorum Dei impletionem. Discamus & nos hic diuinis promissionibus non diffidere, sic tamen vt & nos patienter expectemus, & interim pietatem strennuè colamus.

Videns Rachel quòd infœcunda esset, &c.

Magnum hic videmus sanctarum mulierum desiderium ædificandi populū Dei, adeò vt Rachel mortē præoptaret sterilitati. Timebat enim se à Deo reiectā, quæ indigna esset populū, vnde Christus nasciturus erat ædificare. Nō dubiū enim est quòd sanctus vir sæpius promissiones diuinas vxoribus suis inculcaret. Quanquam quod Rachel hic dicit, partim ex immēso desiderio habēdi liberos, partim ex emulatione erga sororē, partim etiam ex muliebri impatientia dixit: vt vel hic videamus etiam sanctos non omnino affectibus caruisse. Vnde & Christus etiam Apo-
Ioan 13. stolis dixit: Qui lotus est adhuc indiget vt pedes lauet, id est, affectus expurget, &c. Cæterum hoc desiderium sanctarum mulierum fidelis quisque habere debet spiritualiter, vt scilicet omni studio curet semen verbi Dei propagare, nō infructuosum sinere, Christo filios generare spirituales, & in bonis operibus fructificare, &c.

Nunquid pro Deo ego sum, &c.

Irascitur sanctus sed non peccat: Irascitur enim vitiis
Psal. 4. non personæ. Hinc Dauid: Irascimini & nolite peccare &c. Deinde quamuis Rachelem impendio diligeret, non
Matt. 10. tamen fert blasphemiam. Qui enim diligit vxorem plusquā me, ait Christus, nō est me dignus. Discant hic Christiani quid vxoribus & filiis debeant, nō tantū amorem, sed etiam disciplinam & doctrinam. Obseruandum etiam hoc quòd Rachelem quidem arguit, nō tamē importunè,

quem-

quemadmodum insani quidam faciunt, sed verbis eam arguit, nec tantum arguit, sed etiam docet. Deus, inquit priuauit te fructu, quasi dicat: Sicut Deo soli ascribēda est fœcunditas, ita patienter ferenda est sterilitas. Nō est quòd à me expectes filios, sed à Deo quærendi sunt. Quærendi autem non blasphemia aut importunitate, sed humilitate & deuotis precibus. Humiles enim exaudiet Deus.

Habeo, inquit, ancillam Balam, &c.

Omnia hęc ideo tam diligenter scripsit Moses, ne quis offendatur in eo quòd iustus hic tot vxores accepit, si enim dixisset Moses eū quatuor habuisse vxores, duas sorores & duas ancillas, quis non mali aliquid de illo suspicaretur. Nunc autem quia tam diligenter describit quòd vnam tantū quæsierit, alias autem vel fraude circumuentus, vel vxorum precibus exoratus acceperit, omnis scandali occasiō remota est. Videmus enim quod non ex lasciuia hoc fecit, sed amore prolis & ex ordinatione Dei, qui sanctū hunc supra modum multiplicare proposuerat. Nemo tamen hoc exemplū imitari debet, nisi & ipse tales habeat promissiones, & ad talia eum elegerit Deus. Videmus etiam hic sanctas mulieres nō voluptatem, sed prolē quæsiuisse, alioqui nunquā famulas suas viro admisissent. *Esai.66.*

Quæ concepit & peperit filium, &c.

Diligenter describit Moses patriarcharū ortus, numerum, & ordinem & nomina, propterea quòd futuri erant capita populi illius, cuius tota scriptura fecit mentionē. Ob eandē causam etiā Euangelistæ quàm diligentissimè exprimere voluerunt nomina Apostolorū, qui patres futuri erant spiritualis populi. Deinde etiam nomina patriarcharum tam diligenter exprimūtur, vt nos spiritualiter ea exprimamus. Quilibet enim fidelis debet esse Rubē, id est, filius visionis, qui & videat Deum, & dignus sit qui videatur à Deo. Debet itē esse Simon, id est audiens & obediens Deo. Debet esse Leui, id est, additus & applicatus seruitio Dei. Item Iuda, id est, confitens. Dan, id est, iudicās seipsum, &c. & sic per singula. Obseruandū iterū hic, quòd sanctæ illæ mulieres ad quēlibet partū gratias agūt & Dei mentionem faciunt. Imo etiam hinc nomina filiis imponunt, vt & posteri haberēt occasionē laudādi Deū. *Matt.10*

Obser-

Obseruandum etiam hoc quòd Iacob ancillas quidem accipit, sed nihilominus eas sinit in seruitio manere & veris vxoribus subiectas esse. Carnalibus enim nõ prodest imo obest libertas, id quod nunc videmus. Melius igitur est vt seruitute premantur & cohibeãtur, quàm vt excusso freno in omnia vicia se præcipitent.

Recordatus est Dominus Rachelis, &c.

Iam enim satis humiliata erat. Prius superbierat, de duobus, scilicet de pulchritudine & de viri fauore. Nũc vbi experta est vtrũque vanum esse, ad Deum cõuersa exauditur, &c. Sic superbis Deus resistit, humilibus dat gratiam, & spiritũ humiliatum non despicit. Sic aũt Rachele parere incipiente, Lia quę cito inceperat parere cessauit, sic etiam nunc multi sunt, qui cum primis Euangelium receperunt, qui iam toti frigent, & infœcundi sunt facti. Nam quæ cito maturescũt cito pereunt, & præcoqui fructus raro ad maturitatem perueniunt. Sunt deinde qui sero & tarde veniunt, sed post longam sterilitatem multum fructus adferunt, prioresq; anteuertunt. Sic Paulus nouissimus quidem fuit in vocatione Apostolorũ, sed plus omnibus laborauit.

1.Pet.5. Psal.50. 1.Cor.15.

ALLEGORICE.

1 Duodecim patriarchæ figuræ fuerũt duodecim Apostolorum. Iacob multos filios habuit, sed nõ ex vna vxore, & Christus multos habet filios, sed non ex vno popu-
2 lo aut regione. Mulieres inter se certabant, quæ plures
3 filios Iacobo pareret, & Ecclesiæ certatim filios Christo
4 generare student. Iacob filios etiam ex ancillis habuit, & Christo etiam mali pastores filios interdũ generant, prædicant enim aliis, & ipsi reprobi efficiuntur. Et quemadmodum Bala & Zelpha filios quidem Iacobo pariunt, sed ipsæ manent ancillæ. Sic hi aliis quidem bona prędicant,
5 & ipsi mali manent. Iacob ad hæreditatem admisit etiam ex ancillis genitos: Et Christus omnes ad se conuersos suscipit, qualiscunque vita præcesserit. Omnis qui venit ad me non eijciam foras. Et iterum: Multi venient ab O-
6 riente, &c. & recumbent cum Abraham, &c. Iacob duas habuit vxores, quarũ vna pulchra erat, altera deformis. Et Christi sponsa internè quidem pulchra est vt Rachel, propter

Ioan.6. Mat.8.

propter gratiam spiritus sancti, sed externè deformis est 7
propter crucem & aduersitates. Cæterùm sicut Liæ nihil
obfuit deformitas, sed eo fœcundior fuit: sic Ecclesiæ
prodest aduersitas, & tunc vel maximè fructificat cùm 8
maximè premitur. Iacob & liberas & ancillas habet è qui
bus filios suscipit; & Christus habet veros pastores &
mercenarios, vtrosque tolerat dummodo filios sibi gene
rent. Hæc omnia præfigurata fuerunt in hac historia.

Dimitte me vt reuertar in locum, &c.

Hactenus Moses diffusè descripsit quomodo Deus promissionem suam impleuerit de multiplicando semine ipsius Iacob. Nunc consequenter describit quomodo etiam alias promissiones iusto illi factas adimpleuerit, & primò quomodo ipsum multiplicauerit in bonis temporalibus. Nam etiam hoc ei promiserat. Omnia autem hęc eo tendunt, vt certi simus Deum non fallere in promissis suis, vbi nos in vocatione persliterimus, quemadmodum iustus ille Iacob. Vide autem iterum probitatem ipsius Iacob. Primò, non ante ad patrem reuerti cogitauit, quàm Ioseph natus esset, hoc est, post finem secundi septennii. Quamuis enim iniustè secum actum sciret, voluit tamen fidem seruare, nec perfidiam perfidia vindicare. Atq; hęc sunt quæ maximè ad Christianum pertinent, scilicet vt verax sit in verbis. Sit sermo vester est est, non nó, fidelis in opere & seruitio debito, vt Paulus docet. Non seipsum vindicet, nó malos imitetur, sed vincat in bono malum. Omnia hæc iustus hic præstitit. Deinde non violenter & insalutato hospite abducit vxores suas; sed prius veniā precátus, volebat cū pace discedere. Ideo iuri suo in plerisq; cedebat. Hoc est quod Paulus monet: Quantum in vobis est cum omnibus hominibus pacē hábētes. Sic sanctus ille quantumuis corā Deo magnus esset, nullū tamen signū arrogantiæ aut perturbati animi ostendit. Imo ne quid sinistri suspicetur Laban, tres causas affert sui discessus: Primò reuertar inquit, in locū meū, &c. qua si dicat: Non te contēno, nō ad aliquē aliū me transfero, sed ad parētes meos. scis me nō ob id huc venisse vt semper hic manerem, sed sumpta vxore ad patrē reuerterer. Obserua hic quòd terram in qua pater suus peregrinabatur

Matt. 5.
Ephe. 6.
Rom. 12.

tur, præfert terræ in qua olim omnis parentela Abrahæ habitauerat: Malés cum sanctis peregrinari, q̃ cum impiis multa possidere. Secũdò modicũ, inquit, habuisti anteq̃ venirem, nunc autẽ diues factus es, quasi dicat, Non amplius opus habes meo seruicio quãdoquidem iam diues effectus es. Admonet autem eum & pristinæ paupertatis & præsentis abundantię, simulque indicat Deum hoc prę stitisse propter iustitiã ipsius Iacob: vt vel sic eum ad colendum Deum & amplectendã iustitiã induceret. Addit
1.Tim. 5 tertiò, Tempus est vt prouideam domui meæ. Qui enim suorũ curam non habet infideli deterior est. Nihil autem aliud petit q̃ vxores suas, Mercedis nullam mentionẽ facit, contẽptor mundanorũ, sciebat se Deũ habere propitiũ: qui sibi nón defecturus esset, etiã si Labã nihil ei mercedis adderet. Postremò ne Laban grauetur filias à se dimittere, admonet eũ seruicii sui. Tu inquit nosti quomodo seruierim tibi, &c. Omnia hæc iustus facit vt cũ pace discedere posset, quanq̃ ne sic quidem hoc impetrare potuit. Sic pii quanquã in plerisq; suo iuri cedãt, ac etiã cũ incómodo sub pacẽ quærant, non tamẽ cessant impii eos infestare. Pius etiam cum suo incómodo pacem quęrit, Impius autem solum sua quærit, etiam si totus mundus perturbandus, & ad discordiam prouocandus esset.

Inueniam gratiam in oculis tuis, &c.

Inuitus eum dimittit, quia senserat eius præsentiam sibi vtilem. Verissimè enim etiam malis vtiles sunt boni, quantũuis mundus hoc non agnoscat, postquam autẽ pii
Matt.13. ab impiis separabuntur, apparebit quantũ pii profuerint impiis. Sic Labã inuitus fatetur dominũ sibi benedixisse ad introitũ ipsius Iacob. Quamuis autem Laban mercedem vltrò offerret, noluit tamen Iacob aliam mercedem q̃ à Deo & natura. Quicquid, inquit, Deus dederit erit merces mea. Denique addit.

Respondebit mihi cras Iustitia mea, &c.

Quasi dicat: Videbis quid domin⁹ pro mercede sit prę paratur⁹. Si fideliter seruiero tibi, dominus digno me premio donabit. Sin autẽ, feram quod ipse dederit. Sic iustus non dubitabat de premio, Scit enim apud Deum esse respectum operũ bonorũ: quemadmodũ & supra ad Caym dictum-

dictum est. Nonne si benè egeris recipies? Quamuis aūtē Iacob rem omnem Deo & naturæ cōmendasset, tamen etiam suam addit industriam, ne tētet Deum. Virgas enim imposuit canalibus, &c. Nec in hoc peccauit. Primò quia instinctu Dei hoc fecit, vt patet sequenti cap. Deinde Deus ipsum factum confirmauit, dans effectum rei. Præterea Iacob non aliena vi aut furto vel dolo rapuit, sed sua cum industria sine contentione ad se traxit. Poterat iure cum Laban contendere, Nam quatuordecim annis seruierat ei, ne tantillum quidem mercedis recipiens, insuper & duas ei filias adiunxerat Laban, nihil omnino dotis dans. Postremò etiam ipsæ filiæ tot annis seruire coactæ sunt. Multa igitur ei debebat Laban: sed cum nihil redderet, licitum erat Iacob sua occultè ad se trahere: id quod fecit, non tamen malis mediis sed naturalibus, rem omnem Deo commendans vel committens. Nec detractauit Laban conditionem, videbatur enim pro ipso facere, sed exitus rei aliter indicauit. Sic mundus qui in omnibus videtur meliorem conditionem habere, in fine se deceptum videbit. Econtra piis omnia bene succendent in fine, quantumcunque nunc peiorem videntur habere conditionem. *Gene. 4.*

Ditatus itaque est homo supra modum, &c.

Hæc summa est totius historiæ. Ideo enim tot verbis vsus est Moses, vt ostenderet Iacob à Deo ditatum iuxta promissionem sibi factam.

ALLEGORICE.

Christus verè pastor est, quo nullus fidelior inuentus est, Labā, id est mūdus, pauper erat antequā Christus veniret, Nunc autē propter Christū omnibus bonis abundat, benedixit enim nos Deus omni benedictione spirituali. Grex Christi varii coloris est, quamuis enim vnū & idē sit semē verbi Dei, quo regenerātur Christiani, varia tamē dona sunt gratiarū. Christus nedū gregē suum potat aqua verbi Dei, sed in aqua ponit virgas, id est, exēpla sanctorū, partim decorticata partī nō: hoc est, pfert exēpla interdū secundū historiā, aliquādo secundū allegoriā, quādo cortex litterę nimiū durus videtur. Hic igitur *Ephes. 1.* *1. Cor. 12.*

concipiunt fideles animæ fœtus varios, varias virtutes & dona gratiarum. Postremò sicut Iacob propter suum fidele seruicium supra modum ditatus est, Sic Christus: propterea quòd se humiliauit, &c. Data est ei potestas in cœlo & in terra.

Caput tricesimum primum.

POSTQVAM autem audiuit verba filiorum Laban dicentium: Tulit Iacob omnia quæ fuerunt patris nostri, & de illius facultate ditatus, factus est inclytus: animaduertit quoque faciem Laban, quòd non esset erga se sicut heri & nudiustertius, maximè dicente sibi Domino: Reuertere in terram patrum tuorum, & ad generationem tuam, eróque tecum: Misit, & vocauit Rachel & Liam in agrum, vbi pascebat greges, dixitq; eis: Video faciem patris vestri, quòd non sit erga me sicut heri & nudiustertius. Deus autem patris mei fuit mecum. Et ipsæ nostis quòd totis viribus seruierim patri vestro. Sed & pater vester circumuenit me, & mutauit mercedem meam decem vicibus: & tamē non dimisit eum Deus vt noceret mihi. Siquando dixit: Varia erūt mercedes tuæ: pariebant omnes oues varios fœtus. quando verò econtrario ait: Alba quæque accipies pro mercede: omnes greges alba pepererunt. Tulitque Deus substātiam patris vestri, & dedit mihi. Postquam enim conceptus ouium tempus aduenerat, leuaui oculos meos, & vidi in somnis ascendentes mares super fœminas, varios & maculosos, & diuersorum colorum. Dixitque angelus Dei ad me in somnis, Iacob? Et ego respondi, Adsum. Qui ait: Leua oculos tuos, & vide vniuersos masculos ascendentes super fœminas, varios, maculosos, atque respersos. Vidi enim omnia quæ fecit tibi Laban. Ego sum Deus Bethel, vbi vnxisti lapidem, & votum vouisti mihi. Nunc ergo surge, & egredere de terra hac reuertens in terram natiuitatis tuæ. Responderuntque Rachel & Lia: Nunquid habemus residui quicquam in facultatibus, & hæreditate domus patris nostri? Nōnne quasi alienas reputauit nos, & vendidit, comeditque pretium nostrum? Sed Deus tulit opes patris nostri, & eas tradidit nobis, ac filiis nostris: vnde omnia quæ præcepit tibi Deus fac. Surrexit itaque Iacob: & impositis liberis, ac cōiugibus suis super camelos, abiit. Tulitque omnem substantiam suam, & greges, & quicquid in Mesopotamia acquisierat, pergens ad Isaac

patrem

patrem suum in Terram Chanaan. Eo tempore ierat Laban ad tõdendas oues, & Rachel furata est idola patris sui. Noluitque Iacob confiteri socero suo quòd fugeret. Cumque abiisset tam ipse quàm omnia quæ iuris sui erant, & amne transmisso pergeret contra Montẽ Galaad: nuntiatum est Laban die tertio quòd fugeret Iacob. Qui assumptis fratribus suis, persecutus est eum diebus septem: & comprehendit eum in Monte Galaad. Viditque in somnis dicentem sibi Dominum: Caue ne quicquã asperè loquaris contra Iacob. Iamque Iacob extenderat in monte tabernaculum: cumque ille consecutus fuisset eum cum fratribus suis, in eodem Monte Galaad fixit tentorium. Et dixit ad Iacob: Quare ita egisti, vt clam me abigeres filias meas quasi captiuas gladio? Cur ignorãte me fugere voluisti, nec indicare mihi: vt prosequerer te cum gaudio, & canticis, & tympanis, & citharis? Non es passus vt oscularer filios meos & filias: stultè operatus es & nunc quidẽ. Valet manus mea reddere tibi malum: sed Deus patris tui heri dixit mihi: Caue ne loquaris contra Iacob quicquam durius. Esto, ad tuos ire cupiebas, & desyderio erat tibi domus patris tui: cur furatus es Deos meos? Respondit Iacob: Quòd inscio te profectus sum, timui ne violenter auferres filias tuas. Quòd autem furti me arguis: apud quencunque inueneris Deos tuos, necetur coram fratribus nostris. scrutare, quicquid tuorum apud me inueneris aufer. hæc dicens ignorabat quòd Rachel furata esset idôla. Ingressus itaque Laban tabernaculum Iacob, & Liæ, & vtriusque famulæ, non inuenit. Cumque intrasset tentorium Rachelis, illa festinans abscondit idôla subter stramenta cameli, & sedit desuper: scrutantique omne tentorium, & nihil inuenienti, ait: Ne irascatur Dominus meus, quòd coram te assurgere nequeo: quia iuxta consuetudinem fœminarum nunc accidit mihi. sic delusa sollicitudo quærentis est. Tumensque Iacob cum iurgio ait: Quam ob culpam meam, & ob quod peccatum meum sic exarsisti post me, & scrutatus es omnem supellectilem meam? Quid inuenisti de cuncta substantia domus tuæ? pone hic coram fratribus meis, & fratribus tuis, & iudicent inter me & te. Idcirco viginti annis fui tecum? oues tuæ & capræ steriles non fuerunt, arietes gregis tibi non comedi: nec captum à bestia ostendi tibi, ego damnum omne reddebam: quicquid furtim peribat, à me exigebas: die noctuque æstu vrebar, & gelu, fugiebatque somnus ab oculis meis. Sicque per viginti annos in domo tua seruiui tibi, quatuordecim pro fi-

liabus, & sex pro gregibus tuis: immutasti quoque mercedē meam decem vicibus. Nisi Deus patris mei Abraham & timor Isaac affuisset mihi, forsitan modò nudum me dimisisses: afflictionē meā & laborem manuū mearum respexit Deus, & arguit te heri. Respondit ei Laban: Filiæ meæ & filii, & greges tui, & omnia quæ cernis, mea sunt: quid possum facere filiis & nepotibus meis? Veni ergo, & ineamus fœdus: vt sit in testimoniū inter me & te. Tulit itaque Iacob lapidem, & erexit illum in titulum. Dixitque fratribus suis: Afferte lapides. Qui cōgregantes fecerūt tumulū comederuntque super eum. Quem vocauit Laban Tumulum testis, & Iacob, Aceruum testimonii, vterque iuxta proprietatem linguæ suæ. Dixitque Laban, Tumulus iste erit testis inter me & te hodie, & idcirco appellatum est nomen eius Galaad, id est, Tumulus testis. Intueatur & iudicet Dominus inter nos quando recesserimus à nobis, si afflixeris filias meas, & si introduxeris alias vxores super eas: nullus sermonis nostri testis est absque Deo, qui præsens respicit. Dixitque rursus ad Iacob: En tumulus hic, & lapis quem erexi inter me & te, testis erit: tumulus, inquam, iste & lapis sint in testimonium; si aut ego transiero illum pergens ad te: aut tu præterieris malum mihi cogitans. Deus Abraham, & Deus Nahor iudicet inter nos, Deus patris eorum. Iurauit ergo Iacob per timorem patris sui Isaac; immolatisque victimis in monte, vocauit fratres suos vt ederent panem. Qui cùm comedissent, manserunt ibi. Laban vero de nocte cōsurgens, osculatus est filios & filias suas, & benedixit illis: reuersusq; est in locū suum.

SVperiori capite Moses re ipsa ostendit quomodo Deus iusto Iacob duas illas promissiones impleuit: Nempe quòd dixerat, benedicā te & multiplicabo te, nunc in hoc capitulo ostendit, quomodo etiā tertiā impleuerat, nempe reducam te ad locum istum. Vbi primò videbimus quàm securus incedat etiam in mediis periculis, qui Deum habet propitiū. Magna enim & plura pericula iusto huic in suo hoc reditu occurrerunt, sed vbique illæsus euadit. Dixerat enim Deus: Ego reducam te
Sup. c. 28. & custodiam, &c. Hinc igitur discamus & nos fidere diuinis promissis, sed ita vt simul etiam iustitiam colamus, alioqui frustra sperabimus. Deinde in hoc capite videbimus naturam & conditiones tam fidelium quàm infidelium,

delium, vt hos quidem vitemus, illos autem imitemur. Postremò docebit nos caput hoc quomodo mundum relinquamus, ac ad Deum patrem reuertamur. Item quid nobis in via ad patrem expectandum sit, & quomodo prorumpere posſimus.

Poſtquam autem audiuit verba filiorum Laban, &c.

Ingenium mundi hic videmus in filiis Laban, quem enim maximè diligere debebāt, hūc perſequūtur, odiūt, crimināntur, Viginti annis ſeruierat ipſe Iacob, ſed nunc hanc mercedem reportat. Nihil melius à mūdo expectét pii, contra eos eſt & fuit ſemper ingratiſsimus mundus, qui ipſi maximè profuerunt. Exemplo igitur ipſius Iacob diſcamus fortiter ferre ingratitudinem mundi. Imo diſcamus potius ſeruire Deo, qui ſeruitoribus ſuis certo reddet mercedē. Signanter autē crimināntur Iacob quòd bona patris eorum ad ſe traxerit, cum econtra ipſe bona ipſorum vehemēter auxerit, vt ſupra Laban ipſe teſtatus eſt. Sic pii tametſi mundo maximè proſint, tamen vt maximè pernicioſi odiuntur. Videmus hic quoq; quantum mali ſecum ferant diuitiæ, quamdiu Iacob pauper erat, nemo inuidebat: Nunc autē cū diues factus ſit odiunt eum. Sic inuidia ſemper comitatur diuitias & gloriam. Meritò igitur diuitias Chriſtus cōparat ſpinis. Poſtremò videmus hic quid faciat inuidia: nempe quod ad mendacia cōfugit, vbi vera crimina non inuenit. Nec ſolum filii Laban odiunt Iacobum, ſed etiam ipſe Laban, quam inuidiam vel ipſa facies eius prodebat. Sic enim natura comparatū eſt vt talis ſit frons & vultus, quale eſt pectus. Inuidus ſibi detractum putat, quicquid alii accreſcit, neſcit ſuis eſſe contentus, nō poteſt videre aliorum proſperitatem. Cæterū hæc inuidia filiorum Laban profuit ipſi Iacob. Nam extimulauit eū ad repetendam terrā quam Deus ipſi promiſerat, alioqui diutius in terra Chaldęorum manſiſſet. Supra enim cum molliter adhuc tractaretur à Laban, & audiret: Inueniam gratiā corā te, &c. tardauit reuerti, & dixit: Si feceris quod poſtulo, iterū paſcam gregem tuum. Nunc autem cum inhumaniter tractatur, cogitat reuerti ad patrem. Idem nobis cōtingit, quamdiu mundus nobis arridet, ne cogitamus

[Margin: Luc. 8. — Sup. 30. c.]

quidem ipsam relinquere, aut patriam veram repetere. Cùm autem aduersa ingruunt tunc cogitamus & Deum & patriam cœlestē: incipimus odire & fastidire mūdum, vt infidum & incertum. Hinc in Oseæ dicitur: Sepiam viam tuam spinis, &c. tunc dicet: Vadam & reuertar ad virū meum priorem, &c. Et iterū, in tribulatione sua mane consurgent & dicēt: Venite reuertamur ad Dominū, &c. Sic filii Israel quamdiu benè tractabātur in Aegypto nē cogitabāt quidem terram promissam, cùm autē opprimerētur dura seruitute, tūc desiderabant ad promissam terram proficisci. Prima ergo vtilitas tribulationum est, quòd nos & Dei & veræ patriæ nostræ commonefaciūt, & quasi ad Deū ire nos compellunt. Nec ob aliā causam Deus electis suis tantas aduersitates contingere permittit, quàm vt vel sic cogantur mundum fugere.

Osee 2.

Osee 6.

Reuertere ad terram patrum tuorum, &c.

Nedum aduersis eum cogit Deus ad repetendā patriā, sed etiam verbis monet, & promissis allicit: Idem nobis fieri. Vbique enim admonemur relinquere mundū, quęrere Deū, vt cum Ioannes dicit: Nolite diligere mundū, &c. & iterum: fugite è Babilone, &c. Denique magna nobis promittuntur. Qui sequitur, inquit, me, non ambulat in tenebris, &c. Vide autē verè pium huius iusti animum, quātumuis aduersitatibus premeretur, non tamen discessit donec Deus præciperet. Adeo totus pēdebat à Deo eiusque prouidentia. Videmus item quàm prope sit Dominus afflictis. Non dubiū est quin Iacob variis cogitationibus ęstuauerit, & quid potissimū sequeretur, quomodoque euaderet dubitauerit, & ecce Dominus adest, pro ipso curās. Singula autē verba emphasim habēt. Primò reuertere ad terrā tuorū patrū, quasi dicat, scis te nō in patria esse, scis tibi aliā terrā promissam quid hic tamdiu moraris neglecto patre & patria. Idē nobis dicitur cum mūdo immersi sumus, &c. Secūdò, ego inquit tecū sum, ne Iacob diceret: Quomodo hinc possum discedere tot aduersariis circūdatus, &c. Ego inquit tecum sum. Et ne diceret quis ergo tu es? subdit in sequentibus: Ego sum Deus Bethel, &c. quo verbo primò innuit, se adhuc meminisse promissorū suorū, quasi dicat, ego sum is qui tam

1 Ioan. 2

Apoc. 18.

Ioan. 8.

Supra cap. 28

magna

magna tibi promisi in Bethel. Eorũ promissorũ nondum oblitus sum, sed adhuc rata apud me & fixa manent. Deinde cũ addit: vbi vnxisti lapidem, indicat se etiam nunc meminisse cultus diuini, quẽ Iacob ibi egerat. Vbi clare videmus apud Deum esse respectum bonorũ operũ, cõtra nostrates hæreticos, qui bonis operibus in totum suam efficaciam detrahunt, idque falsissimè. Neminem igitur pigeat bona opera facere, cum hic videamus ea in perpetua memoria esse apud Deum. Videt Deus bona opera, videt & mala, & vtraque suo tempore pro merito præmiabit. In fine addit: Vidi omnia quæ fecit tibi Laban, omnia inquit: Verè magna consolatio piorum, huc pertinet illud propheticum, Qui tangit vos, tangit pupillam oculi mei. Et illud euangelicum: Vestri capilli capitis omnes numerati sunt, &c. Obserua, quod Deus dicit se vidisse omnia quæ iniustè passus est Iacob, & tamẽ tam diu tacuit. Sic etiam cum Deus non statim nos liberet & vindicet, certi tamen sumus, quòd omnia videt, & suo tempore aderit. Non igitur est quod nos ipsos vindicemus: cum Deus Iudex iustus omnia videat. Mihi inquit vindictam & ego retribuam, sed in tempore. Zach. 2. Matt. 10. Deut. 32.

Misit ergo Iacob & vocauit vxores, &c.

Ad vnam & primam admonitionem Dei paratus erat Iacob domum Laban relinquere & patriã repetere. Nos vix quotidianis admonitionibus permouemur. Imò plerisq; nostrum, adeo mundo sunt addicti, vt omnia contemnant. Cæterùm quantumuis Iacob paratus esset recedere, prius tamen curat vt & alios secum ducere possit. Sic enim vnicuique mandauit Deus de proximo suo. Et nemo sua tantum quærere debet. Hinc & supra ad Loth dictum: Si habes hic quenquam tuorum, &c. educ tecum, &c. Vxores autem potissimum educere cupit Iacob, vt quæ ipsi magis coniunctæ essent. Qui enim suorum curam non habet, infideli deterior est. Deinde ipsas potissimum vocat, quia spes erat ipsas non reluctaturas. Et quanquam hic timere poterat eas non secuturas è domo paterna, tamen tentat nec diffidit. Sic de nullo desperandum. Sic agricola nescit quidem an semen proiectum crescat vel non, tamen in spe seminat, sic nobis faciendum. Eccle. 17. Gen. 19. 1. Tim. 5.

ciendum. Pulchrā autē concionē vxoribus suis facit Iacob, vt persuadere ipsis posit. Primò enim perfidiam & malitiā ipsius Labā illis declarat. Ex facie inquit video ipsum mihi malè velle, & nescio quid mali moliri, & ne videatur temerè iudicare, re ipsa pbat malitiam ipsius. Mutauit inquit mercedem meam decē vicibus. Sic enim diuites cum pauperibus agere consueuerunt, quòd neq; pacta neq; fœdera nec promissa seruant, nisi quantum in rem ipsorum sit. Hinc Ethnicus: Noui ego inquit vestra illa verba volo nolo: nolo volo, quòd modo ratum erat irritum fit. Deinde Iacob vxoribus suis Dei bonitatē & curam erga se declarat. Dominus inquit mecum fuit, Dominus prohibuit patrem vestrum, &c. Dominus dedit mihi substantiā patris vestri, quasi dicat, quia & patris vestri malitiā, & Dei mei bonitatem expertus sum, statui apud me Dei mandatū sequi relicto patre vestro, quod vtinam & vobis persuadere possem. Hæc est concio illa, qua vsque hodie excitamur ad relinquendum mūdum, & seruiendum Deo. Scriptura enim vbique nobis ob oculos ponit mundi malitiam, vanitatē, incertitudinē. Econtra Dei bonitatē, vt hanc sequamur, illam autē fugiamus. Signanter autē de mundo verum est, quòd mercedē nostram murat, quòd decipit, &c. Econtra de Deo verissimè dicitur, quòd nobiscū est, quod vocat, quod aduersarios prohibet, quod denique benefacit nobis.

Terentius in formione.

Nunquid habemus quicquam residui, &c.

Ad vnam & primam admonitionem paratę sunt & domum paternā relinquere, & ignotā regionē petere, seseq; diuinis promissis cōmendare, quod vtinā exemplū plures imitarentur, maximè cum spiritus sanctus clamet, in Psalmo. Audi filia & vide, & obliuiscere domum patris tui, &c. Pulchrè autem agnoscunt malitiam patris sui. Nullam inquiunt ab eo hæreditatem habemus: nihil in domo eius possidemus, sed tanq̃ famulæ hactenus seruiumus, vt alienas nos tractat, deniq; vendidit nos, & preciū nostrū ipse comedit, ipse fruitur, deinde agnoscunt Dei in se beneficentiā. Dominus inquiūt tulit substantiā patris nostri & dedit nobis, &c. Ex his cōcludunt: omnia quæ tibi præcepit Deus fac, cupiunt educi è terra incredulorum

Psal. 44.

dulorum & inferi populo Dei. Quòd si & nos agnoscere mus mundi perfidiã & Dei bonitatẽ,& nos spontè sequeremur. Verè enim nihil propriũ habemus in domo patris nostri,id est,in mundo,etiam si omnia mũdi bona acquiramus: nihil enim eorũ nostrum est,nihil nobiscum ferimus.iuxta Pauli sententiã. Deindè vere vt extraneos nos habet,imo vendit,& grauissimæ seruituti subijcit: quarę fugiamus. Vide quantum Iacob profecit vna admonitione,quam tamen nos nõ curamus, vnde & Christus impro perat: Cantauimus vobis & nõ saltastis,&c. Sed quis tan dem finis erit. Audi Christum, Amen dico vobis,quia So domis remissius erit in die iudicij, &c. *1.Tim.6.* *Matth.11* *Ibidem.*

Surrexit itaque Iacob,&c.

Habito verbo Dei & consensu vxoris, nõ expectat do nec Laban abeundi copiam faciat, imo nec verbo ipsum dignatur,sed pergit. Sic ad Deum properantes non attendamus, num mundo placeat nec ne, sed verbo Dei obediamus sine mora. Hinc Christus discipulis etiam prohibet ne quem in via salutent,nimirum ne impediantur aut retardentur à bono proposito. Laban auaritiæ & voluptati studebat.interim Iacob ad patrem pergit. Sic dum mundus sua quærit,pij regnum cælorum rapiunt. Imo dũ mundus non sentit, transit tempus gratiæ, perdit oportũnitatem salutis adipiscendæ. Imponit autem Iacob vxores & paruulos teneros camelis,vt vel hinc discant Euangelici pastores infirmorum rationem habere. Hinc Paulus: Infirmum in fide suscipite,&c. Aufert etiam secũ gregem suum,nec aliquid relinquit quod ad se pertinebat. Sic euangelicus pastor,nec minimam ouiculam relinquat vel negligat, Exemplo Christi,qui nonaginta nouẽ oues reliquit, & vnam perditam triginta tribus annis magno labore quæsiuit. *Matt.10.* *Rom. 15.* *Luc. 15.*

Rachel autẽ furata est Idola patris,&c.] Hoc fecit vel vt patri occasionem idolatrandi præriperet, vel ne omnino expers esset paternæ hæreditatis, quamuis aliqui volunt quòd tanquã infirma adhuc in fide idola acceperit, vt ea coleret. Cæterũ nõ opus est hoc pluribus excusare, peccauerũt nonnunquã & sancti. Inferius aũt dicetur ꝙ tã ipsa ꝗ̃ alij ex familia Iacob idola omnia abiecerunt, vt vel hic locum *Infra.35.*

locum habere possit illud Pauli: Saluata est mulier infi-
1.Cor. 7. delis per virum fidelem,&c.Pulchrè autē mysterio con-
gruit, quòd Rachel recedens idola patris furatur, sic
enim fidelis quisque mundum ad meliora conuertere
nequit,tamen ad minus idola aufert,maiora peccata im-
pedit,vel peccandi occasiones quantum potest impiis
præripit. Allegoricè autem hic reditus Iacob præfigu-
Psal. 67. rauit ascensionem Christi,qui ascendens in altum capti-
uam duxit captiuitatem,&c. Pharizæis itē tonsioni oui-
um intendentibus Christus abduxit ecclesiam. In fine
autem mundi perfectè omnes suos è mundo ducet in re-
gnum suum,vel inuito Laban.

Nunciatum est Laban die tertio,&c.

Hoc primum periculum imminet proficiscentibus ad veram patriam, quòd mundus eos insequitur ac retrahere cupit:idque multipliciter. Primò si mundo incipias dissimiliter viuere, inimicum eum habebis, quantumuis te prius amauerit. Deinde diabolus princeps mundi contra te omnem suam potestatem excitabit, quemadmodum olim Pharao dicebat: Cur dimisimus Israelem,
Exod.14 &c,Hinc Petrus ait: Aduersarius vester diabolus quæ-
1. Pet. 5. rens circuit quem deuoret. Quòd si horum nihil te impediat,nec odium scilicet mundi, nec insidiæ Diaboli,tamen sequitur te Laban,id est,mundus. Imo mundum tecū portas & habes,id est,radicē omnis peccati & prauitatis,ad iram,superbiam,auaritiam,luxuriam,&c. Denique sicut Iacob iam transmisso amne & tot diebus elapsis putabat se euasisse,iamque figebat tabernacula,nihil minus timens quàm Laban insecuturum, & tamen iam iamque aderat persequutor, sic cum putamus nos maximè secu-
Rom. 11. ros,maximè imminet hostis. Vnde Paulus; Noli altum sapere sed time. Et qui stat videat ne cadat.

Caue ne quicquam asperè loquaris,&c.

Sperabat impius Laban se iam iam voluntatem suam contra Iacobum impleturum,sed Deus obstat. sic Deus in tempore suo adest,& sicut Iacob nesciente Deus aduersarium eius corripit, sic etiam nunc & semper facit electis suis Deus. Alioqui si Deus non etiam nunc impediret diabolum,quis nostrum persistere posset.Nisi quia

Dominus erat in nobis, dicat nunc Israel, &c. per totum. *Psal. 125*
Vide autem quid ei loquatur Deus. Primò non nominat eum suo nomine, quia non nouerat eum ex nomine, non erat scriptus in libro vitæ. Deinde nihil consolatorium ei loquitur, sed tantum minatur. Sic impiis Deus loquitur in ira tantum. Postremo non tantum prohibet ne mali quid iusto faciat, sed etiam ne aspere ei loquatur. Quæ omnia eo tēdunt vt videamus quomodo Deus curet pro suis, iuxta illud: Ecce non dormitabit neque dormiet, qui custodit Israel. *Psal. 120*

Et dixit Laban, quare ita egisti.

Iam diuina virtute retinebatur Laban, ne posset iusto incommodare. Non ea intentione secutus fuerat Laban, vt tantum verbis cum ipso expostularet, sed vt ipsum reduceret violenter, aut saltem spoliaret. Iam enim videbatur occasionem spoliandi iusti habere, quod hactenus habere non potuerat. (Sic enim mundus semper occasionē nocendi quærit). Verum cum iam putaret se animū suum explere posse, à Deo impeditur, vt præter verba nihil mali facere posit. Et qui magna vi & comitiua venerat, nūc videt & experitur se nihil posse. Tam facilè Deus impiorum conatus impedire potest. Videmus hic quàm nil posit vel diaboli vel mundi potentia contra iustos. Nisi ipse Deus permittat. Imo Deo custodiente nulla creatura nocere potest. Sicut tres pueros lædere non potuit ignis quantumcunque magnus, nec Danielem leones. Meritò igitur Christus dicit: Nolite timere eos qui postquā occiderint corpus non habent amplius quid faciant. Timete autem eum qui postquam occiderit, potestatem habet mittere in gegennam, &c. In verbis autem Laban iterum videmus ingenium mundi. Primo enim quamuis sciret se perfidia sua causam dedisse iusto fugiendi, ingenuè tamē dissimulat, & omnem culpam in iustum reijcit, & cum deberet deprecari culpam, ac iustum reconciliare, vltro eum arguit. Sic mundus sua peccata dissimulat, & omnem culpam in pios reijcit. Sic Achab Heliam criminatur quòd turbaret Israel, cum ipse impius rex peccatis suis causa esset malorum. Deinde Laban fingit se amicum cum tamen hostis esset. Deduxissem *Dan. 3.* *Dan. 6.* *Luc. 12.* *3. Reg. 18*

in quit

Ecclef.2. inquit te cum gaudio,&c. Sic mundus aliter loquitur,aliter sentit. Væ duplicibus corde. Præterea insigniter suam & stultitiam & impietatem prodit cum dicit:Cur furatus es deos meos? Impietatis est quòd idola colit, stultitiæ autem quòd deos dicit, qui seipsos à furibus defendere non poterant. De hac idololatrarum stultitia lege in Baruch 6. Quod autem addit, stultè egisti, iterum mundi ingenium ostendit,cui stultum videtur quicquid pij faciunt. Non stultè egit iustus patriam repetendo, sed stultè agit mundus cælestem patriam contemnendo. Postremo magnæ arrogantiæ est quod subdit: Et nunc valet manus mea tibi reddere malum, &c. Sic enim mundus semper præsumit de potentia, cũ sciat
Esa.16. se nihil contra Deum posse. Arrogantia inquit tua plusquam fortitudo tua. Finaliter tamen velit nolit,confiteri cogitur veritatem,se videlicet à domino prohibitum, Si-
Num.23. cut Balaam inuitus & contra voluntatem suam Israelitas laudat.

Quòd inscio te profectus sum timui,&c.

Modestisimè satisfacit ad obiecta respondendo. Non de iniuriis cõqueritur,ne iratũ plus incitaret ad iram. Ser-
Prou.15. mo enim mollis frangit iram, Durus autem suscitat rixas. Sic iustus mauult de iure suo concedere, quàm rixas suscitare vel fouere. Et quamuis sciret se Deum propitium habere, vtitur tamen etiam humanis mediis ad leniendam iram soceri,eiusque importunitatem euadendam. Non sic Deo fidendum vt humana contemnamus media. Deinde ex magna confidentia bonæ conscientiæ permittit omnia sua scrutari. Tam mundas manus pij homines habere debent à rebus alienis,vt dicere posint: Glo-
2.Cor.1. ria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ, vt etiam si mundani omnia ipsorum verba & facta excutiant, nihil tamen mali in ipsis inuenire posint. Quis autem tam mundas habet manus à contactu alienorum bonorũ?
Eccle.3. Quis est hic & laudabimus eum? Quis gloriabitur ca-
Prou.24 stum se habere cor? Præterea iustitia sancti patriarchæ etiam ex hoc patet, quòd ipsa pœnam statuit in furem idolorum,nec leuem pœnam, sed mortem. Vnde patet quòd non condescenderet familiæ suæ ad peccata, imo

quòd

quòd non dissimulârit quanquã punierit. Iustus enim nõ est qui peccata aliorum dissimulat, & nõ arguit, cũ possit emendare. Signanter aũt ex verbo hoc liquet, quòd non tolerauerit idolatriam in sua familia. Imo quantũ detestatus sit idolatriam, quòd eam morte puniendam censet. Et meritò quidem, Si enim iustè aliqui Iudęorum idcirco in bello corruerunt, quia sub vestibus suis habebant de donariis idolorũ, quãtò iustius necari debuit qui ipsa idola furatus erat. Et si morte dignus est qui idola colit, quãto magis qui pro amore idolatriæ furtum facit. Damnat hęc seueritas iusti parentes, imo quoscunque superiores, qui peccata dissimulant, tolerant, imo & fouent in suis: tantum abest vt corrigant. *Mach. 12*

Ingressus itaque Laban, &c.

Adhuc inuidia se prodit. Imo iam primũ mortis occasioné quærit Laban, sanguiné sitit, maximè ipsius Iacob, ideo eius tabernaculum primò scrutatur, sed frustra. Sic frustra mundus piis calũnias struit. Quòd aũt Rachel idola abscondit, non tam muliebri sagacitate, quàm diuina prouidentia factum est. Deo nimirum pro sancto curante, ne in nouum periculum veniret. Nec opus est hic Rachel mendacium excusare, cum maiora interdum peccata in sanctis inueniamus, vt adulterium in Dauide, &c. Moraliter curemus & nos ne diabolus quicquam sui in nobis inueniat, exemplo Christi qui dixit: Venit princeps mũdi huius, & in me non habet quicquam. Quòd si quid adhuc de regno principis mundi habemus, studeamus abscondere per pœnitentiã, & super ipsum sedere per mortificationem veteris hominis. *2. Reg. 12*

Iratus Iacob contra Laban, &c.

Irascitur sanctus, sed non peccat, iuxta monitum psalmi: irascitur viciis non personæ. Videbat socerum nondum desistere à malo: ideo magna fiducia eum arguit, vt vel sic ad agnitionem sui veniret Laban. Tunc autem arguit iustus, cum iam scrutata omni suppellectile sua mundus inuentus fuerat. Sic is rectè alios arguit qui in seipso irreprehensibilis est. Recenset autem iustus vitam suã & labores, non vt seipsum commendet, sed vt Laban hinc discat se malè facere & fecisse. Ob eandem causam *Psal. 4*

etiam

etiam ingratitudinis meminit, quam perpessus fuerat, vt vel sic rubore perfunderetur Laban, ac peccatum suum agnosceret. Omnibus modis enim agendum est vt impij ad agnitionem proprij reatus adducantur. In vita autem sua iustus nihil aliud recenset quàm labores & crucem. Sic sanctorum vita perpetuam habet crucem. Quod autem dicit, æstu vrgebar & gelu, &c. Arguit ociosos & malos pastores, qui infirma non consolidant, gregem negligunt, &c. cum interim lacte & laua potiantur. Si tanta cura Iacob pauit greges irrationales, quanta cura pascendæ sunt oues, quas Christus suo sanguine redemit. Felix pastor qui in officio suo iustum hunc Iacob imitatur, infelicissimus qui non imitatur. In fine iustus Dei mentionem facit, idque egregiis titulis, nisi inquit Deus Abraham & timor Isaac affuisset mihi, &c. Timorem autem Isaac dicit, eo quòd Isaac Deum timeret & filios timorem Dei docuisset. Nisi inquit Deus quem patres mei coluerunt mihi affuisset: subindicans hunc verum Deum esse, &c. Deinde subdit, Sed Deus vidit humilitatem meã, & laborem meum. Hoc autem obseruandum contra eos qui dicunt, nullum esse respectum operum nostrorum apud Deum.

Ezec. 34.

Filij & filiæ & omnia quæ habes mea sunt.

Quantumuis admonitus esset Laban, nondum tamen agnoscit & confitetur se quicquam mali fecisse. Sic mundus nunquam malitiam suam agnoscit aut confitetur, sed semper dissimulat, tuetur, vel admonitus ad alia se vertit, quemadmodum hic Laban facit: Non detrectat autem Iacob etiam cum impio fœdus ferire.. Sic enim Paulus iubet, vt cum omnibus quantum in nobis est pacem habeamus. Cæterum fœdus quidem cum Laban ferit iustus, sed non consentit in malum, nihil aliud ab eo exigebatur, quàm ne ipsi socero noceret, aut filias suas malè tractaret. In hoc facilè consentit iustus, nullo modo consensurus si iniquum & impium aliquid exegisset ab eo Laban. Non igitur fœdus hoc patrocinatur impiis illis principibus qui nedum cum malis, sed & cum infidelibus fœdera iungunt, idque malis conditionibus contra obedientiam, Imò cum damno totius Ecclesiæ: tantum ne

Rom. 12.

tum ne ſubeſſe cogantur, &c. Fugiebat quidem olim etiam Dauid ad infideles, nempe ad regem Geth, ſed interim nihil contra fratres ſuos & pietatem faciebat, vt habetur in libro Regum. Diligenter autem Moſes hoc fœdus inter Iacob & Labã deſcribit, propter poſteros, Iudæos ſcilicet & Syros. Videmus autem etiam hinc, magna olim religione fœdera iniri ſolita, nec ſine inuocatione nominis diuini, vt vel ſic fortius ſeruarentur. Denique etiam ſignum fœderis erigunt, cumulum ſcilicet lapidum, & eundem quaſi conſecrãt, comedentes ſuper illum, vt poſteri per hoc admonerentur. Iurat autem Iacob per timorem patris ſui, id eſt, per Deum quem pater ſuus colebat. Adigit Laban Iacobum vt iuraret, imo eum diris deuouet, ipſe tamen non legitur iuraſſe. Sic impii multa exigunt à piis, ipſi nihil præſtant. *1. Reg. 27*

Laban verò mane conſurgens, &c.

Prius vt lupus irruerat, nunc oſculo finit. Tam potens eſt Deus. Sic luctum vertit in gaudium, vnde & Pſalmiſta dicit: In tribulatione dilataſti me. Meritò igitur Eſaias dicit: Quis tu vt timeas ab homine mortali, & oblitus es Dei creatoris tui. Meritò item dictum fuit de Iuliano: Nubecula eſt, cito tranſiet. Deum itaq; plus timeamus, cuius ira non nubecula ſed nubes eſt: nec cito trãſit ſed in perpetuum manet ſuper impios. Summa, hic tandẽ ſenſit Iacob promiſsionẽ impletã quã dixerat Dominus, tecum ſum. Qui igitur credit non feſtinet. Si moram fecerit dominus expecta eum, quia veniens veniet & non tardabit, &c. *Pſal. 4. Eſa. 51. Eſa. 28. Abac. 2.*

Caput triceſimum ſecundum.

Iacob autem abiit in itinere quod cœperat: fueruntq; ei obuiam Angeli Dei. Quos cum vidiſſet, ait: Caſtra Dei ſunt hæc, & appellauit nomen loci illius Mahanáim, id eſt, Caſtra. Miſit autem & nuntios ante ſe ad Eſau fratrem ſuum in terram Seir, in regionem Edom: præcepitque eis dicens: Sic loquimini domino meo Eſau: Hæc dicit frater tuus Iacob: Apud Laban peregrinatus ſum, & fui vſque in præſentem diem. Habeo boues & aſinos & oues, & ſeruos & ancillas: mittoque nunc legationem ad dominum

meum, vt inueniam gratiam in conspectu tuo. Reuersiq; sunt nuntii ad Iacob, dicentes: Venimus ad Esau fratrem tuum, & ecce properat in occursum tuum cum quadringentis viris. Timuit Iacob valde: & perterritus diuisit populum qui secum erat, greges quoq; & oues & boues & camelos in duas turmas, dicens: Si venerit Esau ad vnam turmam, & percusserit eam, alia turma quae reliqua est, saluabitur. Dixitq; Iacob: Deus patris mei Abraham, & Deus patris mei Isaac: Domine qui dixisti mihi: Reuertere in terram tuam, & in locum natiuitatis tuae, & benefaciam tibi: minor sum cunctis miserationibus tuis, & veritate tua quam expleuisti seruo tuo. In baculo meo transiui Iordanem istum: & nunc cũ duabus turmis regredior. Erue me de manu fratris mei Esau, quia valde eum timeo: ne forte veniens percutiat matrem cum filiis. Tu locutus es quòd benefaceres mihi, & dilatares semen meũ sicut arenam maris, quae prae multitudine numerari non potest. Cumq; dormisset ibi nocte illa, separauit de his quae habebat, munera Esau fratri suo, capras ducentas, hircos viginti, oues ducentas, & arietes viginti, camelos foetas cum pullis suis triginta, vaccas quadraginta, & tauros viginti, asinas viginti, & pullos earum decem. Et misit per manus seruorum suorum singulos seorsum greges, dixitque pueris suis: Antecedite me, & sit spatium inter gregem & gregem. Et praecepit priori dicens: Si obuiũ habueris fratrem meum Esau, & interrogauerit te, Cuius es? aut quò vadis? aut, Cuius sunt ista quae sequeris? respondebis: Serui tui Iacob, munera misit Domino suo Esau, ipse quoque post nos venit. Similiter dedit mandata secundo, & tertio, & cunctis qui sequebantur greges, dicens: Iisdem verbis loquimini ad Esau, cũ inueneritis eum. Et addetis: Ipse quoque seruus tuus Iacob, iter nostrum insequitur, dixit enim: Placabo illum muneribus quae praecedunt, & postea videbo illum, forsitan propitiabitur mihi. Praecesserunt itaq; munera ante eum, ipse vero mansit nocte illa in castris. Cumq; maturè surrexisset, tulit duas vxores suas, & totidem famulas cum vndecim filiis, & transiuit Vadum Iaboc. Traductisq; omnibus quae ad se pertinebant, mansit solus: & ecce vir luctabatur cũ eo vsq; manè. Qui cũ videret, quòd eũ superare non posset, tetigit neruũ femoris eius, & statim emarcuit. Dixitq; ad eum: Dimitte me, iã enim ascendit aurora. Respondit: Non dimittam te, nisi benedixerit mihi. Ait ergo: Quod nomẽ est tibi? Respondit: Iacob. At ille, nequaquã, inquit, Iacob appellabitur nomẽ

tuum, sed Israel: quoniã si contra Deũ fortis fuisti, quantò magis contra homines prævalebis? Interrogauit eum Iacob: Dic mihi quo appellaris nomine? Respondit: Cur quæris nomen meum? Et benedixit ei in eodem loco. Vocauitq; Iacob nomen loci illius Phanuel, dicẽs: Vidi Dominũ facie ad faciẽ; & salua facta est anima mea. Ortusq; est ei statim sol, postquã transgreßus est Phanuel: ipse vero claudicabat pede. Quam ob causam non comedunt neruum filii Israel, qui emarcuit in fœmore Iacob, vsq; in præsentem diem, eo quod tetigerit neruum fœmoris eius, & obstupuerit.

HOc capite prosequitur Moses historiã reditus ipsius Iacob, vbi primo videbimus q̃ verè dixerit Iob, militiã esse vitã hominis super terram. Cessante enim vna tentatione succedit alia, & plerunq; maior. Videbimus è regione q̃ præsens sit Deus iustis in afflictione positis. Prętera videbimus pio homini mai⁹ periculũ esse à falsis fratrib⁹ q̃ ab extraneis, id quod in Iacob ostẽditur, Ecclesia plus satis experta est, & etiã nũc experitur. Insup docebit nos hoc caput q̃d faciat tẽtatio, & ꝙ nõ cõstare in ea possit etiã pius homo, nisi diuina gratia suffulciatur, & crebris cõsolationibus foueatur, vnde non immerito Christus discipulis dicit: Orate ne intretis in tentationem. *Iob. 7.* *Matt. 26*

Iacob autem pergebat itinere quod cœperat.

Pulchrè hoc exordiũ opponitur ei quòd in fine præcedentis capitis dictũ est: Lăban consurgens reuersus est, Iacob autẽ perrexit vlterius. In hoc enim differũt pii ab impiis, quòd pii progrediuntur semper ad ea quæ ante ipsos sunt, impii autẽ retrocedũt. Non simpliciter autem progreditur Iacob, sed eo itinere quod cœperat, nẽpe ad patrẽ & patriã, hoc enim tantũ laudabile est. Alioqui etiã impii progrediuntur in suis peccatis, donec veniant in profundũ. Verùm sic progredi est retrogredi. De Laban igitur nullã amplius facit mẽtionẽ Moses, ꝓpterea quòd egressus est, huiusmodi enĩ homines indigni sunt quorũ fiat mẽtio apud posteros. De Iacob aũt progrediẽte plura adhuc dicit. Iustus enim æterna memoria dignus est. *Phil. 3.* *Psal. 111.*

Obuiam fuerunt ei angeli Dei.

Nihil tale vidit Laban quia retrocessit. Solis enim

 progre-

Psal. 83. progredientibus in via Dei apparent angeli, imo & Deus ipse, iuxta illud: Ibunt de virtute in virtutem, videbitur Deus deorum in Sion. Hoc igitur iam tertiò consolatus est Deus iustũ in sua peregrinatione. Primo enim verbis eum consolatus est, Secundò aduersarium impediuit, ipsum scilicet Laban, nunc tertiò etiam angelos mittit. Verè magnifica consolatio: Nihil tale vel petere aut sperare ausus fuisset sanctus vir, imo nunquam cogitasset tam prope sibi adesse angelos. Sic enim in tentatione videmur nobis esse soli & ab omnibus derelicti, cũ interim & Deus & angeli nobiscum sunt, vnde & Heli-
4. Reg. 6. zeus: Plures inquit nobiscum sunt quàm cũ illis. Et Psal-
Psal. 33. mista: Immittet vel castrametabitur angelus domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos. Ideo autẽ angeli obuiam venerunt iusto, vt cõsolationem acciperet, post terroiẽ quem ex insectatione soceri cõceperat. Sic enim Deus mortificat & viuificat, postque pluuiam serenitatem inducit, & post luctum gaudium. Quis enim dubitet ex conspectu angelorum iustum insigniter consolatum & exhilaratum fuisse. Deinde etiam ideo obuiam veniunt angeli iusto, vt hinc confortaretur ad futuram tẽtationem, quæ iam imminebat. Sic enim & nos nunc multipliciter verbo suo consolatur, vt inde robur concipiamus aduersus futuras tentationes mortis & inferni, quæ certò nobis occurrent, ꝗuis pauci diuinis consolationibus in hunc finem vtantur. Præterea etiã ideo iusto apparuerunt angeli, vt sciamus in via Dei ambulantibus certò adesse angelos, etiam si ipsos non videamus, sed in hac sola via assunt, alibi nihil minus. Vnde & Christus:
Luc. 15. Gaudiũ inquit est angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente. Obserua quòd non missi dicuntur hic angeli, sed venisse, vt vel hinc videamus eorũ affectũ. Ad
Psal. 9. nos quanꝗ veraciter à Deo missi fuerint, qui angelis suis mandauit de fidelibus, &c. Nec simpliciter dicit vnũ angelum aut duos obuiam venisse, sed plures, ad maiorem iusti & nostram consolationẽ. Nec dicit: Apparuerũt ei
Gen. 18. angeli, quẽadmodũ supra de Abraham & Loth dicitur, sed venerunt ei obuiam, quod insigne sonat victoris & emeriti, cui pro gloria triumphi pompa cœlestis obuiam proce-

procedens,festiua exceptione lætum obsequiũ præbuerit. Per hoc autem præostensum est,quod post obedientiæ laborem cuiq; viro fideli superest supernis illum reuelationibus glorificari,& cœlestium spirituũ crebra visitatione iam in hac vita remunerari. Sic ipse Christus postq̃ tentationes euicit,exceptus est victor ab angelis. Reliquit enim eũ tentator,& angeli accedentes ministrarunt ei. Sic pro modulo suo quiq; electorum,quanto superiores hominibus fiunt,tantum proximi Deo effecti, ministerio fruũtur angelorũ. Qui oẽs,vt Paulus ait, sunt administratorij spiritus,&c. Locus autẽ ipse vbi angelorum visitatio declaratur,Ecclesiæ secretum est,qui & rectè Manaim,id est,castra dicitur. Nã & ipsa Ecclesia terribilis est,vt castrorum acies ordinata. In fine autẽ & reuertentibus è prelio perfectè implebitur illud: Obuiam fuerunt ei angeli Dei. Vide autẽ etiam hic piũ iusti animum. Statim enim agnouit angelos. Castra inquit Dei sunt hæc. At quoties nobis occurrũt angeli, bona inspirantes & consolantes, nec tamen eos agnoscimus. Deinde iustus etiam loco illi nomen dat, vt etiam posteri huius rei admoneantur ad laudem Dei, & suam ipsorum consolationem. Non satis habuit iustus pro se gratias agere,nisi etiam posteros ad hoc inuitaret. *Mat.4.* *Cant. 6.*

Misit etiam nuncios ad Esau fratrem suum.

Quamuis angelica apparitione abunde cõsolatus fuerat iustus,nondum tamen à tentationibus liber erat. Sperare potuisset in occursum angelorum iam se tutò peruenire posse ad patrem. Sed ecce alia tentatio & maior, In mentem veniebat ira fratris sui. Sciebat carnales non facilè obliuisci iniuriarum,sciebat fratrem suum iam potentem & diuitem effectum. Videbat non aliud iter sibi patere,nisi per terminos ipsius Esau. Sciebat se tanta turma non posse occultè transire & fallere. Videbat demum se imparem viribus,vim vi repellere non posse, ad consueta igitur arma confugit,humilitatem scilicet, & modestiam,nuncios mittit: præuenit ipsum Esau: quamuis nihil ei deberet, pacem petit: idque admodum electis verbis,quæ etiam quantumuis iratum emollire possent. Sic dicetis domino meo Esau,&c. Primò dominum eum

 nomi-

nominat, ſeipſum illi ſubiiciens, cum tamẽ ſciret ſibi dominium competere. Deinde admonet eum fraternitatis: Hæc mandat frater tuus Iacob. Tertiò peregrinationem ſuam diuturnam ob oculos ponit, vt magis emolliat eũ. Quartò dicit ſe habere oues & pecora, ne Eſau ſuſpicetur ipſum ad paternam hæreditatem anhelare. Poſtremò pacem petit. Vide quantum negocii incumbat iuſto vt ſecurè tranſire poſsit per mundum. Nullum melius consilium excogitare potuiſſet iuſtus hic. Sic enim & Chriſtus docet: diſcite, inquit, à me quia mitis ſum & humilis corde. Hic igitur vides mira Dei opera. Eſau qui benedictionem perdiderat, iam dudum diues & potens erat, Iacob autem qui benedictionem conſequutus fuerat, adhuc peregrinus erat, nec domum quidem habẽs. Quis non hic dubitaſſet de benedictione. Verũ ſic agit Deus quòd impii ſtatim creſcunt, magni fiunt, ſed etiam ſtatim deiiciuntur. Econtra pii paulatim creſcunt, ſed tamen perpetuò manent. Summa quantumuis Eſau externè videatur plus habere ac ſecurius viuere quàm Iacob, reuera tamen Iacob longè plura habebat internè, multoque ſecurior erat, habens ſcilicet Deũ, &c. Non igitur ſecundum externa, ſed ſecundum interna iudicandum eſt.

Matt. 11.

Reuerſi ſunt inimici, &c.

Volunt aliqui Eſau bona voluntate vel intentione motũ fratri occurriſſe, quod tamen non admodum veriſimile eſt. Alioqui Iacob non tantopere timuiſſet, imo Eſau fruſtra ſecum quadringentos viros adduxiſſet. Apparet igitur quòd ea intentione exierit, qua olim dixerat, Venient dies luctus patris mei, & interficiam fratrem meum. Iam videbat ſe fratrem in manibus habere, nec ipſum aliquo modo effugere poſſe. Iam conabatur vi & potentia benedictionem recuperare, nihil minus cogitans, quàm angelos ſuos cum fratre ſuo eſſe, interim Deus diſsimulat, permittit eum in magna ſuperbia exire, ſed infra dicetur quod facilè violentiam eius contuderit. Sic olim Pharao, Sẽnacherib, Antiochus, &c. ſæuire & ſuperbire ad tẽpus permiſsi ſunt, ſed in ipſo ſuo impio conatu impediti. itidẽ & nũc Deus ſuperbiam impiorum contũderet, ſi pietatẽ coleremus. Videmus hic etiã quid

ſit

sit mūdus. Primò quo magis se humiliat Iacob, eo magis superbit Esau, Sic faciūt impii. Secundò frustra petierat Iacob sibi ignosci, seq; ad gratiā recipi. Tertiò etiā post viginti annos ira adhuc occupat animū Esau, cum Iacob supra tam facilè ignouerit ipsi Laban. Piorū enim conditio est statim ignoscere & facilè, vnde Christus: Diligite inimicos vestros, &c. Impium autē & Diabolicū est iram retinere, Vnde scriptura hoc vbiq; prohibet. Sol inquit Paulus non occidat super iracundiam vestram. *Ephe. 4.*

Timuit Iacob valde, &c.

Hic noua occurrit tentatio. Sic enim in via ad patrem duo genera aduersariorū patimur. Mundus à tergo sequitur reducere volēs, à frōte viam obsidēt falsi fratres, iter nostrū impedire volētes. Cæterùm sicut Iacob plus timuit fratrem occurrentem quàm Laban persequētem (fratrum enim iræ & inimicitiæ intentissimę sunt) sic pio homini plus periculi imminet à falsis fratribus, quàm à paganis & gentilibus: id quod Ecclesia non semel experta est, & nūc experitur. Hic igitur videmus quid faciat tentatio & quam sæpe etiam robustissimos deiiciat. Paulò ante angelis obuiantibus fortis erat Iacob, Nunc autem ad vnum rumorem ita pusillanimis efficitur, vt fermè desperet. Hoc autem ideo permisit Deus, & etiam nunc permittit, vt sciamus, & auxilium in tribulationibus esse donum Dei, quod non ex nobis habemus. Deinde vt non superbiamus.

Diuisit populum in duas partes, &c.

Diligēter obseruandū quid iustus hic agat, & quibus mediis aduersus imminentē tempestatem se muniat. Primò nō ad arma externa currit, nec vim vi repellere studet, sed ad patientiā se disponit, Arma enim militiæ nostræ nō carnalia sunt, &c. Nō tamē ociose cessat, sed etiā humana media adhibet, ne videatur tētare Deū. Nō tamen humanis mediis cōfidit, sed ad orationem confugit: hoc enim certissimum medium est. Sic enim & Christus fecit & docuit, nec simpliciter tantum, & oretenus orat, sed perfectissima oratione, quæ omnes conditiones habet exauditu dignas. Sic enim angustia rectè & ex animo orare docet. Primò beneuolentiam captat cum dicit: Deus *2. Cor. 10* *Mat. 26.*

 Abra-

Abraham,&c.nominat cũ Deũ & dominũ.Secũdò beneficia accepta recolit,in baculo meo trãsiui Iordanẽ istũ, &c.Tertiò admonet Deum promissionum,idq; subinde repetit: Tu dixisti reuertere.Quartò agnoscit suam infirmitatem,minor sum omnibus miserationibus.Quintò orat:Erue me domine de manu fratris. Sextò non tantũ pro se,sed pro aliis,Ne percutiat matrẽ cũ filiis: timebat ne occiso semine benedicto Christus non veniret. Hæ sunt veræ conditiones orationum, quas vtinam attenderemus.Non enim deest nobis Esau persequens, ac nõ solum filios,sed & matrẽ Ecclesiam perdere volens,&c.

Separauit etiam ex hiis quæ habebat bona.

Etiam hoc medio vtitur,studet eũ placare donis.Impii enim munera diligunt: vnde huiusmodi hominibus
Matt.5. qui donis mouentur,nõ est cõmittenda potestas.Discamus & nos cõcordare cũ aduersario dũ sumus in via,&c. Omniaq; parati simus expendere, vt securè cum nostris ad patrẽ peruenire possimus.Obseruandũ hic etiã quàm diues effectus fuerat Iacob,qui fratri è gregibus suis tot capita donarit,nempe quingenta sexaginta, tam copiosè Deus suos benedicit,imo tã diuites nos facit benedictio domini.Obseruandum item quod Iacob non curat ia-
Prou.10. cturã facere gregis, dummodo homines seruentur, quo facto damnantur impii pastores,qui plus curant temporalia quàm animarum salutem.

Cumque mane surrexisset tulit vxores, &c.

Non sine causa Iacob hanc noctem duxit insomnem. Iam enim implendæ erant promissiones Dei.iam peruenerat ad Iordanem.iam ingredi incipiebat terrã promissam,qua tota nocte orauit,partim vt felix esset ingressus in terrã promissam,partim vt iã ferme terminũ attingẽs nõ impediretur ab Esau, partim etiã orauit pro posteris suis,quorũ aduersitates iã præuidebat.Maiorẽ iustus hic curã salutis habebat q̃ nos, qui altè stertim⁹.persuadẽtes nobis oĩa salua esse,nihilq; opus oratione & vigilia. Nõ
Psal. 62. cõsiderãtes illud Psal.Sic memor fui tui sup stratũ meũ,
Psal.118. In matutinis meditabor in te.Itẽ,media nocte surgebã ad cõfitendum tibi. Discamus hic in exordio operis nostri precari à Deo felicẽ successum.Discamus cũ ad Iordanẽ,

id est,

id eſt, mortem appropinquamus, fortius orare, inuigilare, ne tunc impediamur à diabolo oĉs vias inſidente. Tūc enim vel maximè opus habemus Dei auxilio, etiam ſi tota vita in viis domini inceſsimus. Solus autem remanet Iacob vt bonus paſtor, & diligens paterfamilias, ſollicitus ne quis ſuorum vltra fluuium & extra terrā promiſſam remaneret: quod vtinam imitarentur paſtores Euangelici. Deinde etiam ideo ſolus remāſit, vt ſecretius oraret & feruentius. Quòd autem Moſes tam diligenter deſcribit, & ordinatè, quos tranſmiſerit Iacob per fluuium, nempe vxores, ancillas, filios, pecora: ideo fecit, vt videamus quàm glorioſus redeat Iacob, qui tam humilis & pauper à patre exierat. Nec enim vel ipſe Iacob ſperare aut petere tanta auſus fuiſſet. Si dederit inquit mihi dominus panem & veſtimentū: erit mihi Dominus in Deū, &c. nihil maius petebat, ſed Deus ex ſua bonitate multa plura dedit. Verum igitur eſt illud Pſalmi: Reuela domino viam tuam & ſpera in eo, & ipſe faciet. *Geneſ. 28* *Pſal. 76.*

Et ecce vir luctabatur cum eo vſque mane, &c.

Dicunt Iudæi hunc fuiſſe angelum ipſius Eſau cuſtodē, qui tentauerit impedire tranſitū ipſius Iacob, & benedictiones transferre ad Eſau. Alii dicunt quod fuerit angelus ipſius Iacob. qui voluerit ipſum relinquere propter diffidentiam, quamobrem Iacob luctans eum retinere nitebatur. Huc adducunt illud Oſeæ: Inuoluit ad angelū: fleuit & rogauit eum, ſcilicet ne diſcederet à ſe. Alii ducunt quòd tantū fuerit ſpiritualis lucta, qualem ſæpe experimur in orationibus, ſpe & timore inter ſe cōcertantibus, vel qualem Chriſtus ſuſtinuit in orto, cum ſanguinem ſudaret. Quanquam autem Iacob verè ſenſerit huiuſmodi luctam in ſpiritu, ex litera tamen apparet, quòd etiam corporalis luctatio fuit. Infra enim dicitur, quòd angelus tetigit neruum fœmoris Iacob. Sic enim ſolent luctatores agere, vt etiam ſi victi fuerint, tamen etiam victor non illæſus abſcedat. Vide igitur mira Dei conſilia & opera, præceperat iuſto vt in patriam reuerteretur, & tamen perpetuis eum tentationibus ſubiicit, multa impedimenta ei obiicit, vt ſanctus dubitare po tuiſſet, num verè à Deo vocatus, an deluſus eſſet. Et nos *Oſee. 12.* *Luc. 22.*

igitur, de vocatione Dei non dubitemus sed pergamus in ea: exemplo Iacob, & si non semper ex animi sententia res procedat. Tētat enim nos dominus, & finaliter nobis aderit. Deinde consolaturus iustū dominus prius eum in maiores angustias cōiicit. Sic enim facere solet, vt prius deducat in infernum, postea reducat. Sic Israelitas liberaturus in maius periculum coniecit, vt Mosi irascerentur, qui liberationis mētionem fecerat. Sic etiam hic iustum in summam angustiam coniicit. Primò enim cū pauidos etiam sonus folii cadentis terreat, quis dubitet iustum hunc iam animo timidum exterritum esse: cū angelus in eū, nihil tale cogitantē irrueret, & prosternere conaretur, deinde horribile est vel spiritum audire, At hic cum spiritu cogitur luctari. Præterea nōdum sciebat bonus ne vel malus esset spiritus, nec sciebat quid intenderet, an eum totaliter occidere vellet vel non. Deniq; in nocte & solus erat: vt interim taceā quod internè etiam spiritualem luctam sentiebat: per hunc enim insultum angeli poterat cogitare etiam Deum sibi iratum, & à se recessisse, quo nihil horribilius. Sic igitur vir ille vndiq; tentatus, internè & externè videbat nedum homines sed etiam angelos, imo & Deum ipsum sibi obsistere, & tamē persistit nec cedit, solo nimirum verbo suffultus, quod dominus dixerat: Tecum ero & benefaciam tibi. Cogitabat enim quantūcunq; omnia aduersari videantur, tamē scio quòd Deus mentiri non potest: Scio quòd me vocauerit, &c. Hæc erat ipsius consolatio: hæc ipsius fortitudo. In hac pugna veraciter sensit fortitudinē verbi diuini, quam extra tentationem nemo perfectè sentit. fide igitur in verbū Dei omnis tentatio vincitur, sed ea fide quā iustus hic habuit, nēpe quę operibus decorata fuit, non ea quam pseudochristiani iactant citra opera. Per hanc igitur luctam Deus iusto ostendere voluit orationem eius esse exauditam, & quòd Esau nihil cōtra ipsum præualiturus esset, quasi dicat, quid times fratrem tuum hominem, qui tantùm externam potētiam producit cōtra te, cum tu maiorem fortitudinem habeas, nempè spiritualem, eaq; arma quæ potentia sunt Deo, ad demoliendam etiam spirituum malorum potestatem, &c. Quibus igitur

Exo. 5. *2. Cor. 10*

igitur armis contra me in hac lucta vsus es, nempe fide, patientia, alijsque virtutibus, eisdem vtere contra fratrem tuũ & viceris. Omnia hæc etiã nobis dicta esse sciamus. Deinde per hãc luctam præfiguratus fuit status Israelitici populi vsque ad aduentũ Christi, qui talis fuit, quòd propter peccata populi sæpè Deus voluit recedere, & dudũ recessisset, nisi Iacob eum retinuisset. Huc pertinet quòd sæpè comminatus est se populum relicturum propter peccata. Semper tamen à fidelibus illius populi retentus fuit. Sic primo eum tenuit Moses: Sic postea eũ tenuit Helias, Ieremias, & alij. In summa lõgo & perpetuo luctamine retentus est Deus ab illo populo, nec ante dimissus donec cõpleret benedictiones suas, dãdo benedictionẽ illam in qua benedicerẽtur omnes gentes, Christum scilicet, &c. *Exod. 32* Deinde hæc lucta adumbrauit vitam Christianam, quæ nihil aliud est quàm lucta, in qua aliquando vincimus, aliquando vincimur. Fœlix qui in ea lucta sic armatus est vt Iacob, is enim tãdem omnia aduersa perrumpit, ac etiam Deum vincit, non ipsius potentiam, hoc enim est impossibile: sed id quod in propria conscientia sentit, Deũ scilicet sibi iratum, seq; damdandum, &c.

Tetigit neruum fœmoris eius, &c.

Qui in lucta se videt victum, saltem hoc agit si potest, ne victor illęsus abeat. Sic angelus hic agit. Deinde etiam verbis quasi infirmior dicit: Dimitte me quia aurora est. Nolebat enim ab aliis videri, qui hoc spectaculo indigni erant. Et verbo igitur & facto ostendit se victum, ad consolationem iusti, & vt nobis commendaret fidei & patiẽtiæ fortitudinem. Obseruandum quòd Iacob vsque ad auroram luctatus est: persistamus & nos donec lux diuini auxilij illustret nobis.

Non dimittam te nisi benedixeris mihi, &c.

Vox verè Christiana est, quasi dicat, quia in magno timore sum & angustia, non dimittã semel comprehensum, nisi me ex hac angustia liberes. Sic qui Deũ semel cõprehendit, non dimittat eum nisi benedixerit, id est, gratiam dederit. Non quidem perpetuò hic eum retinere possumus, vt non interdum se occultet & abeat, sed contentos oportet esse benedictione eius. In futura autẽ vita dicet

sponsa

Cant.3. sponsa simpliciter: Tenui eum nec dimittam,&c.

Non vocaberis vltra Iacob sed Israel.

Sẽsus est quasi dicat: Nequaquã vltra Iacob, id est, supplantator vocaberis: quod nomen Esau tibi vitio vertit, quasi cũ eo insidiis & astu egeris. Nõ enim mecũ insidiis
Sup.c.11. non malis artibus, nõ supplantatione mecum luctatus es, sed verè æquo marte, & solidis viribus. Est autem occulta confortatio ipsius Iacob ne fratrem metuat, cum sit tã fortis pugil, ideo subiungit: Si enim contra Deum fortis fuisti, &c. Hic igitur iterum videmus quòd Deus non temerè & sine causa iustorum interdum mutarit nomina, sed ad significationem futurorum, quemadmodum & supra de Abraham dictum est. Israel autem à Chrysostomo
Su.ca.17. interpretatur, mens videns Deum, Ab aliis, vir videns Deum: Nomen vtique solis fidelibus conueniens. Propriè tamẽ Israel interpretatur princeps Dei, vel fortis cũ Deo, cuius nominis causa statim subditur. Si enim cõtra Deum præualuisti, &c. Obseruandum quòd iustus nõ simpliciter princes aut fortis dicitur, sed princeps Dei, vel fortis cum Deo, vt intelligas non carnalem nobilitatem aut fortitudinem, sed spiritualem. Per hoc autem nomen significabatur primum quòd fratri suo præualiturus esset. Deinde quòd religione sua superaturus esset omnes gentes. Quòd autem Iacob non ex natura aut ex circuncisione nomen hoc Israel habuit, sed ex lucta illa cum angelo, in qua fide perstitit. Signum est quod hoc nomen ad eos tantùm pertinet, qui fidem ipsius imitantur. Non igitur Israelitæ sunt Iudæi nostri, quum fidem Iacob non habeant, quantumuis ex semine eius prognati
Rom.9. sunt. Econtra veri Israelitæ sunt omnes fideles, etiam si non ex seminè carnali ipsius Iacob nati sunt. Obseruandum etiam quòd non ante sed post victoriam & luctam iusto nouum nomen imponitur. Sic & nobis vincentibus & pugnantibus dabitur nomen nouum, quod os Do
Isa. 62. mini nominauit. Imo nomen æternum, vt Ecclesiastici.15 dicitur.

Cur quæris nomen meum, quod est mirabile, &c.

Nondùm tempus erat nomen Dei manifestari, vnde in
Exod.6. Exodo dicitur: Nomen meum Adonai non manifestaui eis:

eis. Est autem sensus huius verbi, quasi dicat angelus: Cōtentus esto benedictione & promissione, quòd fratri prę ualiturus sis. Non quæras maiora. Sic Deus sæpenumero temerarias & friuolas nostras interrogationes illudit. Vt cum Petrus interrogaret, hic autem quid? respōdit Christus, quid ad te, &c. Item cū Discipuli interrogarent, Nū in tempore hoc restitues regnum Israel? Respondit: Nō est vestrum nosse tempora vel momenta. Sic & filiis Zebedæi dicit: Nescitis quid petatis. Semper enim caro maiora quærit. *Ioan. 21.* *Actor. 1.* *Matt. 20*

Et benedixit eum in eodem loco, &c.

Benedixit, id est, bona præcatus est, securitatem promisit. Hic est finis luctæ, propter hoc venerat angelus, hoc petierat Iacob. Et nos igitur si in fide perstiterimus, benedictionem consequemur. Superata enim tentatione robur quoddam & diuinæ gratiæ auctarium adijcitur pugnāti, quo fit ad futurum hostis assultum multo quàm fuerat alacrior & munitior.

Vidi Dominum facie ad faciem, &c.

Hæc est gratiarum actio pro beneficio consolationis, Non tamen vidisse credendum est Dominum perfectè, hoc enim nulli in hac vita conceditur. Non videbit me homo inquit & viuet. sed formam vidit in qua dominus natura inuisibili repræsentabatur. Ex qua consecutus est diuinæ amicitiæ securitatem, fœdusque inter se & Deum confirmatum agnouit, omnemque conscientiæ angorem excussit. Mysticè autem: Antequam benedictionem daret Dominus, hoc est antequam veniret semen illud benedictum, Christus scilicet, Deum nemo viderat vnquā: per illam autem benedictionem effectum est, vt nunc videamus per speculum in ænigmate, tūc autem facie ad faciem, cum præsentem finierimus peregrinationem, vnde & non abs re dictum est: Ortusque est ei sol postquam transisset Phanuel, quod interpretatur facies Dei. Essusa namque benedictione ortus est sol iustitiæ populo sanctorum, dando salutem in remissionem peccatorum, per viscera misericordiæ Dei nostri, in quibus visitauit nos oriens ex alto, illuminare, &c. *Exod. 33.* *Iohan. 1.* *1. Cor. 13.* *Luc. 1.*

Ipse autem claudicabat vno pede, &c.

Neruus

Neruus fœmoris propagationem significat carnis, antequam igitur veniret Christus & modo prædicto benedictionem daret, virebat & florebat carnale genus Israel: legitimumq; & sanctum erat singulas tribus per familias & domos suas distinguere, donec fructus benedictionis exiret, ne incertum foret qua ex tribu quave ex familia prodiret, quem de tribu Iuda de domo & familia Dauid nasci debere pronũciatum esset. At vbi venit hic, qui solus genealogiarum texendarũ causa erat, nihil iã curamus carnalem Iudæorum propagationẽ, aut carnales genealogias. Neruus igitur fœmoris Iacob nunc emarcuit: quia reiecto carnali populo spiritualis successit. Claudicat igitur Iacob, sed vno tantùm pede, id est, ex parte reproborum populi sui. Iuxta illud, filij alieni mentiti sunt mihi, &c. Altero autem pede, id est, ex parte electorũ & spiritualis populi firmus incedit. Vel claudicat Iacob vno tantum pede, quia maledicti sunt qui vtroque claudicant pede, hoc est, qui carni simul & Deo placere volũt, quod
Matt. 6. tamen impossibile est, nam nemo duobus dominis seruire potest. Fœlix autẽ in quo alter pes, id est, caro sic claudicat, vt spiritui tantum innitatur ac fidat. Et qui sic Deo tangente claudi redduntur, veri sunt Israelitæ qui Dominum facie ad faciem vident. Sic enim Deus spiritũ hominis confortat, roborat, & benedicit, vt tamẽ carnẽ tãgat, exiccet & mortificet. Virtus namque Dei in infirmitate nostra perficitur. Quo enim magis in nobis caro imminuitur, hoc magis augescit in nobis virtus spiritus. Non igitur ægrè feramus si caro malè habeat, si corpore non admodum valeamus, imo beneficij loco ducamus, hoc autem agamus vt spiritus fortis sit, tunc enim nihil nobis oberit, etiam si caro ægrotet.

Quam ob causam non comedunt neruum, &c.

Verbũ comedendi apud Hebræos in futuro scribitur, ex eo tempore lege constituta filiis Israel, vt in facti illius memoriam hanc corporis particulam non edant, vt grati semper sint Deo promissionũ Iacob factarum. Inducit enim Deus sacræ litteræ fideles ad beneficiorum Dei memoriam, obseruantiis quibusdam, velut arte quadam rudibus & infirmis admodum necessaria, qui Dei magnalia

facilè

facilè obliuiſcuntur. Non igitur contemnendæ ſunt etiã Chriſtianorum obſeruantię propter ſimilem cauſam inſtitutæ.

Caput triceſimum tertium.

ELEVANS *autem Iacob oculos ſuos, vidit venientem Eſau, & cum eo quadringentos viros: diuiſitq; filios Liæ & Rachel, ambarumque famularum: & poſuit vtramque ancillam & liberos earum in principio: Liam verò, & filios eius in ſecundo loco: Rachel autem & Ioſeph nouiſſimo: Et ipſe progrediẽs adorauit pronus in terrã ſepties, donec appropinquaret frater eius. Currens itaque Eſau obuiam fratri ſuo, amplexatus eſt eum: ſtringensq; collum eius, & oſculans fleuit. Leuatiſque oculis vidit mulieres & paruulos earum, & ait: Quid ſibi volunt iſti? & ſi ad te pertinent? Reſpondit: Paruuli ſunt quos donauit mihi Deus ſeruo tuo. Et appropinquantes ancillæ & filij earum incuruati ſunt. Acceſſit quoque Lia cum pueris ſuis: & cum ſimiliter adoraſſent, extremi Ioſeph & Rachel adorauerunt. Dixitq; Eſau: Quænam ſunt iſtæ turmæ quas obuiam habui? Reſpondit: Vt inuenirem gratiam coram domino meo. At ille ait: Habeo plurima frater mi, ſint tua tibi. Dixitque Iacob: Noli ita obſecro: ſed ſi inueni gratiam in oculis tuis, accipe munuſculum de manibus meis, ſic enim vidi faciem tuam, quaſi viderim vultum Dei: eſto mihi propitius & ſuſcipe benedictionem quam attuli tibi, & quam donauit mihi Deus tribuens omnia. Vix fratre compellente ſuſcipiens ait: Gradiamur ſimul, eroq; ſocius itineris tui. Dixitq; Iacob: Noſti domine mi quod paruulos habeam teneros, & oues & boues fœtas mecum: quas ſi plus in ambulando fecero laborare, morientur vna die cuncti greges. Præcedat Dominus meus ante ſeruum ſuum: & ego ſequar paulatim veſtigia eius, ſicut videro paruulos meos poſſe, donec veniam ad Dominum meum in Seir. Reſpondit Eſau: Oro te, vt de populo qui mecum eſt, ſaltem ſocij remaneant viæ tuæ. Non eſt, inquit, neceſſe: hoc vno tantum indigeo, vt inueniam gratiam in conſpectu tuo domine mi. Reuerſus eſt itaque illo die Eſau itinere quo venerat in Seir. Et Iacob venit in Socoth vbi ædificata domo & fixis tentoriis appellauit nomen loci illius Socoth, id eſt, tabernacula. Tranſiuitque in Salem vrbem Sichimorum, quæ eſt in Terra-Chanaan, poſtquam reuerſus eſt de Meſopo-*

Mesopotamiæ Syriæ: & habitauit iuxta oppidum Emitq́ partem agri in qua fixerat tabernacula, à filiis Hemor patris Sichem centum agnis. Et erecto ibi altari, inuocauit super illud fortißimum Deum Israel.

IN hoc capite duo illi fratres Iacob & Esau iam olim dissidentes concurrunt, sed admodum dissimiliter. Esau magna pompa: Iacob summa humilitate & deiectione suiipsius. Quo exemplo mundi huius status expressus est, Impij enim magna pompa diuitiarum & potentiæ conspicui sunt, minantur, dira interdum proponunt, sed ad tempus durat eorum potentia, quam Deus aliquantisper dissimulat. Econtra & piorum deiectio ad tẽpus tantùm durat, quam & Deus in bonũ illorum dissimulat interdum. Suo tamen tempore mirabiliter exaltandi sunt, id quod videmus in sancto Iacob, quo nihil deiectius, si hoc caput inspicias, cogitur enim impio se submittere. Econtra nihil eo gloriosius, si tempus egressionis ex Aegypto & ingressionis in terra Chanaan aspicias. Sic igitur præcedens caput docuit, quod ante tentationem pio homini faciẽdum sit. Sic hoc caput docet quid in & post tentationem faciamus.

Leuans autem Iacob oculos suos, &c.

Indicat hoc verbum quòd iustus non paruam confortationem ex superiore apparitione acceperat, quasi dicat Moses: Alius extimuisset & ne respicere quidem ausus fuisset tantam aduersariorum multitudinem venientem. Hic autem audet eos intueri, imo obuiam procedere solus & inermis. Vbi videmus quàm fortem reddit hominem fiducia diuini auxilij. Sic enim & Dauid constanter
1.Reg. 17 aduersus gigantem procedere audebat, quem alij ne respicere quidem audebant. Quid enim tam intrepidum faciebat, nisi fidutia diuini auxilij. Tu inquit venis ad me in gladio & hasta, ego autem venio in nomine domini Dei, qui dabit te in manus meas, &c. Quis non miretur tantam fiduciam in adolescente, qui nunquam armis vsus fuerat. Et nos igitur colligamus ex quotidianis sermonibus robur spiritus, vt adueniente tentatione contrasistere possimus.

Diuisitq́; filios suos cum Lia, &c.

Hoc primū est quod sanctus agit in tentatione. Quantumuis enim Deo fideret, crederetq́; se liberandum, nihilo tamen negligentius agit in rebus humanis, sed per omnia facit quod potest, reliqua Deo committens. Sic filios suos in tres turmas diuidit, & eas quidem vxores, quæ quasi præter ipsius voluntatem ipsi coniunctæ fuerant, primo loco ponit. Eam autem quam vnam elegerat, & in quam primo consenserat, quàm remotissimè ab hostibus ponit. Discamus hic ita Deo fidere, vt tamen humana media non negligamus, alioqui non credere est, sed tentare Deum.

Ipse autem progrediens adorauit, &c.

Habemus hic duo insignia exépla in hoc iusto. Primò exemplum charitatis, quòd progrediens se periculo exponit pro charissimis pignoribus, quod exemplum vtinam pastores Ecclesiæ imitarentur. Secundò exemplum fidei, quòd inermis audebat tot armatis occurrere. Sciebat enim & fratré & comites eius in manu Dei esse, sciebat Deum omnibus fortiorem esse, & nos igitur in omni tentatione cogitemus Deum omnibus fortiorem esse. Quis tu inquit vt timeas ab homine mortali, & oblitus es domini creatoris tui, &c. Hinc Petrus subdubitans de fortitudine diuinæ potentiæ arguitur à Christo. Modicæ inquit fidei quare dubitasti? quasi dicat, nonne videbas me præsentem? nonne sciebas me omnia posse? Eodem modo ob eandem causam omnes Apostolos simul arguit, &c. Quod auté Iacob se humiliat & impio se submittit, genu flectit, & adorat, id est, honorem exhibet, insigne exemplum est charitatis & humilitatis. Siquidem ei charitatem exhibet qui hostis eius erat; & eum honorat quem sciebat etiam iudicio diuino inferiorem. Superbire poterat Iacob ac cogitare: cur huic me subiiciam, quum ad me primogenitura deuoluta sit. Nihil tamen tale cogitat, sed sponte se submittit, maiora etiam libenter præstiturus si potuisset. Pulchre igitur arguitur hic superbia nostra, qui nulli cedere volumus, vbi quid iuris habere videmur. Obserua prudentiam ipsius Iacob. Antea donis fratris iram placare studuit, Nunc

Isai. 51
Mat. 14
Matt. 8

verbis & gestibus ipsum prouocat ad beneuolentiã. Sciebat enim carnales homines his duobus laqueis potissimum vinci, donis scilicet & submissione, nec solũ in sua persona se submisit, sed omnem suam familiam ad humilitatem instruxerat. Accesserunt inquit, ancillæ cum filiis & adorauerunt, &c. Quid hic faceret Esau. Quem nõ moueret tam omnimoda subiectio. Solẽt aliquæ bestiæ parcere his qui se submittunt, ac sponte deiiciunt, & quomodo sæuire possit homo? Vnde sequitur:

Currens itaque Esau in occursum eius, &c.

Psal. 76. Mirabilis mutatio dexteræ Excelsi. omnis iræ omnisq; simultatis oblitus Esau, nihil aliud potest q̃ flere & osculari, immemor iam erat quam ob causam exierat, totque

Prou. 2. armatos secum duxerat. Hic igitur videmus quòd corda hominum in manu sua habet dominus: Iuxta illud, cor regis in manu domini. Videmus deinde quàm facile Deus potest impiorum conatus impedire. Nõ igitur est quod nimium sollicitemur de aduersariis, irascantur quantum velint, non vltra tamen poterunt quàm Deus vult. Hinc Christus: Nolite timere, &c. Vestri enim capilli capitis

Matt. 10 numerati sunt, & nec passer cadit in terram sine patre vestro. Videmus tertiò quàm manifestè Deus hic impleat promissiones suas, quibus dixerat: Ego tecum sum, & si contra Deum fortis fuisti, quanto magis cõtra homines præualebis. Videmus quartò, quid possit humilitas & mansuetudo etiam coram impiis. Sicut aqua extinguit ignem, sic mansuetudo & humilitas iram. Econtra sicut

Prou. 15. ignis igni nõ extinguitur sed magis augetur, sic iracũdia non extinguit sed magis accẽdit iram. Hinc Sapiẽs: Sermo mollis frangit irã, sermo durus suscitat rixas. Mansuetudine sua Iacob vicit socerũ & fratrem sæuientes, quod

Matt. 5. nunquam resistendo potuisset. Sic Christus suos docuit:

Luc. 21. Beati inquit mites quoniam ipsi possidebunt terram. Et iterum: In patientia vestra possidebitis animas vestras.

Leuatisque oculis Esau vidit mulieres, &c.

Ne verbum quidem durum loqui potest Esau, tantum abest vt mali quid facere possit fratri. Admodum blãdè alloquitur fratrem. Econtra Iacob vbiq; respondet. Primò, Esau mirabundus quærit, ad quem pertineant mulie-

tres & filii. Cui piè respondet Iacob, filii sunt quos dominus dedit mihi. Deo omnia ascribens, simulque fratrem docens Deum esse omnis boni auctorem. Hoc enim non credebat Esau, vnde postea dixit: Satis habeo frater. Non dicit, etiam mihi satis dedit dominus. In hoc igitur differunt pii ab impiis, quòd pii omnia è manu Dei se accepisse credunt, impii suæ industriæ ascribunt. Vide hic pulchram concertationem inter fratres, Iacob munera offert, Esau accipere recusat, nihil tale inter nos conspicitur, &c. Signanter autem dicitur, quòd Iacob rogauit eum vt acciperet, imò quasi coegit: Nimirum vt firmior esset amicitia, & Esau videret quòd nihil non ex animo faceret & diceret Iacob. Signanter etiam dicit Iacob: Vidi faciem tuam sicut faciem Dei. Sic enim superiores inspicere debemus non vt homines, non vt malos, sed vt ministros Dei. Dei enim vices agunt, & à Deo omnis potestas est. Non attēdit pius qualis sit magistratus, sed tantùm quòd vices Dei agit, reliqua committit Deo. Obseruandum quòd Iacob pacem quidem habere cum Esau cupit, sed tamen eius conuersationem & consuetudinem declinat, nec vult cōsortium cum ipso habere: Qui enim tangit picem inquinabitur ab ea. Et corrumpunt bonos mores colloquia mala. Non autem manifestè eius cōsortium reiicit, ne eū offenderet, sed honestam causam prætendit. Sunt, inquit, mihi pueri teneri, &c. Discant hic pastores, ne infirmos oneribus & laboribus nimiis obruāt. Postremò nec comites ex parte Esau habere vult, non inquit opus est, quasi dicat: Nihil opus humana potentia, cum præsentaneum habeam Dei auxilium. Sic igitur redit Esau, & Iacob omni tentatione & metu liber manet. Sic iterum abiit vna tentatio, quæ quasi totum videbatur eum obruere, tamen illæsus persistit adhuc. Sic montes tribulationum in planum fiunt piis credentibus, & Deum timentibus.

Rom. 13. *Eccle. 13.* *1. Cor. 15.* *Zach. 4.*

Iacob autem venit in Soccoth, &c.

Si Esau melior rediit, non est quòd inquiramus. Non enim ipse sed Iacob in exemplum nobis propositus est. Ideo Moses Esau relinquit & de Iacob prosequitur. Hic autem vides quid post tentationē fecerit. Primò ædificat

domum, quod hactenus nunquam fecit. Quòd autem nunc ædificat, protestatio est fidei, qua credebat promissioni Dei, sibi & suis dandã eam terram in qua tunc erat. Cæterùm quantumuis domum ædificaret, tamen locum illum vocauit Socoth, id est, tabernacula. Indicans nondum perpetuam sibi in illa terra mansionem datam. Imo indicãs se etiam in terra promissa peregrinum esse. Quòd autem subditur. Venit Salem, &c. Salem secundũ aliquos est hic appellatiuum, vt sit sensus, venit saluus & incolumis ad Sichem. Prope Sichem autem habitauit, quæ in E-
Ioan. 4. uangelio dicitur Sichar, vnde Samaritana dixit: Num maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum hunc? &c. Item patres nostri in monte hoc adorauerunt. Emit partem agri ne alios grauaret. Vna parte agri iustus cum tanta familia contentus est. Damnatur auaritia nostra insatiabilis, qua semper agrum agro, domum do-
Isai. 5. mui copulamus, donec non amplius sit locus, &c. Aedificauit altare, nunquam obliuiscitur cultus Dei, maximè post tentationem gratias agit. Inuocauit fortissimum Deum Israel. Hic primum dominus dicitur Deus Israel, id quod postea frequenter fit, &c.

Caput tricesimum quartum.

Egressa est autem Dina filia Liæ vt videret mulieres regionis illius. Quam cum vidisset Sichem filius Hemor Heuæi, princeps terræ illius, adamauit eã: & rapuit, & dormiuit cum illa, vi opprimens virginem. Et conglutinata est anima eius cum ea, tristemque deliniuit blanditiis. Et pergens ad Hemor patrem suum: Accipe, inquit, mihi puellam hanc coniugem. Quod cùm audisset Iacob absentibus filiis, & in pastu pecorum occupatis siluit donec redirent. Egresso autem Hemor patre Sichem vt loqueretur ad Iacob, ecce filii eius veniebãt de agro, auditoque quod acciderat, irati sunt valde, eo quòd fœdam rem operatus esset in Israel, & violata filia Iacob, rem illicitam perpetrasset. Loquutus est itaque Hemor ad eos: Sichem filii mei adhæsit anima filiæ vestræ: date eam illi vxorem. Et iungamus vicissim connubia: filias vestras tradite nobis, & filias nostras accipite. Et habitate nobis-

nobiscum: terra in potestate vestra est, exercete, negotiamini, & possidete eam. Sed & Sichem ad patrem & ad fratres eius ait: inueniam gratiam coram vobis: & quæcunque statueritis dabo. Augete dotem, & munera postulate, & libenter tribuam quod petieritis: tantùm date mihi puellam hanc vxorem. Responderunt filii Iacob Sichem, & patri eius in dolo, sæuientes ob stuprum sororis: Non possumus facere quod petitis, nec dare sororem nostram homini incircunciso: quod illicitum & nepharium est apud nos. Sed in hoc valebimus fœderari, si volueritis esse similes nostri, & circuncidatur in vobis omnis masculini sexus. Tunc dabimus & accipiemus mutuò filias vestras, ac nostras: & habitabimus vobiscum, erimusque vnus populus. Si autem circuncidi nolueritis, tollemus filiam nostram, & recedemus. Placuit oblatio eorum Hemor, & Sichem filio eius Nec distulit adolescens quin statim quod petebatur expleret: amabat enim puellam valde, & ipse erat inclytus in omni domo patris sui. Ingreßique portam vrbis, locuti sunt ad populum: Viri isti pacifici sunt, & volunt habitare nobiscum: negotientur in terra, & exerceant eam, quæ spatiosa & lata cultoribus indiget: filias eorum accipiemus vxores, & nostras illis dabimus. Vnum est quo differtur tantum bonum: Si circuncidamus masculos nostros, ritum gentis imitantes. Et substantia eorum, & pecora, & cuncta quæ poßident, nostra erunt: tantum in hoc acquiescamus, & habitantes simul, vnum efficiamus populum, Assensique sunt omnes, circuncisis cunctis maribus. Et ecce, die tertio, quando grauißimus vulnerum dolor est, arreptis, duo filii Iacob, Simeon & Leui fratres Dinæ, gladiis, ingreßi sunt vrbem confidenter: interfectisque omnibus masculis, Hemor & Sichem pariter necauerunt, tollentes Dinam de domo Sichem sororem suam. Quibus egreßis irruerunt super occisos cæteri filii Iacob: & depopulati sunt vrbem in vltionem stupri. Oues eorum & armenta, & asinos, cunctaque vastantes quæ in domibus & in agris erant, paruulos quoque eorum & vxores duxerunt captiuas. Quibus perpetratis audacter, Iacob dixit ad Simeon & Leui: Turbastis me, & odiosum fecistis me Chananæis & Pherezæis habitatoribus terræ huius. nos pauci sumus, illi congregati percutient me, & delebor ego & domus mea. Responderunt: Nunquid vt scorto abuti debuere sorore nostra?

MVltas hactenus magnificasq; promissiones patriarchæ Iacob factas audiuim⁹, cū tamē interim multis tentationibus & malis obnoxius fuerit. Imò necdū finis malorū, sed nunc primum incipit Moses describere mala, quæ intra domū suam perpessus est, qualia sunt stuprū Dinæ, Crudelitas filiorū in Sichimitas, Mors Rachelis dilectissime, incestus Ruben, perditio ipsius Ioseph, & similia, quæ talia tantaque sunt, vt mirum sit quomodo iustus hic tot malis non succubuerit. Verùm sic voluit De⁹ fidem eius probare, & patientiam eius omnibus posteris in exemplum pónere, ne quis putet se nimium magna & immeritò pati. Volunt tamen aliqui, quòd permissione diuina huiusmodi mala domus suæ incurrerit, propterea quòd votū suū distulerit implere. Vouerat enim si sanus
Lu.c.28. reuerteretur in terram Chanaan, quòd aram domino cōstrueret in Bethel, hoc autē hactenus distulerat, cū tamen aliquanto tempore in Sichem moratus sit, vult enim Dominus vt primo omniū gratias ei agamus, & vt quæ voui mus reddamus, displicet enim Deo infidelis & stulta pro
Eccles.5. missio. Quare si quid vouisti Deo, non tardes reddere.

Egressa autem Dina vt videret, &c.

Mulier suapte natura & superbum & curiosum est animal, prodeunt quædam vt earum spectetur forma & vestis, nimirū proprio marito non contentæ. Aliæ prodeūt vt spectent, quo scilicet loco & quibus venalem prostituant pudicitiam. Lucretia autē insigni pudicitia mulier domi inueniebatur, lanæ ac telæ operam dans, malum signum in muliere si vaga sit. Qui igitur sapit, hoc petulans animal sine sessore stabulo nunquam emittat. Signanter autem indecorum est virgini circumcursare, quod Dina hic fecisse legitur, in sui & suorū dedecus & opprobriū. Non hoc didicerat à patre, imo non dubium quin omnibus modis filios & filias suas ad honestatem educauerit. Nec tamen quicquā profecit, vnde patet quòd frustra est omnis educatio, nisi & Deus supernè cooperetur. Nisi
Psal.126 Dominus custodierit ciuitatem, frustra vigilat qui custodit eam. Sic igitur filios instruamus, vt tamen iuxta hoc semper ad Deum oremus. Vide autem quid Dinæ profuegit, imo quātū obfuerit curiositas illa. Hinc enim pudicitiam

tiam

tiam perdidit, & sanctam illã generationẽ dehonestauit, seipsam omnibus posteris odiosam effecit, vt interim taceam damnum animæ & conscientiæ. Discant igitur virgines hoc exemplo disciplinam, ne sint curiosæ extranearum rerum, assuescant laboribus: fugiant ocium: fugiant societates nedum externorum, sed etiam externarũ, nihil inhonestũ videant, audiant, & loquantur, &c. Dina, animam vagam significat, quæ studia sua negligẽs aliena curat, non contenta est hiis quę in domo patris videt & audit, id est, in Ecclesia, sed curiosa, & noua sectatur. Hanc videns diabolus princeps mundi facilè corrũpit, seducit in falsas hęreses, in peccata etiam externa protrudit. Nec sic cessat, sed velut alter Sichẽ, blandiciis delinit eã, modo enim aliorum peccata maiora, modo nihil esse quod factum est, modo misericordem Deum loquitur, & tempus ad pœnitentiã polliicetur, deniq; omnib⁹ modis hoc agit, vt eam omnino retineat, & à pœnitentia retardet.

Quam cum vidisset Sichem, &c.

Sichem hic exemplum est lasciuiæ & petulantis adolescentiæ. Primò enim potestate patris sui abutitur, ac sibi licere putat quicquid libet, id quod etiam hodie faciunt filii magnatum. Deinde non simpliciter tantùm sed multipliciter peccat. Committit enim simul fornicationem stuprum & raptum. Sic enim adolescentia non curat magnitudinem & multitudinem peccatorum, dummodò suæ cupiditati satisfaciat. Præterea quamuis alias & mulieres & virgines habere potuerit, vtpote princeps terræ, tamẽ hanc filiam Iacob specialiter studet opprimere, quemadmodum impii, quamuis domi habeant vnde sine peccato cõcupiscẽtiis suis satisfaciant, tamẽ semper noxia appetũt, & quo quid sanctius est, eo magis illud deiicere student. In hoc sunt similes diabolo cuius cibus, vt propheta ait, electus est. Eos enim potissimum deiicere conatur, qui in summo gradu consistunt. Exemplo sit Dauid, Salomon, Petrus, &c. Vide autẽ quem finẽ sortiatur lascibus ille Sichem. Quia enim tantũ concupiscẽtiæ suæ satisfacere studet, & se & suos in mortẽ & perditionem coniicit. Nec melior finis expectandus est, vbi iuuenęs assuescunt oĩbus cõcupiscentiis frena laxare. Iterim Abac. 1.

Tamen aliqua etiam commendanda sunt in hoc Sichem. Primò quod virginem quam viciauerat iterum honestare cupit, cum eam sibi in vxorem coniungere vult. Secūdò quod vxorem non sua sponte contra parentum voluntatem accipit, sed à patre eam petit. Vtinam vel hæc duo imitaretur iuuentus nostra, &c.

Egreßus autem Emor, &c.

Emor hic exemplar est parentis ignaui & nimium indulgentis, atque adeo impij, qui videns filium tantū peccatum fecisse, non arguit, nō corripit. Imo omnibus modis hoc agit, vt lasciui adolescentis concupiscentiæ satisfiat, etiam cum suo grauamine & damno. Sic impii parentes etiam cum damno animarum filiis suis consulunt, imò eorum lasciuiæ. Hoc autē premium refert Hemor, quòd & filium & se perdit. Idem exemplum habemus de Heli, 1. Reg. 2. & 4. Studeant igitur parentes filiorum curam agere in bonis, & ad bona instruere, ne si malis assuescant & sibi & ipsis interitum afferant.

Viri ipsi pacifici sunt, &c.

In hoc Hemor etiam exemplum habemus impii magistratus, in eo quod tā graue onus omnibus subditis suis imponit, tantum vt vnius adolescētis libidini satisfiat. Et quis non videt hec quotidie fieri, à quibusdā etiā Christianis principibus, &c. Habemus etiam in Hemor exemplum perfidiæ. Apud Iacobū enim & filios eius simulabat se nihil aliud quærere q̃ amicitiam eorum, postea autem apud populū suū palā fatetur quod aliud quærat: omnis inquit substantiā eorum nostra erit. Sic impii principes interdum honestissimas causas proponunt, cū tamē interim nihil spectent nisi propria commoda, &c. Attamē in hoc Hemor videmus etiā aliquas cōditiones boni principis. Primò enim quamuis vt fortior vi agere posset, & filiā Iacob retinere, nō tamē hoc facit, sed exit, rogat, &c. contra nostri principes, quicquid nō liberè datur vi auferūt. Deinde Hemor ille impositurus subditis circuncisionis onus: prius publicè consilium cōuocat, rem ipsam & secuturam vtilitatem proponit, &c. Contra principū nostrorū vox est, sic volo, sic iubeo, &c. Nec aliorū cōsilia aut quærūt, aut sequuntur, sed interdū vnū aliquem nebulonem

nebulonem habentes, vt Absolon Achitophel, & Saul ipsum Doech, ipsius consilio omnia faciunt, &c. Postremò nec inuitis illis circuncisionem imponit, sed consentientibus. Principes nostri contra.

Et circuncisi sunt omnes, &c.

In Sichemitis habemus exemplum stulti & impii populi. Primò enim in toto populo nemo est qui peccatū lasciui adolescentis arguat, quiq; quod verum est dicat, sed omnes cōniuent, dissimulant, adulātur, ideo & simul cū principibus suis pereūt. Hinc est quod populus propter peccata principum punitur, quia frequenter ad vicia magnatū cōniuet, nec reclamat, Sic cōtigit Aegyptiis, &c. Secundò, in gratiā dominorū, & propter temporale cōmodū (nam hoc medio sperabant omnē substantiā domus Iacob ad se trahere) faciunt quod propter Deum & animarum salutem nunquā fecissent. Tertiò circuncisionem quidē accipiunt signum iustitiæ, cū tamē de iustitia nihil cogitarent. Voluerunt similes esse populo Dei, sed externè tantū, intus pleni viciis, vnde & pereunt. Externa enim signa nihil prosunt, nisi adsit fides & pietas mentis. Quod autem Sichemitæ etiam circūcisi pereunt: figura erat circuncisionem aliquando abolendam esse. Cæterùm quòd multi à paucis interficiūtur, signū est victoriā non esse multitudinis, sed defendentis & punientis Dei. Obseruandū quòd stuprū & raptus fermè nunquā facta sunt, absque ingenti parricidio aut bello. Testantur hæc Troianorum & Græcorum bella: Testantur irē & sacræ literæ de Amon & Thamar: Itēq; de vxore leuitę illius, de quo in lib. Iudicum. Quòd si Deus vnius virginis stuprum tanta pœna expiat, quāta pœna digni sunt qui omniū thalamos cōmaculant, qui totam ciuitātē & integras res publicas perdūt. Ad terrorem igitur nostrū tam crudeliter occidi permisit Deus Sichemitas. Putatis quod hii soli peccauerūt præ omnibus aliis, non dico vobis: Sed nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis. 2. Reg. 13. Iudi. 20.

Audientes filii Iacob, irati sunt valde, &c.

In filiis Iacob typum videmus Pharizaicæ iustitiæ: zelum enim præ se ferunt. sed non secundū scientiā. Quòd dolēt peccatum hoc admissum & ignominiā toti generi

ſuo irrogatã,commendandũ eſt.Cõmendandũ itẽ quod grauiſsimũ & intolerabile viciũ iudicãt ſtuprũ virginis: vtinã & nobis tale eſſet iudiciũ,nos ſtupra & adulteria le uiſsima iudicamus.Quod autẽ tantũ aliorũ peccata attẽ dunt,& ea mirũ in modũ verbis exaggerãt,pharizaicę iu
Prou. 18. ſtitiæ ſignũ eſt.Nã vera iuſtitia vel verus iuſtus primum accuſator eſt ſui. Eſt & hoc pharizaicæ iuſtitiæ ſignum, quod dũ aliorũ peccata puniũt,ipſi eo ipſo facto grauiora cõmittunt.Primò enim dolo & fraude vtuntur,cũ illi nihil tale cogitarẽt.Suadẽt enim circũciſionẽ nõ vt proſelitos facerent,ſed vt ſecuros & ſaucios facilius occidere poſſent. Vera iuſtitia fucũ & duplicitatem omnem odit.Deinde non ſimpliciter peccata arguunt,ſed cum tumultu. Ad hæc gladium arripiunt,qui ipſis interdictus erat,quo citra omnẽ miſericordiam vindictam exercent, etiã in innocuos.Nihil horũ facit vera iuſtitia : verè iuſtus arguit quidẽ,ſed nõ cũ tumultu:Item peccata quidẽ punit,ſed cum cõpaſsione & miſericordia: Deinde propter innocentes etiã noxiis parcit. In ſumma ſic agit, ne in actum iuſtitiæ iniuſtum quid agat,aut minus malũ puniens,maiora cõmittat:aut vni malo obuiare volẽs, maioribus & pluribus feneſtrã aperiat.Sic enim filii Iacob intempeſtiua ſeueritate ſancto patri,imo ſibi ipſis quoq;, pro vno malo tria inferunt.Nunc enim poſt hoc factum cruciat iuſtum, nõ ſolum ignominia filiæ, ſed etiam crudelitas filiorũ,& inſuper timor aduerſariorũ . Et ipſi filii Iacob præuenire volentes,ne quid mali de ipſis diceretur,maiora peccata addunt, & per conſequẽs maiorẽ infamiam incurrunt. Permiſit autem Deus etiã patriarchas ſic cadere, vt videamus quòd nihil ſit in hominibus, vbi Deus gratia ſua nõ adeſt . Veram autem iuſtitiam videmus in Iacob:Primò quòd nõ tumultuatur,nõ clamat,nõ inſanit,ſed patiẽter fert quod emendare nõ poteſt. Deinde & ſi hic nihil aliud quàm periculum ſuum queratur, nec filios videatur arguere,tamẽ infra circa mortẽ ſuam acriter arguit Simeon & Leui,imo maledixit. Sic igitur iuſtus iterum tẽtationibus obrutus anguſtiatur,nec quo
Gen. 49. ſe vertat ſcit . Omnia hæc permiſit Deus ad conſolationem noſtram,

Caput

Caput tricesimum quintum.

INterea locutus est Deus ad Iacob. Surge, & ascende Bethel, & habita ibi, facq; altare Deo qui apparuit tibi quando fugiebas Esau fratrem tuum. Iacob verò cõuocata omni domo sua, ait: Abijcite deos alienos qui in medio vestri sunt, & mũdamini, ac mutate vestimẽta vestra. Surgite, & ascendamus in Bethel, vt faciamus ibi altare Deo, qui exaudiuit me in die tribulationis meæ, & socius fuit itineris mei. Dederunt ergo ei omnes deos alienos quos habebant, & inaures quæ erant in auribus eorum: at ille infodit eas subter terebinthum, quæ est post vrbem Sichẽ. Cumque profecti essent, terror Dei inuasit omnes per circuitum ciuitates, & non sunt ausi persequi recedentes. Venit igitur Iacob Luzam, quæ est in Terra Chanaan, cognomento Bethel: ipse & omnis populus cum eo. Aedificauitq; ibi altare, & appellauit nomen loci illius domus Dei: ibi enim apparuit ei Deus cum fugeret fratrẽ suum. Eodem tempore mortua est Debora nutrix Rebeccæ, & sepulta est ad radices Bethel subter quercum: vocatumque est nomen loci illius, Quercus fletus. Apparuit autem iterum Deus Iacob postquam reuersus est de Mesopotamia Syriæ benedixitq; ei, dicens: Non vocaberis vltra Iacob, sed Israel erit nomen tuum. Et appellauit eum Israel, dixitque ei: Ego Deus omnipotens, cresce, & multiplicare: gentes, & populi nationum ex te erunt, reges de lumbis tuis egredientur. Terramque quam dedi Abraham & Isaac, dabo tibi & semini tuo post te. Et recessit ab eo: ille vero erexit titulum lapideum in loco quo locutus fuerat ei Deus: libans super eum libamina, & effundens oleum: vocansq; nomen loci illius Bethel. Egressus autem inde venit verno tempore ad terram quæ ducit Ephratam: in qua cum parturiret Rachel, ob difficultatem partus periclitari cœpit. Dixitq; ei obstetrix: Noli timere, quia & hunc habebis filium. Egrediente autem anima præ dolore, & imminente iam morte, vocauit nomen filij sui Benoni, id est filius doloris mei: pater vero appellauit eum Ben-iamin, id est, filius dextræ. Mortua est ergo Rachel, & sepulta est in via quæ ducit Ephratham, hec est Bethlehem. Erexitque Iacob titulum super sepulchrum eius: hic est titulus monumenti Rachel, vsque in præsentem diem. Egressus inde fixit tabernaculum trans Turrem gregis. Cumque habitaret in illa regione, abijt Ruben, & dormiuit cum Bala concubina patris sui: quod illum minime latuit.

Erant

Erant autem filii Iacob duodecim. Filii Liæ: primogenitus Ruben, & Simeon, & Leui, & Iudas, & Issachar & Zabulon. Filii Rachel: Ioseph & Beniamin, Filii Balæ ancillæ Rachelis: Dan & Nephthali, Filii Zelphæ ancillæ Liæ: Gad & Asser, hi sunt filii Iacob qui nati sunt ei in Mesopotamia Syriæ. Venit etiam ad Isaac patrem suum in Mambre, Ciuitatem Arbee, hæc est Hebron: in qua peregrinatus est Abraham & Isaac. Et completi sunt dies Isaac centum octoginta annorum. Consumptusq; ætate mortuus est: & appositus est populo suo senex & plenus dierum: & sepelierunt eum Esau & Iacob filii sui.

Interea locutus est Deus ad Iacob, &c.

Psal. 120 Hic iterum adest Deus in mediis periculis, adeo verum est quod in Psalmis dicitur: Ecce nõ dormitabit neque dormiet qui custodit Israel. Monet autem eum vt memor voti ascendat in Bethel, quasi dicat, non mirum quod aduersa tibi contingunt, cum hactenus tam diu distuleris votum, &c. Sic in rebus etiam propriæ salutis cessamus, nisi Deus subinde nos moneat & extimulet, nunc verbis nunc flagellis. 1. Tim. 2. Non enim lætatur in malis nostris, sed vult omnes homines saluos fieri, &c.

Surge ascende in Bethel, &c.

Singula verba emphasim habent. Primò surge, inquit, quid adeo deiecto animo iaces, quasi etiam à Deo derelictus sis? Leua oculos tuos & mentem ad Deum, qui te vsque huc seruauit. Secundò ascende in Bethel, non alio iubet ire quàm in Bethel, id est, domũ Dei, nec enim alibi auxilium quærendum quàm à Deo. Tertiò ne ocietur in domo Dei addit. Ædifica altare, quo nomine comprehenditur quicquid ad externum cultum Dei pertinet, qualia sunt oratio, oblatio, inuocatio, gratiarum actio, &c. Hiis mediis vtamur si tentationes euadere volumus. Psal. 34. Sic inquit Dauid: Cùm mihi molesti essent induebã me cilicio, humiliabam in ieiunio animam meam, & oratio Ioan. 17. mea in sinu meo conuertetur. Et iterum: In tribulatione mea inuocaui dominum, &c. Obseruandum quod Deus hic præcipit altare fabricari, quo apertè videmus quod

&c iam

& iam externè coli velit,& natura docet: vnde & patres prius etiam iniufsi altaria ædificarunt.

Et ait Iacob ad domum suam,&c.

Pij homines non opus habent multa admonitione, sed statim audiunt, obediunt, &c. impij autem incircuncisas aures habent, imo obdurant aures suas, vnde & de ipsis conqueritur sapientia: Vocaui & non erat qui responderet,&c. Obserua quòd iustus accessurus ad locum diuini cultus abijcere iubet quicquid eidem cultui contrarium erat. In primis idola, quæ enim conuentio Dei & idolorum: Sic nobis faciendum. Non mirum autem quòd adhuc idola in familia sua inuenit: Nunquam enim tam bene institui potest populus Dei, vt omnino nihil defectus adsit, deinde diu vixerat familia Iacob inter gentes, non mirum igitur si aliquid ipsis adhæserit. Denique Rachel idola patris sui abstulerat, quæ forsitan adhuc secum habebat, non ad colendum, sed propter preciositatem. Vt interim taceam quòd natura nostra difficulter soli Deo confidit, semper enim iuxta hoc alia quærit in quibus cõfidat, vtpote diuitias, potentiam,&c. Omnia hęc abijcerẽ iubet iustus, vt solus Deus colatur, qui solus in aduersis auxiliatur.

Prou. 1.

1. Cor. 6.

Gen. 31.

Mundamini & mutate vestes,&c.

Non solum externa idola abijcere iubet, sed etiam cor mundare, vt & manus & cor munda sint. Nec solum idololatriam abiici vult, sed omnia alia peccata, quæ immundam reddunt animam, vt sunt superbia, auaritia, ira, &c. Mundamini inquit. Quod autem etiam vestimenta iubet mutare, ceremoniale est, significat enim innouationem totius vitæ. Deinde per hoc ostendit etiam externa reuerẽtia & maturitate opus esse in cultu diuino, propter hæc duo etiam nostræ ceremoniæ institutæ sunt: nempe vt diuino cultu omnia honestè & ordinatè fiant,& vt per hoc admoneantur spiritualium, &c.

Surgamus & ædificemus altare domino,&c.

Non dicit vos surgite, sed seipsum quoq; includit, surgamus, ipse nedum cum ipsis, sed ante ipsos vadit. Exemplum est boni pastoris & patris familias. Monet vt surgant à torpore,& ad maiora conscendant. Altare autem con-

construi suadet,quo propitiari possit Deum pro peccatis filiorum. Sic & Iob mane surgens offerebat pro filiis,
Iob. 1. &c. Ne fortè inquit peccauerint filij mei. Vt autem alacrius singula perficiant, addit: Domino ædificemus, qui me consolatus est,&c. Memoria enim beneficiorum Dei & futuri præmij omnia leuia facit,&c.

Et dederunt ei omnes deos alienos,&c.

Facilè sequuntur oues vbi viderint pastorem præcedere. Quantumuis aurea & argentea essent idola, ac magnũ videret esse damnum ea abijcere,tamẽ quia vidẽt se aliàs Dei gratiam habere non posse,aurum abijciunt,vt Deum conseruare posint: Nos contrarium facimus. Denique omnes deos alienos abijciunt, quod vtinam & Christiani faceremus,&c. Nec Iacob auro capitur,sed deos ipsos fodit in terram: non conflat aurum in alios vsus,sed omnino conculcat. Alliciunt diuitiæ, &c. nisi omnino ex animo & oculis abijciantur.

Cumq; profecti essent venit timor domini,&c.

Ex hoc apparet quòd iã se congregauerant gentes cõtra domũ Iacob,sed pergentes ad cultũ Dei facilè defendere potest Deus. Emphasim habet quòd dicit:Timor domini,quasi dicat,nihil externi periculi aut resistentiæ videbant, & tamen ita exterriti erant, vt multi & armati nõ ausi sint paucos & nudos sequi & inuadere,hoc est quod promittit Deus: Terrorem tuum mittã super omnes gẽtes & audientes nomen tuũ pauebunt, &c. de hoc etiam
Deut.2. Exod. 23.legitur. Non est inquit quod impios timeamus cum domino seruimus,omnibus enim fortior est Deus.

Venit ergo Luzan quæ est Bethel.

Quod supra verbis admonuit, hoc nũc re ipsa exequitur. Nõ enim doctores & auditores legis,sed factores cõmendantur coram Deo. Emphasim aũt habet quod subdi
Rom. 2. tur:Ipse & omnis populus qui cũ ipso erant,tam fideliter eos instruxerat, vt pergẽti ad cultum Dei nullus deesset, nullus obmurmuraret,dãnatur etiã hic oscitantia nostra, qui ex quotidianis sermonibus non tantũ proficimus, vt hij ex vno. Et quid felicius esset nobis, si tã vnanimes ad
Ioan 5. cultũ Dei pergeremus? Verũ in nobis impletur illud: Nõ
Ioan. 12. vultis venire ad me vt vitã habeatis. Itemq; illud: Sermo quem

quem loquutus sum vobis,ipse vos iudicabit,&c. Cæterum per ædificationé altaris cóprehenditur,quicquid ad diuinum cultum pertinet,vt est oblatio,adoratio, inuocatio,gratiarũ actio,prædicatio,&c. quemadmodũ & supra admonuimus. Quòd autem loco nomé imponit,imo etiam titulũ lapideum erigit,vt infra dicetur,indicio est, quód nedum verbis suos admonuit,sed etiá externis signis:sic enim hactenus sæpe fecit.Imo vbicũque Deus spirituale quiddá cũ eo egit:erexit memoriale,per quod posteri admonerétur,vt de Deo cogitarét.Ob eandé causam Moses præcepit,vt in ianuis & postibus domus scriberét præcepta Dei.Ité vt signa quædam in vestimétis facerét, ne scilicet vnquá obliuiscerétur Dei.Impiè igitur faciũt qui nostro tépore omnia illa destruunt,quæ externè nos Dei & sanctorũ admonere possent, facilè enim locũ decipiendi habet diabolus,vbi non semper Deum cogitamus. *Deut. 6.* *Num. 5.*

Mortua est autem Delbora,&c.

Mirum quòd Moses morté Delboræ describit,cum de morte Rebeccæ quæ dignior erat taceat. Verè non sine causa factum est.Sic enim Rebecca spiritus sancti gratiá, sic nutrix eius Delbora,legem Mosi iustá & sanctam significat. Delbora namq; apes interpretatur. Sicut auté apes mel in ore habent, in cauda aculeum, sic lex in facie sua, quæ Iudæis velata est,habet viuificantem spiritum,in posterioribus autem quæ Apostolus obliuiscitur,occidentem habet literam. Igitur Delbora quidem quæ Rebeccam nutriuit mors inuenitur, quia videlicet ascendentibus in Bethel accidens litera legis relinquitur, viuificans autem spiritus perseuerat,& vbiq; glorificatur.Sepelitur auté Delbora ad radices Bethel sub quercu, quia scilicet in initio surgétis Ecclesiæ, in primordiis Christianæ religionis,quę tota spiritualis est,carnalis sensus legis,& cũctæ carnales ceremonię sub ligno crucis obruũtur,quod quia hactenus à Iudęis sine sacerdote & sine téplo sedétibus deploratur,rectè vocatũ est nomé loci querc⁹ fletus. *2. Cor. 3.* *Philip. 3.*

Non vocaberis vltra Iacob.

Hic videmus verè dictũ esse: Si quæsieris Deum in toto corde,inuenies eum.Nec vacuis manibus venit Deus, sed aut cum magna ira,vt cum aduersus impios procedit: *Hier. 29.*

aut

aut cum magna gratia,vt cum iustis apparet.Ideo hic additur,& benedixit eum. Ante omnia autem iam secundò nomē Israelis imponit,& per seipsum,quod prius per angelum imposuerat,nimirum ad maiorem iusti consolatio nem.Videtur enim quòd Iacob quodammodo abhorruerit à tam magnifico nomine, cui se longe imparem sentiebat: Ideo de nouo ipsi imponitur, pios enim homines
Eccle.15. Deus nomine æterno hæreditabit. Sic & Dauidi promit-
2.Reg.7. tit se facturum illi nomen magnum. Hinc de iustis dicitur: Nomina eorum viuent in seculum. Arguitur hic superbia, qui nullos titulos quātumuis magnificos non acceptamus,etiam si nihil dignum huiusmodi titulis habeamus. Cæterùm hoc nominis mutatione iustum ad perfectionem excitat,quasi dicat. Non vltra vocaberis Iacob, id est,luctator,quod ad insipientes pertinet,sed Israel, id est,princeps Dei, quod perfectis & contemplatiuis conuenit. Obserua tamen quod & si hic Israel vocatur: infra tàmen sæpius etiam vocatur Iacob,quamuis enim cōtemplatiuam vitam quis adipiscatur, non tamen actiuè studia, vbi res exigit, negligit: sed simul Iacob & Israel vocatur, diuersis respectibus. Obseruandum hic quòd Deus non vniformiter tribus istis patribus nomina de-
Gene. 17 dit: Abrahæ scilicet, Isaac, & Iacob. Siquidem nomen Abrahæ tantummodo vna syllaba auxit. Nomen Isaac antequam nasceretur immutabiliter imposuit. Nomen autem Israel totum pro nomine Iacob commutauit. Nihil horum citra mysterium factum est, Abraham anterioris populi, Iacob posterioris, Isaac autem medius typum Christi tenuit, qui vtrunq; populum tanquam duos pari etes cōiunxit. Iam anterior populus priusquam Christus
Ephes.2. veniret,aliquid quidem habuit vitæ vel iustitiæ. Rectè igitur Abrahæ nomen non mutatur,sed tantum augetur. Anterior enim populus Hebræorum qui ex fide patrum iustificabatur quidem,sed arcebatur ab ingressu cęli,vno tantum augmento indigebat, vt in Christo perficeretur. Posterior autem gentium pòpulus, nihil boni habuit, eiq́ue veraciter iuxta prophetam dicebatur: Non
Osee.2. populus meus. Rectè igitur totum nomen Iacob imitatur, quia gentilis populus & inchoationem & perfectionem

nem iustitiæ de Christi sumpsit aduentu. Christi autem iustitia nec augeri vnquam nec diminui potuit, nec enim ex accidenti dono est, sed antequam in terris appareret, ipse iustitia, ipse vita, ipse Deus & Dei filius erat. Rectè igitur nomen Isaac neque auctum neque commutatum est. Imo nec ab hominibus positum, sed antequam nasceretur ore Dei nominatum est. Gen. 17.

Ego Deus omnipotens, &c.

Repetit promissiones quas supra c. 28. & 31. & 32. audiuimus. Ne propter ea quæ contingebant putaret promissiones reuocatas esse, præcipuè autem eas repetit, de quibus potissimũ dubitare poterat. Grauabat eum quòd ipsi tã pauci essent, & tamẽ tã multos haberent aduersarios. Contra hoc audit: Cresce & multiplicare: populi ex te erunt, quasi dicat, nõ te terreat, quòd pauci estis, quia breui in magnũ numerũ crescetis. Secundò grauabat eũ quòd odiosum eũ finitimis fecerant filii sui, cõtra hoc ei dicitur: Reges ex te regredientur, quantũcunq; scilicet despectus sis. Tertiò timebat ne finitimi cõgregati ipsum è terra pellerent, cõtra hoc audit: Terrã hãc tibi dabo & semini tuo, nõ igitur est quòd timeas. Vide igitur q̃ perfectè Dominus iustũ consoletur, vt dicere potuerit cum Psalmista: Secundũ multitudinẽ dolorũ meorũ consolationes tuæ lætificauerunt me. Obserua autẽ quòd dicit: Terra quã dedi patri tuo, cũ tamẽ nõ dedisset, sed tantũ ꝓmisisset. Verũ per hoc ostẽdere voluit certitudinẽ promissionis. Obserua itẽ quòd iustis omnia subiiciũtur, vt & ipsi Deo subiiciãtur. Non frustra etiã est quòd in fine dicitur: Recessit ab eo dominus. Non quòd omnino recessit, sed eo modo vt permitteret eũ tẽtari vel tribulari, vt magnis aduersis prementibus ad augmentũ meriti promouerentur. Sic Deus ad tẽpus quidẽ se abscondit, iuxta illud: Abscõdisti faciẽ tuã à me, & factus sum cõturbatus, sed nõ totaliter deserit. Stat post parietẽ tribulationis, respiciens per fenestras quomodo certemus.

Psal. 93.

Cant. 2.

Cum parturiret Rachel, cœpit periclitari.

Ephrata interpretatur frugifera, alio nomine dicitur Bethleẽ, vtroq; nomine meritò insignitur propter Christũ ibidẽ natũ. Obserua hic aliã tribulationẽ iusto conti- Matt. 2.

giſſe. Conſolatus eum fuerat Deus: non tamen crucem ei aufert, ſed ſubinde auget, ne nos in ſimilibus murmuremus. Quis autem dubitet magnam crucem iuſto fuiſſe, quòd videt vxorem dilectiſsimam, propter quam tot annis ſeruierat, mori, idque maximo cum dolore, quia in partu. Item in via, vt non poſſet eam ad ſepulchrum paternum perducere, &c. Verùm omnia patientiſsimè fert. Interim tamē nō ſine cōſolatione relinquitur à Deo, qui etſi vxorē ei aūfert, tamē filium ei ecōtra dat. Sic ſemper læta aduerſis miſcet Deus, ne vel ſuperbiamus vel nimiū deiiciamur. Ob eā cauſam pater aliud filio nomen imponit, vocatq; eū filiū dexterę, quaſi dicat. Etſi magnū mihi dolorē incuſsit mors vxoris, nihilo tamen ingratior erit filius, ſed vnicè diligetur, & precioſius mihi erit. Hoc enī
Mar. 16. eſt in dextra eſſe, vnde & Chriſtus dicitur in dextra Dei ſedere, id eſt in potioribus bonis. Et filii Zebedæi idipſum quoque petebant. Sunt qui duo hæc nomina huius
Matt. 20 vltimi filij ad Paulū qui fuit de tribu Beniamin referunt. Is enim verè fuit filius doloris cū pſequeretur Eccleſiā, factus eſt aūt filius dexteræ propter conuerſionem ſuam. Myſticè quòd Rachelis mors deſcribitur, nō autē Liæ, ſignificat quòd ſynagoga per Rachelē ſignificata, per infidelitatē moritura erat. Eccleſia autem gentiū viuit per fidē vſq; ad finē ſeculi. Obiit autē Rachel in partu & in eadē ciuitate vbi Chriſtus natus eſt. Nā ſynagoga tunc mortua eſt, quādo Chriſtū & Apoſtolos emiſit. Moraliter cum prædicatores erigunt lapidē Chriſtū, funduntq; ſuper eū oleū & vinū, id eſt, duplicē prædicationē, legis ſcilicet & Euāngelij, tunc moritur Rachel, id eſt, vetus homo, & naſcitur nouus, qui filius quidē doloris dicitur, propter crucē quā pius homo fert, filius aūt dexteræ propter gratiā Dei. Quòd aūt Iacob titulū ſupra ſepulchrū Rachelis erigit, fidei eſt, qua ſanctos etiam mortuos ſcit viuere, imo etiam corpora eorū ſancta eſſe, vt in quibus ſpiritus ſanctus habitauit. Deinde etiā charitatis eſt, quæ nō tantū in hac vita durat, ſed nunq̄ excidit. Poſtremò hoc ad admonitionē poſterorū fecit, vt hinc admonerētur pietatis. Qui igitur noſtro tēpore memorias defunctorum deſtruunt, oſtendunt ſe nec fidem nec charitatem, nec curam poſterorum habere, &c.

Abiit Ruben & dormiuit cum Bala, &c.

Prudētia hic opus est. Nō enim factū hoc Rubē ad exēplū scriptū est, sed vt caueamus & timeamus. Mirū autem quòd Moses etiā tanta mala de genere suo non vereatur scribere. Verū eo magis cōfirmatur fides nostra. Si enim tantū quę bona sunt de patribus suis scripsisset, suspectus esse potuisset. Ideo aūt hoc peccatū ipsius Rubē tam diligenter descripsit, vt videamus cur ab ipso ius primogenituræ in Iudā trāslatū sit, de quo infra. Secūdò vt videamus quantū sanctus Iacob tentatus fuit. Nihil enim non malorū expertus est ab extraneis, à fratribus, à filiis. Violata erat Dina, homicidiū ꝑpetrāt filii eius, hic Rubē etiā patris lectū fędauit. Si iusto huic hoc cōtigerit, qui tamē summa diligētia filios instruxit, nō mirū quòd etiā nobis similia cōtingāt. Omnia autē hęc mala ꝑmittit Deus suis accidere, vt tandē tædeat ipsos præsentis vitæ. Et vt videamus omnem nostrā curā sine Deo nihil esse. Videmus etiam in hoc facto ipsius Ruben, quòd nihil boni sit in homine, vbi Deus manū subtrahit. Nullū enim peccatū tam graue est, quod nō cōmittat. En Ruben filius tanti patris & senior, qui alios instruere debebat, tam fœde labitur, tam magnum peccatum committit, quod Paulus excōmunicatione dignum censuit, &c. Quæ igitur confidētia nostra aut ꝓ̄sumptio? rectè igitur monet Paulus: Qui stat videat ne cadat. Præterea in hoc peccato videmus iudicia Dei verè timēda. Qui enim supra cū aliis fratribus adeo detestatus est stuprū Dinę, is nūc peius cōmittit. Dina vi oppressa erat, hic volūtariè peccat. Sichē paganus erat, hic e sancto genere. Rectè igitur monet Paulus: Instruite peccantē in spiritu lenitatis, cōsyderans teipsum ne & tu tēteris. Plerūq; enī cōtingit, vt seueri illi alienorū peccatorū iudices, grauius iusto Dei iudicio cadere permittantur, vt discāt aliis cōpati. Eodē iudicio Dei iusto fit, vt plerumq; primogeniti degenerarint, vt patet in Cain, Ismahel, Esau, Amon, nimirū vt hinc discamus nō naturæ sed gratię esse si boni sumus. Quanq̄ quod primogeniti interdum infeliciter cadant, in peccati pœnā fit. Solent enim huiusmodi feruēte adhuc libidine, ac ꝑ hoc sepósito Dei timore cōcipi. Mysticè, Rubē hic primogenitus typus fuit

Gen. 49.

1. Cor. 5.

1. Cor. 10.

Gal. 6.

pharizæorum,qui & matrem propriam confuderunt synagogam,& lectũ patris,id est,conscientias hominũ fœdarũt falsis doctrinis.Hiis similes sunt hæretici, qui plebem Christi adulterino commaculant semine. Vnde & Bala,quæ interpretatur inueterata,hęreticorũ libidini se prostituit.Nam quæ legittima vxor est,id est,quæ Christum virum suum agnoscit,neque seipsum ignorare,neq; adulterinũ cõcubitum admittere potest. Obserua quòd quamuis Iacob hic non legatur corripuisse filium peccantem,infra tamen acriter arguit.

Gen.49.

Et fuerunt filii Iacob duodecim,&c.

Recenset hic filios Iacob propter Beniamin qui prius numeratus non erat.Deinde vt ostendat dolorem ipsius Iacob,qui tot filiis natis nihil nõgaudii sperare debebat. Et ecce dolor super dolorem.Nihil adeo desiderauerat vt filios, nec aliunde maiorem dolorem habet quàm è filiis.Sic Deus fel miscet,& amara reddit quæ maximè di ligimus,vt in ipso solo tandem hæreamus. Quòd aurem addit:hii omnes nati sunt in Mesopotamia , Signum est quod sancti omnes extra patriam in exilio nascuntur,vn de magno labore vnam patriam inquirunt.

Venit quoque ad Isaac patrem suum,&c.

Nec hoc tacet Moses,ne putemus iustũ Iacob parentum suorum oblitum,Nullam autem mẽtionem hic facit de Rebecca matre,vnde autumant eam iã tunc mortuam fuisse.Insuper statim quoq; morté patris addit, vbi iterũ crux super crucé,& dolor super doloré. Sperabat iustus se è conspectu parentũ omnium laborum suorum conso lationem inuenturum,& ecce matrem inuenit mortuam, patrem iam iam morientem.Pulchrè auté describit mortem iusti:Fuerunt inquit dies Isaac, &c.hoc ponit vt videamus q̃ diu sanctus hic in cæcitate vixerit. Nam supra anteq̃ Iacob in Mesopotamiã pgeret caligaberũt oculi eius,quantũ nos quereremur si simile quid nobis accide ret.Deinde mortuus inquit est senex & plenus vel satur dierum.Iam dudum tœdebat eum vitæ præsentis, ac futuram cupiebat. Addit,appositus est ad patres suos,congregationi sanctarũ animarũ spiritu sociatus.Is finis sequitur piam vitã in hoc mundo. Qui sanctos in vita imitatur,

Sap.c.27

tatur, in morte ad ipsorum consortium peruenit. Non pereunt sancti dum moriuntur, sed ad feliciorem societatem perueniunt. Relinquunt malos, iunguntur sanctis.

Et sepelierunt eum filii eius Esau & Iacob.

Nec hoc omittere voluit Moses. Hinc enim primo discimus, quòd filii debeant parentibus nedũ in vita, sed & in morte. In Esau tametsi malus erat, tamen naturali pietate ductus patris funus diligenter curat. Degeneres igitur filii sunt, qui hoc officii defunctis parentibus negant, imò nihil minus sunt quàm Christiani, quantumuis Euangelii prætextu videantur hoc facere, qui in morte necessariorum rident, honorificam sepulturam inuident, vt cadauera brutorũ in campo sepeliunt, memorias apud sepulchra destruunt, &c. Hoc facere apud paganos capitale erat, nunc Euangelicum est. Non sic egerunt hi filii Iacob & Esau. Deinde videmus nõ nouum esse quod fideles honorificè à fidelibus sepeliantur. Imò semper sic fuit tam in veteri testa. quàm in nouo. Scriptura etiam magnificè commendat officia huiusmodi mortuis impẽsa. Hinc enim cõmendatur Thobias ab angelo. Et viri Iabes Galaad à Dauide. Sepelire enim mortuos, maximè fideles, est opus fidei: per hoc enim cõfitemur etiam corpora fidelium sancta esse. Ideo ab antiquo in locis sanctis sepultura constituta est, & insuper opus charitatis est. Denique opus est circa quod multa bona considerari possunt. Primò miseria vitæ nostræ. Secundò finis noster propediem secuturus. maximè verbum quod dicitur: Puluis es & in puluerem reuerteris. Ob hanc causam veteres mortuos suos non longè à seipsis sepeliebãt, sed in prospectu quasi, vt harum rerum sæpius admonerentur. Econtra, nos in campis nostros sepeliẽtes, fermè in totum obliuiscimur nos morituros.

Caput tricesimum sextum.

HAE sunt autem generationes Esau, ipse est Edom, Esau accepit vxores de filiabus Chanaan: Ada filiã Elon Hethæi, & Oolibama filiam Anæ filiæ Sebeon Heuæi. Basemath quoq; filiã Ismahel sororem Nabaioth. Peperit autem Ada

Eliphaz Basemath genuit Rahuel: Oolibama genuit Iebus Ihelom & Core, hi filii Esau qui nati sunt ei in terra Chanaan. Tulit autē Esau vxores suas & filios & filias. & omnem animam domus suæ, & substantiam, & pecora, & cuncta quæ habere poterat in terra Chanaan: & abiit in alteram regionem, recessitq; à fratre suo Iacob. diuites enim erant valde, & simul habitare non poterant: nec sustinebat eos terra peregrinationis eorum præ multitudine gregum. Habitauitq; Esau in Monte Seir, ipse est Edom. Hæ autem sunt generationes Esau patris Edom in Monte Seir, & hæc nomina filiorū eius: Eliphaz filius Ada vxoris Esau: Rahuel quoq; filius Basemath vxoris eius. Fueruntq; Eliphaz filii: Themā, Omar, Sepho, & Gathā, & Cenez. Erat autē Thamna, concubina Eliphaz filii Esau: quæ peperit ei Amalech hi sunt filii Ada vxoris Esau. Filij autem Rahuel: Nahath & Zara, Samma & Mesa. hi filii Basemath vxoris Esau. Isti quoque erant filii Oolibama filiæ Anæ filiæ Sebeon, vxoris Esau, quos genuit ei, Iehum & Ihelom & Core. Hi duces filiorum Esau. Filii Eliphaz primogeniti Esau: dux Theman, dux Omar, dux Sepho, dux Genez, dux Core, dux Gatham, dux Amalech. hi filii Eliphaz in terra Edom, & hi filii Ada. Hi quoq; filii Rahuel filii Esau: dux Nahath, dux Zara, dux Samma, dux Meza. hi autem duces Rahuel in Terra Edom: Isti filii Basemath vxoris Esau. Hi autem filii Oolibama vxoris Esau: dux Iehus, dux Ihelō, dux Core. hi duces Oolibama filiæ Anæ vxoris Esau. Isti sunt filii Esau, & hi duces eorum ipse est Edom. Isti sunt filii Seir Horræi, habitatores Terræ: Lotan, & Sobal, & Sebeon, & Ana, & Dison, & Aser, & Disan. hi duces Horræi, filii Seir in Terra Edom. Facti sunt autem filii Lotan: Hori & Hemā. erat autem soror Lotan Thamna. Et isti filii Sobal: Aluan & Manahat & Ebal & Sepho & Onam. Et hi filii Sebeon: Aia & Ana. Iste est Ana qui inuenit aquas calidas in solitudine, cum pasceret asinas Sebeon patris sui. Habuitque filium Dison, & filiam Oolibama. Et isti filii Dison; Hamdan, & Eseban, & Iethran, & Charan. Hi quoque filii Eser: Balaan, & Zauan, & Acan. Habuit autem filios Disan: Hus, & Aran. Hi duces Horræorum: dux Loram, dux Sobal, dux Sebeon, dux Ana, dux Dison, dux Eser, dux Disan: isti duces Horræorum qui imperauerunt in terra Seir. Reges autem qui regnauerunt in Terra Edom antequam haberent regem filii Israel, fuerunt hi: Bela filius Beor, nomenq; vrbis eius Denaba. Mortuus est autem Bela, & regnauit pro eo Iacob filius

Zaræ

zara de Bosra. Cumque mortuus esset Iobab, regnauit pro eo Husam de terra Themanorum. Hoc quoque mortuo, regnauit pro eo Adad filius Badat. qui percussit Ma ian in Regione Moab: & nomen vrbis eius Auith: Cumque mortuus esset Adad, regnauit pro eo Semla de Masreca. Hoc quoque mortuo regnauit pro eo Saul de fluuio Rohoboth. Cumque & hic obiisset, successit in regnum Balanan filius Achobor. Isto quoque mortuo regnauit pro eo Adar, nomenque vrbis eius Phau: & appellabatur vxor eius Meetabel, filia Matred filiæ Mezaab. Hæc ergo nomina ducum Esau in cognationibus, & locis, & vocabulis suis: dux Thamna, dux Alua, dux Ietheth, dux Oolibama, dux Ela, dux Phinon, dux Genez dux Theman, dux Mapsar, dux Magdiel, dux Hiram: hi duces Edom habitantes in terra imperii sui, ipse est Esau pater Idumæorum.

HOc caput nihil aliud habet quàm generationes ipsius Esau, nominaq; filiorum & numerum regum & ducum ex eius genere. Et hæc quidem propter Iudæos scripsit Moses, quorum non nihil intererat hæc de Idumæis scire, tum quia erant vicini eorum, tum quia promissionem habebat domus Iacob, posteros Esau ipsis subiugandos iuxta illud: Maior seruiet minori. Vide igitur Dei opera, Esau breui crescit in populos & duces & reges, Iacob autem variis subinde subiicitur tentationibus: tamen finaliter Esau deiicitur cum suis, Iacob exaltatur. Cæterùm quia nostra nihil refert scire generationem ipsius Esau transeamus hoc caput. Su. c. 26.

Caput tricesimum septimum.

HAbitauit autē Iacob in Terra Chanaā, in qua pater suus peregrinatus est. Et hæ sunt generationes eius: Ioseph cū sedecim esset annorū, pascebat gregē cū fratribus suis adhuc puer: & erat cū filiis Balæ, et Zelphæ vxorū patris sui: accusauitq; fratres suos apud patrē crimine pessimo. Israel autem diligebat Ioseph super omnes filios, eò quòd in senectute genuisset eum: fecitq; ei tunicam polymitam. Videntes autem fratres eius quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eū, nec poterant ei quicquam pacificè loqui. Accidit quoque vt visum somnium referret fratribus suis, quæ causa maioris odii seminarium fuit,

Dixitq; ad eos, Audite somnium meum quod vidi, putabam nos ligare manipulos in agro: & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosq; manipulos circunstantes adorare manipulum meum. Responderunt fratres eius, Nunquid rex noster eris? aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum inuidiæ & odii fomitem ministrauit. Aliud quoque vidit somnium quod narrans fratribus, ait, Vidi per somnium quasi solem, & lunam, & stellas vndecim adorare me. Quod cũ patri suo, & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? num ego & mater tua, & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui: pater verò rem tacitus considerabat. Cumq; fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israel. Fratres tui pascunt oues in Sichimis, veni mittam te ad eos. Quo respondẽte, Præsto sum: ait ei, Vade, & vide si cuncta prospera sint erga fratres tuos, & pecora: & renuntia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem: inuenitq; eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit, Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Dixitq; ei vir, Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothain. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothain. Qui cum vidissent eum procul antequam accederet ad eos, cogitauerunt illũ occidere. Et mutuo loquebãtur, Ecce somniator venit, venite occidamus eũ, & mittamus in cisternam veterem: dicemusque, Fera pessima deuorauit eum, & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Audiens autem hoc Rubẽ, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat, Non interficiatis animam eius, nec effundatis sanguinem: sed proiicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias, hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo. Confestim igitur vt peruenit ad fratres suos, nudauerunt eũ tunica talari, & polymita: miserũtq; eũ in cisternã veterẽ, quæ nõ habebat aquã. Et sedentes vt comederent panẽ, viderũt Ismahelitas viatores venire de Galaad, & camelos eorum portantes aromata, & resinã & stacten in AEgyptũ. Dixit ergo Iudas fratribus suis, Quid nobis prodest si occiderimus fratrẽ nostrũ, & celauerimus sanguinẽ ipsius? Melius est vt venundetur Ismahelitis, & manus nostræ non polluantur: frater enim & caro nostra est. Acquieuerunt fratres sermonibus illius.

Et præ-

Et prætereuntibus Madianitis negotiatoribus, extrahentes eum de cisterna, vendiderunt eum Ismahelitis viginti argenteis, qui duxerunt eum in Aegyptum, Reuersusque Ruben ad cisternam, non inuenit puerũ: & scißis vestibus pergens ad fratres suos, ait, Puer non comparet, & ego quò ibo? Tulerũt autem tunicam eius, & in sanguinem hœdi quem occiderant, tinxerunt: mittentes qui ferrẽt ad patrem, & dicerent, Hanc inuenimus: vide vtrum tunica filii tui sit an non. Quam cũ agnouisset pater, ait, Tunica filii mei est, fera pessima comedit eum, bestia deuorauit Ioseph, Scißisq; vestibus, indutus est cilicio, lugens filium suum multo tempore. Congregatis autem cunctis liberis eius vt lenirent dolorem patris, noluit consolationem accipere: sed ait: Descendam ad filium meum lugens in infernum. Et illo perseuerante in fletu: Madianitæ vendiderunt Ioseph in Aegypto Putiphari eunucho Pharaonis magistro militum.

IN hoc capite Moses redit ad genus ipsius Iacob describendum, orditurq; insignem illam historiam de Ioseph, quam & diligẽtißimè describit propter tres causas. Primò quia hac historia docetur qua de causa & quo euentu filii Israel in Aegyptum venerunt, tantis miraculis inde liberandi. prædictum fuit Abrahæ, semẽ eius seruituti subiiciendum in terra non sua. *Gen. 15.* Cæterùm occasione ipsius Ioseph Israel peruenit in Aegyptum. Secundò, ideo hanc historiam tam diffuse scripsit, quia plena est exemplis pietatis, ideoque solus inter fratres dignus fuit Ioseph, cuius vita post exempla Abrahæ, Isaac, & Iacob, omnibus fidelibus commendaretur ac in exemplum proponeretur. Maximè autem propter Christum hæc historia tam diligenter descripta est, cuius typum fermè in omnibus gessit hic Ioseph, imo Ioseph hic pene solus claro vitæ suæ ordine præostenditur, qualiter sol iustitiæ Christus processurus esset, ab initio vsque ad finem diei, id est, ab incarnatione sua vsque ad consummationem seculi.

Habitauit autem Iacob in terra, &c.

Post descriptionem gentis Idumeæ redit ad Israelitas. Vbi primò reuocat quod supra dixerat, ipsum scilicet Iacob tandem peruenisse ad patrem suum. *Su. ca. 3. & 5.* Exinde, inquit,

habitauit Iacob in terra Chanaan, quasi dicat, quantumcunq; tarde peruenerit, pluresque eum impedire conati sunt. Nam & Laban retroducere voluit eum, Esau prohibere ab ingressu. Sichimitæ eum eiicere volebant: tamen tãdem promissio domini impleta est: Reducam te in terram hanc: item tibi dabo terram hanc. Sic diu quidem differuntur promissiones Dei, sed nunquam fallunt.

Gene.28.

Hæ sunt generationes Iacob, &c.

Non sine causa hoc modo orditur historiam Ioseph, totius generationis meminit, cum tamen de solo Ioseph intendat dicere. Estque sensus, duodecim quidem filios habuit Iacob, sed in vno Ioseph suam generatioñé, id est, paternæ similitudinis effudit pulchritudinem. Nam sicut pater suus ex sterili Sara, & ipse ex sterili Rebecca, naturam inopem iuuante gratia, progenitus & diuina benedictione donatus, patrum suorum vestigiis incessit, Sic iste nihilominus ex sterili Rachel dono Dei susceptus est, futurus eiusdem benedictionis hæres, & solus ex omnibus filiis paternorum morum imitator. Solus igitur ex omnibus dignus est qui filius Israel dicatur, & cuius nomen posteritati commendetur. Hoc igitur primum est in quo Ioseph typus fuit Christi. Is enim Christus ex omnibus hominibus solus similitudinem Dei in se incorruptam seruauit. Alii enim omnes declinauerunt, simul inutiles facti sunt, non est qui faciat bonum nisi vnus Christus. Dignus igitur est Christus cuius memoria apud omnes posteros sit sacrosancta, quique omnibus imitandus proponatur. Vult enim Deus vt conformes efficiamur imagini filij eius.

Psal.13.

Rom. 8.

Ioseph cum sedecim esset annorum, &c.

Singula verba speciale aliquid innuunt, denique etiam Christum adumbrant. Obserua quòd in Hebrço non sedecim, sed decem & septem anni nominátur. Nec est cõtrarietas. Sedecim enim annos compleuerat & decimum septimum agebat. Ideo autem ætatem ipsius Ioseph describit, vt videamus adolescentiam non impedire virtutem, si retrahatur. Deinde nullam ætatem non aptam esse ad pietatem, postremò ad confusionem nostram, qui senes etiam eam perfectioné nondũ assecuti sumus, quam

Ioseph in adolescentia habuit. Imo quòd etiam senes iis viciis succumbimus, quæ Ioseph adolescens superauit. Conuenit autem etiam hic numerus Christo, qui & decem & sex annorum est: siquidem & sex opera vniuersæ creationis, ipse explicuit, & decalogum legis digito Dei scripsit. Insuper & ipso nomine Christum præfigurauit. Ioseph enim adauctus interpretatur, quod propriè Christo competit, qui spiritu sancto plenus est, & in quo habitat omnis plenitudo diuinitatis. Quòd autem Ioseph pauisse dicitur oues patris sui, maximè ad Christum pertinet, qui verus ille pastor est, qui in propheta dicit: Ego ipse pascam oues meas. Et in Euangelio: Ego sum pastor bonus, &c. Et non sum missus nisi ad oues domus Israel. Obserua quòd Ioseph etiam in tenera ætate ad labores educatus fuit. Ocium enim præsentissimum venenum est iuuenibus certaq; perditio. Quod autem additur: Cum adhuc puer esset, magis ad puritatem & innocentiã quam ad pueritiam pertinet. Hoc autem vel maximè ad Christum pertinet, qui sine omni peccato fuit, adeo vt etiam aduersariis auderet dicere: Quis ex vobis arguet me de peccato.

Galat. 2. *Ezech. 34.* *Ioan. 10.* *Matth. 15* *1. Pet. 2.* *Iohan. 8.*

Eratq; cum filiis Balæ & Zelphæ, &c.

Quod filios ancillarum tantùm nominat, iam æmulationem insinuat fratrum, qui ex Lia erant, cum quibus esse non audebat, quia cum de libera essent, grandiores habentes animos, filium dilectæ Rachelis non libenter aspiciebant. Apparet etiam quòd filios ancillarum despexerint ac pro seruis habuerint. Ioseph autem quamuis ipse ex libera esset, imo ex præcipua vxore, non tamen despexit, quos videbat patrem non despicere, nec superbiebat de sua ingenuitate, nec illos fratres habere dedignabatur. Imo ideo se eis coniungit, vt æquanimius ferrent contemptum sui à filiis Liæ. Eodem modo & Christus cum esset vnicus & verus Dei filius, & in forma Dei, tamen seipsum deiecit ac nostri similis effectus est, non dedignatur nos habere fratres, nullum respuit quantumuis humilem & peccatorem. *Philip. 2.*

Imo ideo se humilibus associauit ad ipsorum consolationem. Huc pertinet quod in Euangelio dicitur; Non

Matth. 9 Non est opus valentibus medicus,&c. Quòd autem textus noster habet, quòd Ioseph accusauerit fratres: Septuaginta, & Chrysostomus ipsos sequens, contrarium legũt, sic scilicet: Et accusauerunt Ioseph fratres sui, &c. Verùm textus noster cum Hebræo concordat. Quamuis autem mali speciem habere videatur quod accusasse dicitur fratres suos, mitigatur tamen per hoc quòd additur, apud patrem. Non enim eos infamauit coram extraneis, sed coram patre tantùm. Imo opus fecit & iustitiæ & charitatis. Cum enim natu minimus esset, non audissent eum arguentem, nec ferre poterat peccata ipsorum, quibus & sibi ipsis nocebant, & offendiculum prębebant gentilibus. Igitur quòd vnum restabat fecit. Hoc modo etiam Chri-
Matt. 18. stus nos facere præcipit circa peccata fratrum. Quòd autem in textu nostro dicitur, de crimine pessimo. Multi multa suspicantur. Aliqui volunt quòd solum Ruben accusauerit de incestu, de quo supra, alij quòd ipsos accusauerit de coitu cum bestiis, quòd tamen verisimile nõ est. In Hebræo igitur non habetur de crimine pessimo, sed de rixa pessima, quòd scilicet aut cum finitimis litigabant eosque infestabant, sicut supra fecerant cum Sichimitis, aut quòd inter se dissidebant, & æmulabantur, filios ancillarum contemnendo, illique econtra odiendo, aut saltem quòd ipsum Ioseph qui minimus erat molestarent. Sed quomodo hoc competere potest in Christum
1. Tim. 2. quòd fratres accuset, cum sit mediator noster, interpella-
Roma. 8. tor & aduocatus? Hic duo genera hominum tibi præ-
1. Ioan. 2 stituas. Accusat Christus peccatores, secundũ illud: Mul-
Ioan. 8. ta habeo de vobis loqui & iudicare, &c. sed excusat pœnitentes & pro eis interpellat. Deinde & si per se non accuset, tamen per Mosen accusat, iuxta illud, Ioh. 5. Est qui vos accuset Moses, &c. Item accusat nos sermo ipsius neglectus. Denique accusabit ipsius pręsentia: Si non ve-
Ioan. 12. nissem, inquit, & locutus eis non fuissem: peccatum non
Ioan. 15. haberent.

Diligebat autem Iacob ipsum Ioseph.

Omnes filios diligebat, sed hunc syncerius, tum quia matre orbatus erat, tum quia ex potiore vxore erat, tum denique quia spiritu instructus, præuidebat futura bona in eo,

in eo. Aliam tamen causam huius dilectionis Moses assignat: Eo, inquit, quòd in senectute genuisset eum. solent enim huiusmodi filij tenerius diligi, eo quòd in ipsis quasi reuiuiscunt parentes. In Hebræo habetur, eo quod filius senectutis esset illi, quod quidam non ad senectutem annorum referunt, sed ad senectutem sensuum, de qua dicitur: Senectus venerabilis est, non diuturna nec numero annorum computata. Cani sunt enim sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Ioseph igitur filius senectutis erat, id est, Sapiens & canis sensibus & moribus, propter hoc diligebatur à patre: Nec enim lætatur vir iustus in multitudine filiorum si mali sunt, sed in eo tantum agnoscit se patrem: si filium relinquat post se qui iustitiæ consequatur hæreditatem. Vnde & illud Sapientis: Mortuus est pater eius & quasi non est mortuus: reliquit enim filium similem sibi, &c. In hoc autem vel maximè Ioseph typus fuit Christi, quem pater verè præ omnibus diligit, ob eam potissimè causam, quòd in senectute æternitatis genuit eum, secúdum quam ipse dicitur, & est antiquus dierum. Vel ideo quòd in senectute eum genuit, id est, nouissimo tempore seculi misit in mundum, in qua missione idem filius obedientissimum se præbuit. Vnde meritò audiuit: Hic est filius meus dilectus, &c.

Sap.4. *Eccl.30.* *Danie.7* *Matth.3.*

Fecitque ei tunicam polymitam, &c.

Id est, manibus artificis mira varietate distinctá, & vsq; ad talos pertingentem. Vnde & alij transtulerunt, tunicam talarem. Hac multicolore veste dignus erat Ioseph, ob virtutum multiplicitatem iustitiæque perfectionem. Non igitur curiositas erat, sed insigne virtutis, quo alij digni non erant: huiusmodi multicolorem tunicam etiá Christus habet: ea est sancta scriptura. Ob Christi enim testimonium & gloriam texuerunt digiti Dei omnem scripturam sacram. Denique hæc tunica Christi est plenitudo spiritus sancti, omnibus enim gratiis & donis donatus fuit Christus. Requiescet super eum, inquit, spiritus sapientiæ & intellectus, &c. Hi sunt varij illi colores. Denique Christus habet Ecclesiam diuersis ordinibus & donis gratiarum distinctam. Alios enim dedit pastores, alios doctores, &c. Alij per spiritum datur sermo sapien-

Isa.11. *Ephes.4.* *1.Cor.12.*

sapientiæ, alij sermo scientiæ, &c.

Videntes autem fratres eius, &c.

Quàm dissimilia videmus. In vna domo inque vna familia tanta diuersitas ingeniorum, tãta iustitia in Ioseph, econtra tanta iniustitia in fratribus. Imo in vna domo vnus iustus, alij omnes iniusti. Verum hic est cursus mũdi, habet semen, habet & zizania, imo etiam hic impiorũ maior est numerus. Peccata aũt filiorũ Iacob non ideo scribuntur, vt nobis placeamus, aut hinc nostra peccata excusemus, sed vt timeamus ne similiter cadamus, & post lapsum nõ desperemus, cũ videamus etiam sanctos peccasse, nec tamen ob id reiectos esse. Videmus autem hoc loco quàm leui initio cœperit tam inæstimabilis diuinæ prouidentiæ ordo. Tunica illa, paternæ dilectionis signũ, peperit odium, exilium, dominiũ, descensum in Aegyptum, & quicquid secutum est. Sic sub nostris operibus Deus semper sua opera exequitur, vt nemo sentiat, donec iam perfectum cernatur. Et quàm terribilia nunc contingunt in mundo, quæ nemo adhuc scit in quem finem à Deo dirigenda sint. Meritò igitur timendum nobis est.

Oderant eum, &c.

Quanta mala hoc breui verbo complexus est Moses. Primò enim odium & inuidia, ipsissimum venenum antiqui serpentis est, quod & primum in ipso creuit, dum & filio Dei & homini condito inuideret. Hoc veneno postea hominẽ perdidit, inuidia enim diaboli intrauit mors in orbem terræ. Hoc veneno etiam nunc omnia humana turbat, ciuitates, politias, regna, &c. Nec quicquam felicius nobis esset, si hoc venenum effugere liceret. Vide quantũ malum inuidia in domo ipsius Iacob suscitauerit, quàm omnia turbauerit. Singula autem verba emphasim habent: oderant inquit, sed qui? fratres eius inquit, quem oderant? ipsum Ioseph, & fratrem, & puerum, & probum, & matre orbatum, atq; adeo omnium dilectione dignũ. Sed quam ob rem oderant eum? quòd à patre diligeretur. Non erat iusta causa odij, imo ei congaudere debuissent eumq; imitari in probitate, vt & ipsi diligerentur. Verum ipsi mali permanent, & tamẽ iusto inuident, quòd à patre diligitur. Idem faciunt impij, qui inuident quidẽ

Sap. 2.

pijs

piis, quòd prosperè eis cedũt omnia, ægreq; ferunt quod ipsi à Deo non amentur, & tamen interim peccare nõ cessant. Vis vt Deus te diligat? stude imitari virtutem, &c. Ob hanc causam etiam Cain odiebat fratrem, & Esau similiter, interim autem Ioseph omittit quæ ad se pertinebant, nihil mali etiam suspicatur à fratribus, sed pergit in vocatione sua. Non cessandum à bono propter malos.

Nec poterant ei quicquam pacifice loqui, &c.

Magna fuerit inuidia oportet, quæ adeo omnis fraternitatis & dilectionis eos obliuisci fecit. Hoc modo diabolus etiam sanctorum societates inuadit. Imo vbi sanctius collegium, ibi magis studet suum virus infundere. Cæterum quòd dicit: non poterant ei pacificè loqui, non eo tendit quòd nõ habeamus liberum arbitriũ, aut quòd omnia de necessitate absoluta fiant, potuissent ei pacificè loqui si voluissent. Sensus igitur est: Non poterãt, id est, adeo in ipsum commoti erant, vt nollent ei amplius pacificè loqui. Hoc modò loquendi etiam Ioannes vtitur. Omnis, inquit, qui ex Deo est non peccat, nec peccare potest, id est, non vult nisi quod Deus vult, &c. Alioqui quamdiu hic sumus peccare possumus etiam si sanctissimi videamur, iam quis non videt quàm perfectè omnia hæc in Christo impleta sunt. Primò enim scimus quomodo eum oderint fratres eius, Iudæi scilicet. Nec alias odiẽdi causas habuerint, quàm quas fratres Ioseph habuerant, nempe quòd eos arguebat, quòd virtutibus & innocẽtia quasi veste multicolore vestitus erat, & quòd diligebatur à patre. Hoc enim videre poterant ex ipsius miraculis & vita. Vnde Nicodemus: Scimus, inquit, quia à Deo venisti, nemo enim potest facere, &c. & cæcus ille: In hoc, inquit, est mirabile quòd nescitis vnde sit, & aperuit oculos meos, &c. Vnde & Christus: Si cæci essetis peccatum non haberetis, &c. Nec tantum oderãt Christum, sed nec quicquam pacificè ei loqui poterant, sed omnia loquebantur hostiliter, vt cum dicerent: In Beelzebub eijcit dæmonia. Item dæmonium habet, & insanit, quid eum auditis? Item: Vorax est potator vini, socius publicanorum. Quòd si aliquando pacificè videbantur ei loqui: dolosè tamen fiebat, &c. Meritò igitur conqueritur in Psal.

1. Ioan. 3

Ioan. 3.
Ioan. 9.
Ibidem.
Matt. 12.
Ioan. 10.
Matt. 11.

Psal. 119 in Psal. Cum his qui oderant pacem eram pacificus, &c.
Psal. 108 Et iterum: Sermonibus odij circundederunt & expugnauerunt me gratis.

Accidit quoque vt visum somnium, &c.

Diligenter causas huius odij describit Moses, propterea quòd hoc odium fratrum fecit eum dominum Aegypti. Sic enim mali conatus impiorum piis cedunt in bonum & gloriam. Cæterum hæc somnia ipsius Ioseph certò erant à Deo, vnde & meritò nec ipse nec pater ea contemnebat. Non tamē hinc colligi potest aut debet, quòd omnia alia somnia etiam sint à Deo, & ideo obseruanda sunt. Hoc enim prohibet lex, Leuit. 19. Deut. 13. Quòd si Deus aliquid tibi per somnia reuelare voluerit, dabit & interpretem, id quod Pharaoni & duobus Eunichis contigisse inferius audiemus. Rectè autem dicitur: Accidit, &c. neque enim studio quicquam horum dixit, id est, non hoc intēdit quòd augere vellet odium eorum. hoc enim non fuisset innocentis animi.

Audite somnium meum quod vidi, &c.

Hæc verba planè indicant simplicitatem animæ eius, neque enim ipse adhuc sciebat, quid sibi vellent hęc somnia. Nesciebat quid futurum esset, sed Deus per ipsum loquebatur. Per manipulum autem ipsius Ioseph stantem, aliosque iacentes, designabatur ipsum aliquando fratribus suis præferendum. Secundò, quod manipulo eius stante, id est, ipso abundante frugibus, manipuli eorum casuri essent, & ipsi penuriam frumenti passuri, quæ penuria ipsos cogeret ad ipsius adorationem. Tertiò per hoc significatum est, quòd opus & fides fidelium deijci non potest, iuxta illud: Qui audit verbum meum & facit, ædificat supra petram. Econtra autem impiorum opus casurum est, quantumcunque videatur firmum, super arenam enim ædificant. Demum per hoc etiam significatum est, quòd quantumcunque nunc abiecti videantur pij homines, tamen olim ita exaltabuntur, vt etiam impij eorum auxilio opus habeant. Hoc igitur somnium fidelibus profuturū, impiis cedit ad odium. Sic malis omnia mala sunt, vnde & statim dicunt.

Nunquid Rex noster eris, &c.

Ex hoc

Ex hoc patet quòd intellexerunt vim somnii, tamé ob firmato animo impedire cogitant. Sic impii non ex ignorantia sed malitia peccant. Et vnde moueri debebant, ad deponendum odium, inde magis exasperantur. Qui enim inuidia captus est, contra suam ipsius salutem facit omnia.

Aliud quoque somnium vidit, &c.

Addit Deus aliam visionem ad confirmationem prioris, ne vanum quid putetur fuisse: per hoc etiam ad resipiscentiam ipsos inducere voluit Deus, vt vel nunc cogitarent rem à Deo fieri, & odire cessarent. Duo autem somnia vidit Ioseph, vnum in terra, aliud in cœlo: quibus significatum est ipsum non solum ab hominibus & in terra exaltandum, sed etiam à Deo sic disponente, vt nullam excusationem haberent.

Vidi quasi Solem & Lunam & stellas, &c.

In priori somnio tantum fratres ei subiiciendos monstratum erat, hic autem maius quiddam ei ostéditur, népe etiam patrem & matrem ipsum adoraturos. quod quanq̃ non legatur, certum tamen est, quòd etiam pater & tota familia per eum conseruata sit. vnde non mirū si pro hoc Iacob Deo gratus extiterit. Arguit auté eum pater suus, non quòd somnium contemneret, sed ne adolescés inde superbiret. Superbia enim maximè iustis solet subrepere, nisi arceatur contraria humilitate. Deinde ideo eum arguit, ne odium fratrum hinc augeretur, quod iam sentiebat non paratum ardere. Exemplum pii patris & prudétis patris familias, &c. Quod autem Moses toties repetit odium fratrum, indicio est magnum fuisse odium, & subinde creuisse, donec tandem in pessimum facinus erumperet. Iam quis nescit quòd felicia illa somnia promissionesq́; &c. de futuro regno & potestate, Christo inuidiā conflauerunt. Magnifica de ipso prædixerant prophetæ, magnifica de ipso sentiebat populus, magnificè interdū, sed tamen verè, ipse Christus de seipso loquebatur, vt cum diceret: Antequam Abraham fieret ego sum. Item nunquid legistis: Lapidem quem reprobauerūt ædificantes hic factus est in caput anguli, &c. Hæc inquam & huiusmodi auxerunt inuidiam Iudæorum contra Christum, Ioan. 8. Matt. 21.

vt omnibus modis conarentur ea impedire, sed frustra. Iam enim à Deo diffinitum erat vt manipulus eius staret, & ipsum sol, luna, & stellæ adorarent. Manipulus Christi est ipsius fides, ad messem seminata & iam perducta, hæc immobilis permanebit. Manipuli autem fratrum lectiones sunt legis & prophetarum, quas Iudæi legentes quasi manipulos ligant. Palam est autem toti mundo quod omnes legis & prophetarum lectiones Christum adorant, eique testimonium perhibent. Imitentur ergo inuidi fratres manipulos suos, quòd quandoq; facturi sunt eũ adorando, cuius manipulum iam adorant ipsorum manipuli. Palam item est quòd cœlum & terra, angeli & homines adorant Christũ. Adorat ipsum & pater, id est, antiquus ille populus patrum: Et mater, id est, Ecclesia huius temporis, & fratres omnes, scilicet fideles.

Cumq; fratres illius in pascendis gregibus, &c.

Hęc erat causa paternę sollicitudinis: quia filii eius ibi greges pascebant, vbi eos odiosos fecerat furor eorum
Su.ca.34 pertinax, & indignatio dura qua occiderant Sichemitas. Discant hic parentes filiorum curam agere, ipsorúmque pericula præcauere, maximè animarum, ne sanguis filiorum de manibus eorum requiratur. Putabat pius pater se rem gratam filiis facturum, quia non qualemcunque hominem, sed eum quem vnicè diligebat filium mitteret ad eos. Nihil minus timens vel cogitans, quàm quòd in mortem eum mitteret. Nec dubium quin postea propter hoc ipsum magis doluerit, quòd scilicet ipse videbatur filio causa fuisse mortis. Sic enim pios parentes magis affligit,
2.Reg.18 si ipsorum culpa vel negligentia filii pereant. Sic Dauid miserabiliter luget Absolonem, quòd causa mortis eius
Thob.10 videretur esse, mittendo contra eum exercitum. Sic & Thobiam pœnitet quòd filium suum miserit in Mediam, &c. Emphasim autem habet quòd dicit, fratres tui pascũt in Sichemis, quasi dicat, plurimum anxior quia in loco periculoso sunt: Veni igitur mittam te ad eos: Tu eris internuncius, nihil tibi timendum à fratribus. Verùm hic plurimum fallitur Iacob. Nemo scit quid est in homine
1.Cor.2. nisi spiritus hominis: cor hominis prauum & inscrutabi-
Iere.17. le. Vno autem verbo Ioseph multas virtutes ostẽdit cum dixit:

dixit: Presto sum. Hic enim primò videmus promptam eius obedientiam erga patrem, quòd nihil repugnat, tametsi viæ ignarus esset. Secūdò, charitatem erga fratres, quòd propter salutem eorum nihil laboris recusat. Postremò simplicis animi puritatem, quòd nihil mali de fratribus suspicatur, quamuis iam diu nihil pacificè ei locuti fuissent. Charitas non suspicatur malum. 1. Cor. 13.

Missus de valle Hebron venit, &c.

Omnia hæc in Christo impleta sunt. Quicquid hic Iacob agit erga filios, hoc Deus egit erga genus humanum. Primò cum nos nihil minus cogitaremus, imo in magnis periculis essemus, ipse pro nobis sollicitus fuit. Secundò ab æterno cum filio & spiritū sancto consilium habuit, de creando & redimendo homine, iuxta illud: Ego cogito cogitationes pacis, &c. Tertiò, non alium q̃ proprium filium ad nos mittere voluit, indicem paternæ erga nos voluntatis & charitatis, iuxta illud: Sic Deus dilexit mundum, &c. Deinde qualem se Ioseph exhibuit erga fratres, talem se Christus nobis ostendit. Primò patri propensissimè obediuit vsque ad mortem. Secundò, non curru aut equis vectus, sed humilis venit & cū labore multo. Tertiò, solus hanc legationem subiit, vnde in Isaia: Torcular calcaui solus. Quartò, diu & cum magno labore quæsiuit quem perditam, imo triginta tribus annis. Quintò, nō cessauit à cœpto itinere, donec inueniret. Cum enim dilexisset suos, in finem vsque dilexit eos. Sextò, inuenit eos in alio loco quàm putaret, nimirum in magna defectione, longissimè à Deo recesserat homo. Ierem. 29 Ioan. 3. Isaie. 63. Ioan. 13.

Inuenit eum vir errantem in agro, &c.

Non absurdè credi potest quòd angelus fuerit; cum enim audisset à Ioseph quòd fratres quæreret, non quæsiuit quis ipse esset, quique essent fratres eius, & tamen ad omnia respondet, quod purus homo facere non potuisset. Sic igitur iam iterum videmus angelos adesse his qui in vocatione sua pergunt, quemadmodum & supra de Iacob audiuimus. Bene autē fratres suos inuenisse dicitur in Dothaim, quod interpretatur defectio. In magna enim & certissima defectione erant, qui de fratricidio cogitabant. Su. ca. 32

Ecce somniatur venit, venite occidamus, &c.

Hic tandem se prodit inuidia, imo in apertissimum & pessimum facinus prorumpit. Gaudere debebant de aduentu fratris, omnem rancorem ponere, cum viderent eū tam simplici animo, nihil mali suspicantem venire, nō ad arguendum sed ad consolandum. Verùm hic malitia regnat, ideo innocens pati cogitur. Nullus hic cogitat Deū aut conscientiam. non cogitant fratris innocētiam, non
Isai. 59. patris futurum dolorem. Tunc implebatur illud Isaię: Iudicium retro conuersum est: & iustitia non potuit ingredi, veritas in plateis corruit, &c. Deinde ex inuidia non proprio quidem nomine eum nominare volunt, sed contemptibiliter somniatorem dicunt. Præterea nedum occidere eum cogitāt, sed mortuum quoq; in cisternam proiicere, vt etiam sepultura careat. Postremò etiam mendacio patrem fallere cogitant. Quis non iustè eos pro tantis peccatis damnandos censeret? Et tamen Deus his tantis peccatis eorum bene vsus est. Imo nec ipsos propterea reiecit, vt vel hic appareat eius misericordia. Summa, ipsi mala consultabant, sed Deus aliter disponebat. Imo deridebat hoc eorum cōsilium, iuxta illud Psal-
Psal. 2. mi: Qui habitat in cœlis irridebit eos, &c. Omnia hæc etiam Christo contigerunt, quàm primum eum viderunt agricolæ, dixerunt: Hic est hæres, venite occidamus eū, &c. Deinde etiam Christum somniatorem, imo seductorem appellabant ex inuidia. Præterea obfirmato animo in mortem eius conspirabant, & nec auditum, nec conuictum damnabant. Deniq; totaliter eius memoriam abolitam cupiebant.

Audiens Ruben nitebatur eum liberare, &c.

Nullum tempus tam sæuum est, quin non residui maneant aliqui, qui iustæ causæ assistant, nec vnquā iusti sic derelinquuntur, vt non aliquos habeant qui ipsis compatiantur. Sic Christus ex Pharizęis Nicodemum defensorem habuit, & Ioseph ipsum Ruben, qui ab aliis dissentiebat. Hæc autem malorum diuisio salus fuit iusto, alioqui actum de eo fuisset, si Ruben non dissensisset. Nihil enim peius quàm dum vbiq; mali concordes sunt, econtra ma-
Genes. 11 lorum discordia piorū salus est. Quid non mali fecissent

filii

filii Adam, nisi Deus confudisset līguas eorū. Quid mali non fecisset Abimelech tyrānus, nisi dissentio orta esset inter ipsum & Sichemitas. Quid mali hodie non facerent sectæ? imo actum esset de ecclesia nisi sectæ inter se dissentirent? Hinc Paulus dissensionem excitauit inter Saduceos & Pharizæos. Vide autem mira Dei iudicia: Ruben qui prius libidine carnali reliquis fuit peior, nunc naturali pietate & fraterna compassione omnibus melior erat. Non igitur temerè iudicandi sunt peccatores à peccatoribus, potest enim vno vicio deterior, virtute alia melior esse. *Iudic. 9.* *Act. 23*

Non interficiamus animam eius, &c.

Efficacissima persuasione vtitur vt eos moueret. Primò, non (inquit) interficiamus animā eius. Magnum quidem est anima & vita humana, igitur magni criminis rei erimus. Deinde non effundamus sanguinē, admonens eos iudicij diuini, quo iam pridem ab initio sentētiam mortis in eos tulerat Deus, qui sanguinem humanum fundūt. Præterea inquit manus vestras seruate innocuas. Nihil enim ita polluit vt sanguis humanus. Nihil Deo magis odiosum facit quàm crudelitas in fratres. Cum clamaueritis (inquit) non exaudiā vos, quia manus vestræ sanguine plenæ sunt. Suadet autem vt eum in cisternam proiiciant, quasi leuius sit crimen, quod tamen nihilominus erat homicidium, quia fame ibi periturus erat. Tamen hoc suadet vt postea illis abeuntibus eum extraheret. Non tamen audet eum vi liberare, imo dissimulat se ipsius gratia hoc consilium dare. Et in hoc est exemplum timidis magistratibus, qui non audent delinquentes arguere aut iustos defendere, contra quos Sapiens dicit: Noli quærere fieri iudex nisi vi valeas perrumpere iniustitiam. *Genes. 9.* *Isaiæ. 1.* *Eccl. 17.*

Confestim igitur vt peruenit ad fratres, &c.

Hic incipit crux & tentatio ipsius Ioseph. Vbi primo notandū quòd in historiis piorum hominū semper crux primū locum obtinet, id quod hactenus clarè vidimus in Abel, Noe, Abraham, Isaac, Iacob. Sic hic innocētissimus inter omnes filios Israel maioribus tentationibus exponitur, aliis interim qui pessimi erant quietè & prosperè agentibus. Hoc autem ideo permisit Deus, ne nos pusil-

lanimes efficiamur, si simile quid nobis contingat. Nec putemus ob id nos totaliter abiectos, quando videmus sanctos quo Deo gratiores fuerunt, eo plura perpessos esse. Cæterùm quanquam secundum iudicium mundi & rationem infortunij videtur, quòd hic patitur Ioseph, reuera tamen non est: Nam hoc ipso facto incipit Deus erigere manipulum eius, fratrumq; manipulos deiicere. Tunc enim Deus exaltare incipit cum humiliat. Et quo quemque plus exaltare intendit, eò profundius eum humiliat, id quod videmus in Ioseph, maximè autē in Christo. Vera igitur via ad gloriam est humilitas, sicut econtra superbia via est ad deiectionem & casum. Pulchrè autem & pluribus verbis Moses huius Ioseph crucem describit, vt & simul ostēdat quòd ipse perpessus sit, & quanta fuerit malitia fratrum eius. Singula enim verba peccatum eorum aggrauāt. Primò, confestim inquit, vt ad eos peruenit, oportebat ipsi occurrere, ipsum amplecti, interrogare de patre, & visa fratris innocentia & simplicitate, omnem rancorem deponere, si quē habuissent. Verùm omnem humanitatem excludentes, truculentiores bestiis statim in eum irruunt, nihil tale metuentem. Idem contigit Christo, cuius aduentum summo gaudio accipere debuerat mundus, sed statim cum aduenerit perdere cū cogitauit Herodes: Idem fecerunt pharizæi q̄ primū Christus incipiebat prædicare ac mundo se manifestare.

Matt. 2.

Nudauerunt eum tunica talari, &c.

Vt per hoc fidem facerēt patri quòd à bestiis deuoratus esset. Deinde hanc tunicam ei detrahunt, quia maximè eam oderant, propterea quòd signum esset virtutis & paternæ dilectionis. Hoc insigne fratri inuident. Ipsi tamen interim non hoc agunt, vt simili veste similiq; dilectione patris digni sint. Et Christus tunicam habuit, iustitiam scilicet, innocentiam, sanctitatem, nomen bonū, &c. propter hanc tunicam odio habitus fuit. Grauis inquiūt est nobis ad videndum, quia contrarius est operibus nostris. Hanc tunicam omnibus modis Christo detrahere conati sunt, & quantum in ipsis fuit detraxerunt, famam eius denigrantes. Nos, inquiunt, scimus quia hic homo peccator est. Et iterum: demonium habet & insanit, quid

Sap. 2.

Ioan. 9.

Ioan. 10.

cum

eum auditis. Sic & coram Pilato eum infamarũt, imo nec nunc cessant Christo hanc tunicam detrahere.

Proiecerunt eum in Cisternam, &c.

Hoc consilium Ruben dederat, sed bona intentione, scilicet vt ipsum postea extrahere posset. Nec ausi fuerunt ei cõtradicere, ne qua rem ad patrem deferret, aliàs libentius Iosephum occidissent. Hanc igitur gratiam reportat à fratribus, propter quos tantum itineris confecerat, quos tanto studio quæsierat, quibus deniq; tanto desiderio patris mandatum & salutem annunciare properauerat. Verùm nihil tam atrox est quod perfidus animus non audeat, maximè in eos qui conatibus eius obstant. Discimus hinc quid faciant affectus nisi refrenentur, itemque quo propellat inuidia. Quis tantam malitiam de eis vel suspicari potuisset? Cogita autem quid interim patiatur iustus, qui & puer erat innocens, nihil minus sperauerat, procul à patre cæterisque hominibus erat, nullum auxilium videbat, &c. Ex eo autem quod infra dicunt: Meritò hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum. Videntes angustiam animæ eius cum deprecaretur nos, patet quod ipsos humiliter rogauerit, & cum fletu, sed frustra. Eodem modo & Christus à suis fratribus tractatus fuit, quòd aliquando eum lapidare, aliquando præcipitare eum volebant, donec tandem in foueam mortis eum proiicerent, cum tanta crudelitate, vt inter tot milia hominum quos pauerat, docuerat, saluauerat, nemo esset qui eum agnosceret. Factus sum, inquit, extraneus amicis meis, & timor notis meis, &c.

Gen. 42

Psal. 68.

Et sedentes vt comederent panem, &c.

Etiam hoc peccatum eorum aggrauat, quod tam crudeli opere perpetrato conuiuium celebrant, quasi re bene gesta, fratre interim esuriente, lugente, fame propediẽ morituro. Horum impietatem pleriq; imitãtur qui solũ deliciis student, nihil interim aliis compatientes. Væ qui opulenti estis in Sion, qui comeditis agnũ de grege, &c. & non compasси estis super contritione Ioseph. Imo eo ipso luxu vestro pauperes grauatis & opprimitis, &c. Eodem modo & Iudæi, postquam Christum crucifixissent,

Amos. 6.

festum Pascale celebrarunt, quasi re bene gesta, nondum enim sentiebant conscientiam, quemadmodum nec fratres Ioseph.

Viderunt Ismaelitas venientes.

Hic iam adest Deus tempore oportuno, ne scilicet iustus fame periret. Videntur quidem hi negotiatores casu illuc deuenisse, verùm reuera Dei dispositione illuc perueniunt. Eiusdem Dei prouidētia factum est, vt qui prius consilio ipsius Ruben ab occisione liberatus fuerat, nūc consilio ipsius Iudæi fame liberaretur. Sic Deus semper suis adest & occultè liberat, & à maiori malo eripit, etiā si in minori eos manere permittat.

Quid prodest si occiderimus fratrem, &c.

Videtur Iudas iam aliqualiter sentire conscientiam, licet nōdum plenè, alioqui omnino eum liberari suasisset. Verè autem sentit quod nihil prodest, quin potius maximè obest occidere fratrem. Quòd autem subdit: Et celauerimus sanguinem eius, sensus est, quasi dicat, non poterit celari, nam sanguis eius de terra clamabit vt olim san-
Genes.4. guis Abel. Cæterùm quamuis inscius, tamen ex spiritu sancto dicit: Melius est vt venundetur. Verè enim melius ipsis futurum erat, quòd Ioseph viueret q̄ quòd mortuus esset. Sic econtra melius erat & verè expediebat Christū
Ioan.11. mori, quod Cayphas eodem modo inscius prophetarat, & contra voluntatem suam. Quòd autem in fine addit: Caro enim & frater noster est, seipsum condemnat. Si enim frater tuus est, cur iam non fraternè ipsum tractas? Agnoscit eum fratrem, nec tamen eum liberat. Sic nos facimus, &c. Obseruandum hoc verbum vt semper de proximo etiam humili cogites, frater & caro mea est. Hoc enim ad multa tibi conducit. Hoc modo & Isaias
Isai.58. loquitur: Frange esurienti panem tuū, &c. & carnē tuam ne despexeris, &c. Igitur fratres ipsius Ioseph vbique vident grauitatem peccati, & tamen non desistunt, quod verè obstinationis est.

Acquieuerunt ei fratres, &c.

Diuina prouidentia factum est vt cōsilium Ruben impediretur, vt Ioseph non ad patrem, quod Ruben volebat, sed in Aegyptum quod Deus volebat perueniret;
Iudas

Iudas igitur etiã ignorãs cõsilium Dei promouet, quod data opera impedire conatur. Putabat si Ioseph vẽditus in alienam terram deportaretur, fieri non posse vt rex ipsorum esset. Nec sciebat Iudas se vna cũ fratribus fame cogendum, vt alienam terram adirent, ibique Iosephum vel inuiti adorarent. Sic nullum consilium contra dominum. Acquiescunt autem fratres mala suadenti, qui nunquam acquieuissent bona suadẽti. Ingenium carnis. Prou. 21.

Vendiderunt eum Ismaelitis, &c.

O iniquam commutationem, ò crudelissimũ factum, vendiderunt, ex libero seruum fecerunt, quid melius libertate? Hanc ei auferunt, atq; adeo ciuiliter occidunt. Vendiderunt eũ Barbaris populis, atque in AEgyptum, & exiguo precio vendiderunt. Cum enim eorum essent decem, singulis non nisi duo argentei contigerunt. Hoc illud est quod in Amos dicitur: Eo quòd vẽdidistis pauperem pro calciamento, id est, adeo exiguo precio, vt vix inde calciamenta comparare possitis. Quãta cæcitas hominum pro exiguo lucro tam fœda peccata perpetrare: & Christus quoq; venditus à fratribus in manus extraneorum peruenit. Congruè autem Ioseph, quia tantùm homo erat, corpus & animam habens, pro viginti, id est, bis decem argenteis venditus est. Christus autem qui præter corpus & animam etiam Deus erat, triginta, id est, ter decem argenteis venditus fuit. Amos. 2.

Qui duxerunt Ioseph in AEgyptum.

Videntur omnia secus euenire quàm somniauerat Ioseph. Sperabat se exaltandum, sed in foueam proiicitur. Sperabat se dominaturum, & in seruum venditur. Sperabat fratres se adoraturos, & nunc cogitur ipsos orare. Quantumcunque autem nunc omnia contraria videantur promissis diuinis, tamẽ finaliter impletur quod Deus ipse præostendit. Et nos igitur non statim dubitemus, si prima facie non omnia promissis diuinis respondere videamus, sed finem expectemus. Obseruãdum etiam quod malè quidem videtur habere Ioseph, verùm fratres eius longe peius habebant. Is enim externè quidem patitur, sed internè Deum habet: fratres autem eius externè quidem nihil patiuntur, sed internè Deũ amiserunt. Deinde

Ioseph quidem seruituti addicitur, illi autem venditores eius longe grauiores dominos ferre coguntur, peccata scilicet, imo dæmones. Non igitur male habet qui patitur, sed verè malè habet qui malum facit. Is enim seipsum maximè lædit.

Reuersusque Ruben ad puteum, &c.

Præ aliis fratribus suis hic Ruben in facto iustior inuenitur. Primò enim quia grande peccatum fecerat dormiẽdo cũ Balaa, noluit addere peccatũ peccato, sano nimirũ cõsilio. Nã Sapiẽs monet: fili peccasti, non adiicias
Eccle. 5. peccatum peccato, &c. Contrariũ faciunt impii. Deinde quia semel patrem offenderat, hoc facto eum placare & recõciliare cupiebat, quod & ipsum boni ingenii signũ, & rarum apud carnales. Demum quia infamiam sibi per incestum contraxerat, eam pio hoc facto abstergere nitebatur. Nihil enim adeo infamiam prioris vitæ abstergit & tegit, vt emendatio vitę. Sic Paulus, sic Petrus, sic Matthæus, Zachæus & alii, infamiam perpetratorum peccatorum euaserunt. Cæterùm quod Ruben bonum etiam propositum habens, frustratur tamen spe sua, quia aliter Deus ordinauerat, doceat nos, si bono proposito fortuna non respondeat, credere Deum aliud præordinasse. Anxius autem fit Ruben & pro fratris perditione & pro patris dolore, qui consecuturus erat: Deniq; etiã propter suam negligentiam anxiatur, quod cum maior esset non fortius defendisset fratrẽ. Sciebat quod apud Deum nedum reus est qui malum facit, aut qui cõsentit, sed etiam qui non prohibet cum potest: maximè si sibi ex officio competat. Huc enim pertinet illud: sanguinem pereuntis de manu tua requiram. Conqueritur autem Ruben apud fratres perditionem Ioseph, nesciens ipsos eum vendidisse. Puer inquit non comparet quid excusationis prætendemus? Maximè ego qui maior sum? Alii tamen fratres nec sua sponte pœnitent, quemadmodum Ruben, imo nec ab ipso admoniti pœnitent, donec manu domini castigentur. Sic sunt in Ecclesia qui si ceciderint statim resurgunt, etiam non admoniti, sed tantum apud seipsos recolentes quid fecerint. Alii non nisi
2. Par. 33 Dan. 4. flagellati pœnitent vt Manasses & Nabuchodonosor.

Istin-

Intinxerunt tunicam eius in sanguine, &c.

Securi de ipso Ioseph, nec quicquam anxii de peccato commisso, consultant quomodo peccatũ occultare possint, & patrem fallere. Vbi pulchrè videmus ingeniũ impiorum. Primò enim quantumuis mali sint, nolunt tamẽ pro malis reputari. Deinde non timent iudicẽ Deũ. Nõ cogitant terrificum tribunal Dei, sed tantum timent pœnam hominum, & confusionem coram mundo, hoc est ingenium carnis. Nihil autem non faciunt vt patrem fallant. Primò tunicam sanguine tingunt, vt credatur à bestiis deuoratus. Deinde non ipsi afferunt tunicam, sed per alios mittũt, ne pater sinistri aliquid suspicetur. Præterea apertè mentiuntur se tunicam inuenisse, cum eam violenter rapuerint. Hoc modo putant peccatum suum tegi posse. Verùm nihil aliud sunt quàm ficulnea tegumenta, quibus olim Adam se tegere nitebatur, sed frustra, adueniente enim domino nihil profunt. Deinde tegitur quidem peccatum ipsorum, sed ad tempus, nam infra etiam inuitis ipsis manifestabitur. Præterea patrem fallere cupientes: seipsos maximè fallunt, dum enim agũt ne pater ipsos arguere posit, ipsi in impœnitentia manent, & iram Dei subinde augent. Nihil igitur melius & securius quàm maturè pœnitere: ingenuè confiteri, correptionem suscipere. Per hæc enim peccata nostra veraciter teguntur. Eodem modo Iudæi tunicam Christi, id est, humanitatem eius sanguinolentam ad patrem miserunt, idque per alios, nã per Romanos eũ occiderũt. Nolunt enim videri filii Dei occisores, sed Romanis imputant, cum ipsi Romanos incitarint. Vel aliter, tunicã Christi, id est, scripturã sacram, legem & prophetas, sanguine Christi cruentarunt, & sanguinolentũ atque adeo ingratum est quicquid faciunt. Ea tunica ad nos peruenit qui occisioni Christi nõ interfuimus. Et quãuis sanguinolenta sit tunica, quamuis scriptura expressè dicat Christum crucifixum: non tamen erubescimus crucem eius, sed cum gaudio eam patri pro peccatis nostris offerimus. Denique & ipse pater tunicam filii sui, quantũuis sanguinolentam, agnoscit.

Gen. 45.

Esa. 1.

Fera pessima deuorauit Ioseph.

Statim agnouit tunicam pater: statimque in vocē luctus prorupit. Geminatio autem verborum, magnitudinem dolorum indicat. Verè autem bestia deuorauerat Ioseph, omni enim bestia crudelior est homo timore Dei vacuus, & conscientiam non sentiens. Et quid mali huiusmodi bestiæ non facerent, quos iustos non perderent, nisi potestate gladij, diuinitus cōtra huiusmodi bestias permissi, arceantur. Et Christum fera pessima, quātum in ipsis erat deuorauit, vnde in propheta dicitur:

Hier. 12. facta est mihi hæreditas mea, quasi leæna.

Scidit vestimenta sua & luxit filium, &c.

Etiam in sanctis naturales illi affectus manent: quantumuis enim spiritum sanctum habeant, tamen homines manent. Hic igitur sancto Iacob alia tentatio superuenit, & quidem grauissima, nihil enim in vita grauius illi accidit quàm hoc, quantumuis multa perpessus sit, dolebat ex amissione filii, & maximè talis filii. Dolebat item quòd ipse causa fuit perditionis filii, vt qui ipsum solū emiserat, & ad eos quos sciebat illi infensos. Præterea etiam ideo dolebat, quòd in Ioseph sancto iuuene sperabat diuinam benedictionem impleri. Postremò quod non certò scit quid filio contigerit: Multò leuius fuisset si certo sciuisset mortuum. Adhæc tentatio hæc admodū diuturna fuit. Durauit enim viginti & tribus annis. Nam cum sedecim esset annorum venditus est Ioseph, triginta autem annorum erat cum exaltatus fuit, Iacob autem etiam post exaltationem ipsius Ioseph nouem annis venit in AEgyptum, septem scilicet vbertatis & duobus penuriæ annis elapsis, qui simul faciunt, viginti tres. Videmus item hic verissimè dici. Qui filios habet, crucem habet. Sic mali filii non solum in fratrem crudeles sunt, sed etiam in patrem, cui iam seni tantum dolorem inferunt.

Congregatis autem cunctis liberis eius, &c.

Putabant Ioseph amoto quietem se habituros, & nūc coguntur patrem perpetuò lugentē videre. Grauis erat ipsis Ioseph ad videndum, sed hoc nō minus graue. Noluit autem consolationem admittere, propterea quòd sugge-

ſuggerente ſpiritu videbat peccatum commiſſum à filiis, & Ioſeph ſua negligentia perditum. Quòd autem dicit: Lugens deſcendam in infernum, pro more temporis eius loquebatur, quo nondum aperto cælo etiam ſancti ad inferna deſcédebant. Quamuis apud Hebræos deſcendere ad infernum nihil aliud ſit, quàm mori, ſepeliri, & in foueam ire. Eſt igitur ſenſus quaſi dicat, vtinam deſcenderem ad eum, vel ſcio quòd finem vitæ meæ adducet hæc cauſa. Cæterùm ſicut Iacob perdito filio omnem conſolationem rennuit, ſic perdito Chriſto meritò lugemus. Magna enim in ipſo perduntur, imo tota ſalus noſtra.

Madianitæ vendiderunt Ioſeph, &c.

Hic iam ſecundò venditur Ioſeph, imo vt quidam volunt ter venditus fuit. Primò Iſmaelitis, ſecundò Madianitis, tertio AEgyptiis. Sic & cum Chriſto omnes negociamur, nunc vendentes, nũc emehtes eum, &c. tantumq; temporalia in ipſo quærimus, non ipſum met. In hac vltima venditione non exprimitur precium, quia Iſmaelitæ quod ſuum erat, quodque emerant, licéter poterant iterum vendere. Fratres autem Ioſeph hoc malum faciédo, ſeipſos vendiderunt ſpiritualiter, ideo ibi ſignãter appoſitum fuit preciũ, vt ſciamus quàm paruo precio ſeipſos vendiderunt. Ob eandem cauſam in Euangelio, vbi Iudas diſcipulus vendidit Chriſtum, appoſitum eſt preciũ. Vbi autem Iudæi Chriſtum gentibus tradunt merces vẽdentium non exprimitur, quia ſatis à propheta expreſſa eſt. Duplici inquit contritione contere eos, id eſt, tempo rali & æterna. Hæc merces eorum. *Iob.17.*

Caput triceſimum octauum.

EOdem tempore deſcendens Iudas à fratribus ſuis, diuertit ad virum Odollamitem, nomine Hiram. Viditq; ibi filiam hominis Chananæi, vocabulo Sua: & accepta vxore, ingreſſus eſt ad eam. Quæ concepit, & peperit filium, & vocauit nomen eius Her. Rurſumq; concepto fœtu, natum filium vocauit Onan. Tertium quoq; peperit: quẽ appellauit Sela, quo nato, parere vltra ceſſauit. Dedit autem Iudas vxorem primogenito ſuo Her nomine Thamar. Fuit quoque Her primogenitus Iudæ, nequam in cõſpectu

Domini:

Domini: & ab eo occisus est. Dixit ergo Iudas ad Onan filium suum. Ingredere ad vxorem fratris tui, & sociare illi, vt suscites semen fratri tuo. Ille sciens non nasci sibi filios, introiens ad vxorem fratris sui, semen fundebat in terram, ne liberi, fratris nomine nascerentur. Et idcirco percussit eum Dominus, eo quòd rem detestabilem faceret. Quam ob rē dixit Iudas Thamar nurui suæ: esto vidua in domo patris tui, donec crescat Sela filius meus: timebat enim ne & ipse moreretur, sicut fratres eius. Quæ abiit, & habitauit in domo patris sui. Euolutis autem multis diebus mortua est Sua vxor Iudæ: qui post luctum consolatione suscepta, ascendebat ad tonsores ouium suarum, ipse & Hiras opilio gregis Odollamites, in Thamnas. Nuntiatumque est Thamar quod socer illius ascenderet in Thamnas ad tondendas oues. Quæ depositis viduitatis vestibus, assumpsit theristrum: & mutato habitu sedit in biuio itineris, quod ducit Thamnam: eo quòd creuisset Sela, & non eum accepisset maritum. Quam cum vidisset Iudas, suspicatus est esse meretricem: operuerat enim vultum suum, ne agnosceretur. Ingrediensque ad eam, ait, Dimitte me vt coeam tecum: nesciebat enim quòd nurus sua esset. Qua respondente: Quid dabis mihi, vt fruaris concubitu meo? dixit. Mittam tibi hœdum de gregibus. Rursumque illa dicente, Patiar quod vis, si dederis mihi arrhabonem, donec mittas quod polliceris. Ait Iudas, Quid tibi vis pro arrhabone dari? Respondit, Annulum tuum, & armillam, & baculum quem manu tenes. Ad vnum igitur coitum mulier concepit, & surgens abiit: depositoque habitu quem sumpserat, induta est viduitatis vestibus. Misit autem Iudas hœdum per pastorem suum Odollamiten, vt reciperet pignus quod dederat mulieri: qui cum non inuenisset eam, interrogauit homines loci illius, Vbi est mulier quæ sedebat in biuio, Respondentibus cunctis, Non fuit in loco isto meretrix: reuersus est ad Iudam, & dixit ei, Non inueni eam: sed & homines loci illius dixerunt mihi nunquam sedisse ibi scortum. Ait Iudas, Habeat sibi, certè mendacij arguere nos nō potest: ego misi hœdum quem promiseram, & tu non inuenisti eam. Ecce autem post tres menses nuntiauerunt Iudæ, dicentes, Fornicata est Thamar nurus tua, & videtur vterus illius intumescere. Dixitque Iudas, Producite eam vt comburatur. Quæ cum duceretur ad pœnam, misit ad socerum suum dicens: De viro cuius hæc sunt concepi: cognosce cuius sit annulus, & armilla, & baculus. Qui agnitis muneribus ait, Iustior me est: quia non tradidi

eam

eam Sela filio meo. Attamen vltra non cognouit eam. Instante autem partu, apparuerunt gemini in vtero: atque in ipsa effusione infantium vnus protulit manum, in qua obstetrix ligauit coccinium, dicens, Iste egredietur prior. Illo vero retrahente manum egressus est alter: dixitque mulier, Quare diuisa est propter te maceria? & ob hanc causam vocauit nomen eius Phares. Postea egressus est frater eius, in cuius manu erat coccinum: quem appellauit Zara.

Historia huius capitis videtur in plerisq; turpis esse, in cortice literæ, interim tamen reuera plena est mysteriis. Immundis igitur immunda videtur, sed mundis omnia munda: & pius homo etiã ex sterquilinio colligit aurum. Et diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Habet autem hoc caput in primis magna quędam & merito timẽda iudicia Dei. Deinde insignia quędam honestæ vitæ exempla. Postremo insignes duas figuras in filiis Iudæ. Hæc per ordinem videmus. *Tit, 1.* *Roma. 8.*

Eo tempore descendens Iudas à fratribus, &c.

Dicunt Hebræi, quòd filij Iacob videntes patrem inconsolabiliter lugere propter perditum Ioseph, cœperunt Iudæ molesti esse, eo quòd dedisset cõsilium de eius venditione, dicentes: Si consuluisses eum totaliter dimittendum, acquieuissemus tibi tanquam principaliori, maximè quia sedata passione iræ fuissemus ei compassi. Ob hanc causam Iudas declinat à fratribus, ac cum Chananæis amicitiam contrahit. Hic vide iudicium Dei. Qui fratribus peccandi causam dederat, nũc ipsorum odium incurrit, Qui fratrem in exilium detruserat, nunc ipse domum paternam cogitur relinquere. Et qui patrem dilecto filio orbauerat, nunc duos filios amittit, idque in breui tempore & nullo relicto semine. Sic impij in foucam cadunt quam aliis foderunt. Sic diuina ira lento quidem gradu ad vindictam procedit, sed tarditatem supplicij grauitate compensat. Nemo igitur glorietur si diu impunis euadat. Veniet enim tandem iudicium. Huiusmodi iudicia etiam in aliis videmus. Sic Cayn fratrem occidens, vagus & profugus effectus, tandem & ipse occiditur. Sic Pharao masculos Israelitarum perimens & ipse & tota *Psal. 7.* *Exod. 1.*

tota AEgyptus primogenitos amittunt. Sic Herodes paruulos Bethleemitarum perimens, tandem iusto Dei
Matth.2. iudicio etiam in suos sæuire cœpit filios. Deinde aliud iudicium Dei videmus hic in duobus filiis Iudæ, quos do minus occidit propter impietatem. Hoc autem ad terrorem eorum scriptum est, qui etiam in matrimonio constituti vxoribus abutûtur, & magis voluptatem quàm prolem quærunt. Quoties vnus impius punitur, toties alij impij admonentur. Præterea & hoc graue iudicium Dei est, quòd & Iudas & filij eius tam grauiter peccant. Quis igitur de sua iustitia præsumat? cum etiam sancti, si Deus manum subtrahat tam fœdè labantur. Et qui hodie iu-
Roma.3. stus est, cras fortè cadet. Solus igitur Deus verax & iustus, omnis autem homo mendax & peccator, vt soli Deo
Danie.9. gloria maneat: nobis autem confusio faciei nostræ. Vide autem quàm pulchrè Deus hoc peccatum ordinet ad bonum. Ex hoc adulterio Iudæ cum Thamar orta est linea illa, ex qua tot sancti, imo & Christus natus est. Ex tam leuibus & malis principiis tantum bonum elicere potuit Deus. Ideo autem hoc permisit Deus, primo ad consolationem peccatorum, ne desperent de venia, quando vident etiam Christum è peccatoribus prodiisse, & nullum peccatorem abiecisse. Deinde vt Iudæis obstruatur os, qui nunquam non de genere suo gloriantur, ac omnes alias gentes, imo & alias tribus Israel despiciunt, at si attenderent caput hoc, cessaret huiusmodi gloriatio. Hic enim viderent quòd pater ipsorum Iudas, à quo ipsi nomen habent, primo perfidiam committit, promittendo ipsi Thamar quod non intendebat perficere, deinde etiā incestum committit. Sic & mater ipsorum primò gentilis est, deinde vt scortum sedet in biuio. Præterea non ex iusto matrimonio, sed ex incestu originem habet tribus Iuda. Quid hic habent quod glorientur? Sic Deus quia hanc tribum præ aliis honorare voluit, prius hanc ei
Roma.3. notam inussit, vt omne os obstruatur, & subditus fiat omnis homo Deo. Postremò pertinet etiam hoc ad iudicia Dei, quòd Thamar innocens diu quidem in suspicione fuit, quasi ipsa occidisset maritos, finaliter tamen eius innocentia declaratur. Sic Deus & si ad tempus ele-

ctos

ctos suos subiiciat mendaciis impiorum, In fine tamen ipsorum innocentiam palam facit in maiorem gloriam ipsorum. Habemus etiam in hoc capite aliqua ad bonos mores conducentia. Primò exemplum vidualis honestatis in Thamar, quæ viduitatem & segregationem ab hominibus & vestitu honesto ostēdit. Secundò exemplū iustitiæ, quòd adulterium etiam tunc tantum malum haberetur, vt morte puniretur. Hoc ipsum tamen apud nos quàm frequens malum est, & quàm impunitum. Tertiò habemus exemplum publicæ honestatis, quòd Iudas semel & præter intentionem cognita nurum sua, deinceps ab eius congressu abstinuit.

ALLEGORICE.

Thamar quæ amaritudo interpretatur pœnitentiam significat, quæ omni homini necessaria est, ex quo primus Adam peccauit, in quo moriuntur omnes. Her & Onam 1.Cor.15.
qui vxorem Thamar ducere iussi, filios ex ea non genuerunt, & mortui sunt propter suam nequitiam, eos designant, qui ante legem & post legem pœnitentiam agere iussi neglexerunt. Imo & expectatione Dei nequiter abusi, tempora pœnitentiæ perdiderunt. Iudas qui tandem ad illam ingressus duos ex ea filios vno cōcubitu genuit, Christum designat, qui tandem agēdam pro omni mūdo pœnitentiam suscepit, & vno mortis experimento duorum populorum salutem, & vitā æternā quasi parturiens, in dolore mortis fructificauit. Vel Thamar Ecclesiā, imo quamlibet fidelem animam significat, quæ duobus quidem coniuncta, sterilis tamen manet, imo mansisset, nisi à Iuda ipso semen suscepisset. Sic duo sunt genera prædicatorum, à quibus Ecclesia non fœcundatur. Aliqui omnino steriles sunt, carent semine verbi Dei, etiam si alia nescio quæ doceant, ideo Ecclesia nihil ex ipsis fructus reportat. Alii peiores quidem sunt, qui semen quidem verbi Dei habent, nec tamen Ecclesiæ communicant, sed in terram fundunt, sola scilicet terrena quærentes, & talentum domini in terra abscondentes. Itaq; nec isti fructum faciunt in Ecclesia. Et nisi tertius, qui Christus est, interueniret, Ecclesia sterilis remaneret. Significantur etiam per hos duos, duo genera hominum in-

Ecclesia, qui finaliter à domino perdentur. Primi qui manifestè obsunt, alii qui non obsunt quidem, sed non prosunt cum possent. Alii duo fratres, Phares & Zara, duos populos significant, Iudæos & gentes, de primogenitura certantes. Et quidem Iudæi potiores fuissent: nã primo manum pro[illegible], primo & legem & Euangelium acceperunt, v[illegible]on credidisset ipsos primo conuertendos. Verùm in ipsa hora partus, ipso tempore gratiæ manum retraxerunt, sed rubro coccino ligatam, quia fidem quidem Christi abiecerunt, ita tamen quòd conscientiam reportarunt sanguine Christi maculatam. Illis ergo retrocedentibus gentilis populus ad Euangelium peruenit, qui & primogenituram adhuc habet, donec & alter, Iudæorum scilicet populus, etiam conuertatur, quod fiet cum plenitudo gentium intrauerit, tunc
Rom. 11. enim omnis Israel saluus fiet.

Caput ricesimum nonum.

IGitur Ioseph ductus est in AEgyptum, emitque eum Putiphar eunuchus Pharaonis, princeps exercitus sui, vir AEgyptius de manu Ismahelitarum, à quibus perductus erat. Fuitque Dominus cum eo, & erat vir in cunctis prospere agens: habitauitque in domo domini sui, qui optimè nouerat Dominum esse cum eo, & omnia quæ gereret ab eo dirigi in manu illius. Inuenitque Ioseph gratiam coram domino suo, & ministrabat ei: à quo præpositus omnibus gubernabat creditam sibi domum, & vniuersa quæ ei tradita fuerant: benedixitque Dominus domui AEgyptii propter Ioseph, & multiplicauit tam in ædibus quàm in agris cunctam eius substantiam. nec quicquam aliud nouerat, nisi panem quo vescebatur. Erat autem Ioseph pulchra facie, & decorus aspectu. Post multos itaque dies iniecit domina sua oculos suos in Ioseph, & ait: Dormi mecum. Qui nequaquam acquiescens operi nephario, dixit ad eam Ecce dominus meus omnibus mihi traditis ignorat quid habeat in domo sua: nec quicquam est quod non in mea sit potestate, vel non tradiderit mihi, præter te, quæ vxor eius es: quomodo ergo possum hoc malum facere, & peccare in dominũ meum? Huiuscemodi verbis per singulos dies, & mulier molesta erat adolescenti, & ille recusabat stuprum. Accidit autem quadã die vt

die vt intraret Ioseph domum, & operis quippiam absque arbitris faceret: & illa, apprehensa lacinia vestimenti eius, diceret: Dormi mecum. Qui relicto in manu eius pallio, fugit, & egressus est foras. Cumque vidisset mulier vestem in manibus suis: & se esse cõtemptam, vocauit ad se homines domus suæ, & ait ad eos: En introduxit virum Hebræum, vt illuderet nobis: ingressus est ad me, vt coiret mecum: cumque ego succlamassem, & audisset vocem meam, reliquit pallium quod tenebam, & fugit foras. In argumentum ergo fidei retentum pallium ostendit marito reuertenti domum, & ait: Ingressus est ad me seruus Hebræus quem adduxisti, vt illuderet mihi. cumq; audisset me clamare, reliquit palliũ quod tenebam, & fugit foras. His auditis dominus, & nimium credulus verbis coniugis, iratus est valde, tradiditque Ioseph in carcerem, vbi vincti regis custodiebãtur, & erat ibi clausus. Fuit autem Dominus cum Ioseph, & misertus est illius: & dedit ei gratiam in conspectu principis carceris. Qui tradidit in manu illius vniuersos vinctos qui in custodia tenebantur: & quicquid fiebat, sub ipso erat. Nec nouerat aliquid cũctis ei creditis: Dominus enim erat cum illo, & omnia opera eius dirigebat.

IN hoc capite Moses historiam ipsius Ioseph interruptam resumit ac prosequitur, vbi primo videbimus, quomodo Deus suos ducat per prospera & aduersa, per infamiam & bonam famam, à dextris & sinistris. Imo quomodo eos ducat per ignem & aquam, quemadmodum Dauid ait, probasti nos Deus, igne nos examinasti, &c. Transiuimus per ignem & aquam, & eduxisti nos in refrigerium. Et iterum: probasti cor meum & visitasti no ~~&~~e, &c. *2. Cor. 6.* *Psal. 63.* *Psal. 16.*

Ioseph autem ductus est in AEgyptum, &c.

Omnia iusto huic aufert Deus in quibus aliquo modo confidere poterat, nimirum vt soli Deo fidat. Habuerat patrem sui amantem, eum amittere cogitur: Non quòd Deus iustis hæc externa inuideat, sed ne nimium terrenis confidant. Eodem modo & Christo subtraxit omnia quæ aliquo modo consolationem ei præbere potuissent: vt finaliter clamaret: Deus meus vt quid me dereliquisti? Ducitur autem Ioseph in AEgyptum, regionem scilicet longinquam, cuius linguam non *Matt. 27.*

intelligebat, quæ omnia ad cumulum tristitiæ eius fecerunt. Mitius fuisset si in Mesopotamiam vel etiam in Chaldæam ductus fuisset, illic enim aliquos amicos inuenisset, vt ipsum Laban & alios. Sic si in Chananæorum manus peruenisset, vel hoc solatij habuisset, quòd linguam intelligeret, hic autem nihil tale habet. Accedit ad maiorẽ tristitiã, quòd non simpliciter in AEgyptum ducitur, sed vt seruus. Nihil autem miserius olim erat seruili conditione. Primò enim non erant sui iuris deinde seruire cogebantur, non ad tempus tãtum, & pro mercede vt nunc, sed per omnem vitam, nisi ex gratia manumitterentur. Præterea merces eorum erat paululum cibi, multum laboris & plagarum. Adhæc in plena potestate dominorum erant, vt ipsos vendere possent, vel tractare secundum libitum. Demum ab omnibus contempti erant, ad nullos honores admittebantur, imo nec digni censebantur, vt testimonium in iudicio ferrent, &c. In summa nihil miserius abiectiusq; erat seruis. In hanc miseriam etiam Ioseph deiectus fuit antequam
Matt. 20 exaltaretur. Nec mirum, nam & Christus ipse pro nobis seruus factus est: Venit enim non vt sibi ministretur, sed vt ipse aliis ministraret, &c.

Ordinatione autem Dei factum est, vt Ioseph non ad domum priuati alicuius, sed ad domum diuitis & princi-
Thob. 13. pis perueniret, vt vel sic virtus eius, imo Dei nomen & gloria, citius in aulam regis, indeq; ad totã AEgyptum perueniret. Hinc Thobias, ideo disperſit vos Deus inter gentes, vt enarretis mirabilia eius, &c. Sic Deus semper etiam ad gentes misit seruos suos, per quos infideles
1. Thim. 2 si vellent ad cognitionem veri Dei peruenirent. Vult enim quantum in se omnes homines saluos fieri.

Et fuit dominus cum eo, & prosperatus est,

Magnam emphasim habet verbũ hoc: vult enim dicere: quantumuis Ioseph externa specie miserrimus videretur, & ab omnibus derelictus, non tamen omnino relictus erat, nõ omnino perierat. Videbatur dominus somnia eius reuocasse, sed non fecit. Videbatur eum reliquisse, sed adhuc cum eo est, maiorem eius curam agens, quàm pater eius habuisset. Hic impletum videmus illud

illud Sapientis: Sapientia venditum iustum non dereliquit,&c. Item illud Psalmi, Apud dominum gressus hominis dirigentur, &c. Si ceciderit non collidetur, quia dominus supponit manum suam, ceciderat Ioseph in seruitutem, sed non collisus fuit. Potuit igitur cum Dauide dicere: Pater meus & mater mea dereliquerunt me, dominus autem assumpsit me. Obserua quòd Deum etiam in AEgypto inuenit Ioseph, pius enim homo vbicunque fuerit inuenit Deum, iuxta illud Psalmistæ. Si ascendero in cœlum tu illic es, &c. Obserua quod Deus fidelissimus est amicus, qui non relinquit suos, quemadmodum mundus solet. Fuge igitur mundi amicitiam, nec in ea confide, sed cura vt Deum amicum habeas, qui te in tempore tentationis, quæ certo veniet, in morte scilicet, non deserat, alioqui miserrimus eris. Fuit autem dominus cum Ioseph, non visibiliter ei apparendo aut ei loquendo, sed ipsum in omnibus operibus dirigẽdo. Non igitur putemus dominum nobis abesse, etiam si non videamus eum aut audiamus, sed ex operibus cognoscamus eius præsentiam. Attende quæ circa te fiant, & videbis Deum adesse. Quod enim pericula euasisti, &c. quis alius te custodit nisi Dominus? Obserua quod Dominus quidem cum Ioseph esse dicitur, sed tamen nõ statim eum à seruitute liberat. Nondum satis eum probauerat caminis tentationum. Nondum satis spectatum erat quanta esset virtus eius, ideo non statim liberatur. Sic nec Paulus à stimulo carnis liberatur, sed audit: Sufficit tibi gratia mea.

Sap. 10. *Psal. 36.* *Psal. 26.* *Psal. 138* *2. Cor. 12*

Nouerat dominum esse cum eo, &c.

Etiam infidelis ex ipso Ioseph melior efficitur: Ex eo autem coniecit Deum esse cum eo, quòd omnia prospera ei succedebant. Sic mundus ex prosperis indicat Deum esse præsentem vel propicium, quod quanquam hic verum sit, tamen in aliis plerunque fallit. Alioqui etiã cum diuite illo epulone fuisset dominus, cui omnia prospera erant, & non cum Lazaro infortunatissimo. Vide autem pium huius AEgyptii animum, quia vidit Deum cum Ioseph esse (nam prosperitatem tantam Deo ascribebat) incipit eum diligere, fouere, magni æstimare,

Lucæ 16.

non obstinate seruili conditione. Non enim secundum externam faciem iudicandum, sed vbicunque videmus Deum esse, illos honoremus etiam si despecti sint, tamen propter inhabitantem Deum honorandi.

Inuenit gratiam coram domino, &c.

Mira Dei opera, quod inter fratres habere non potuit, inter extraneos inuenit, fratres odiunt, alienus amplectitur. Sic plus interdum veræ amicitiæ inter extraneos inuenimus, quàm inter cognatos. Sic nemo propheta acceptus est in patria sua. Sic Deus quod in vno aufert,
Luc. 4. in altero compensat. Sic Deus nunquam totaliter relinquit pios, vt non ex aliqua parte consoletur. Sic exilium multis etiam aliis profuit. Omne enim solum forti patria est. Sic virtus etiam inter malos, tamen finaliter erumpit & honorem meretur. Thalamus igitur virtutis est aduersitas.

Præpositus omnibus Ioseph, &c.

Hic incipit Ioseph crescere, paulò post toti AEgypto præficiendus. Non igitur timeamus mala pati, sed mala facere. Omnia autem Dominus ei concredidit, cui enim tutius & securius se & sua crederet quàm iusto, & ei quem sciebat Deum habere propitium. Gubernat Ioseph domum vt seruus fidelis, prudés, honestus & sedulus. Vide auté misericordiá Dei & curam pro suis, etiam infideli benefacit, propterea quòd iustum & afflictum in precio haberet: Benedixit inquit dominum eius propter
Math. 10 Ioseph. Hinc Christus: qui recipit vos, me recipit: & qui recipit iustum in nomine iusti, mercedem iusti accipiet.
Psal. 40 Et, beatus qui intelligit super egenum & pauperem, &c.
Prou. 2. Nam & ei miserebitur Deus: Alioqui qui non compa-
Luc. 16. titur miseris, & ipse clamabit & non exaudietur, vt patet de diuite epulone. Quòd autem in fine additur, nec quicq́ aliud nouerat quam pané quo vescebatur, dupliciter exponitur. Primò refertur ad ipsum Ioseph, quasi dicat, quamuis nihil mercedis haberet præter cibú, tamé fidelis erat in seruitio. Deus enim licet non abunde det in vno anno, tamen suo tempore dabit. Melius tamen refertur ad AEgyptium, vt sit sensus: Omnia commiserat ipsi Ioseph ordinandá vt vellet, præter cibum, quem ad

arbi-

arbitrium domini præparare tenebatur,&c.

Erat autem Ioseph pulchra facie, &c.

Pulchritudo corporis Dei donũ est, sed pulchritudini mentis haud quaquam comparandũ. Sine pulchritudine corporis enim placere quis potest Deo: non autem sine pulchritudine mentis. Imò pulchritudo corporis interdum plus obest quàm prodest. Plerumque est causa peccati, vel ad minus periculum castitatis, id quod videmus in Ioseph. Non igitur in huiusmodi externis gloriemur, quæ Deo nos non commendant, insuper & sępe nocent, sed qui gloriatur in domino, glorietur. Cæterùm hæc pulchritudo corporis in Ioseph meritò commendatur: propterea quod in pulchro corpore pulchrior animus lateret. Aliàs autem exiguum bonum est pulchritudo corporis sola, sine pulchritudine animi, vnde Sapiens: Circulus aureus in naribus porci, mulier pulchra & fatua. Sic enim porcus nihilominus lutum vertit rictu, etiam si auro ornatus sit: sic huiusmodi mulier abutitur pulchritudine.

2. Cor. 10

Prou. 11.

Iniecit domina oculos suos in Ioseph, &c.

Vix respirauerat Ioseph à prioribus malis, & ecce aliud malum & maius. Non patitur diabolus sanctos quietè agere, sed semper ipsis negotium facessit, & quo magis virtus eorum crescit & eminet, eo magis inuidia eius crescit. Sicut igitur Ioseph supra tentatus fuit in aduersis, vel à sinistris, sic nunc tentatur à dextris, id est, in prosperis. Sicut etiam in aduersis constans perseuerat, sic nunc in prosperis non recedit à timore: quod verè magnæ fortitudinis est. Multò plures enim per prospera quàm per aduersa decipiuntur, vnde Psal. Cadent à latere tuo mille, & decem milia à dextris tuis. Tẽtatur autem Ioseph à Deo & diabolo, sed dissimiliter. Tentat eum Deus vt probet, vt merita eius augeat, vt gratiam suam in eo declaret, denique vt posteri exemplum habeant castitatis. Tentat eum diabolus vt perdat. Non enim ignoramus cogitationes eius, ait Paulus. Vide autem quibus machinis eum aggrediatur. Primò enim ad peccatum ipsum allicit, nimirum vt Deum ipsi auferat, quo solo innocens hactenus

Psal. 90.

2. Cor. 2.

ſteterat: non corpus,ſed animam eius occidere parabat. Deinde eo medio ipſum aggreditur, quo maximè capi & deiici ſolent homines, nempè voluptate. Didicerat veterator ille longa experientia, quàm facilè homines voluptate trahantur. Sic enim & Euam deiecit,& homines in diluuium induxit.Imo hoc medio maxima Eccleſiæ etiam damna intulit. Præterea ſuum illud inſtrumentum arripit, ad decipiendos viros natum,mulierem ſcilicet, per quam & primum hominem, & fortiſsimum quemque deiecerat,vt Sampſonem, Dauidem, Salomonem,& in hunc vſque diem omnes homines dementat. Demum hoc agit vt mulier ſua ſpõte ſe offerat,quod alij vix magnis laboribus cõſequuntur. Videri poterat omnia hæc in gratiam ipſius Ioſeph facere,vt ſcilicet etiam dominam haberet propitiã, & poſt labores recrearetur. Verùm lõgè aliud intendebat,nimirũ vt omnia ei auferret,quibus hactenus coram Deo & hominibus ſteterat. Probitas enim acceptũ fecerat domino ſuo,Gratia Dei ipſum ſeruauerat in aduerſis.Vtrumque diabolus auferre nititur, vt & Deum & homines perdat, & corpore & anima pereat,hoc quærit diabolus.Nihil melius de ipſo
1.Pet. 5. tibi pollicearis, quantumcunque tibi blandiatur. Circuit inquit quærens quem deuoret, &c. ac velut viridi ramo agnus ad victimam ducitur, ſic voluptatis illecebra ad mortem nos ducit. Et tamen huic inimico ad mortem ducenti plus credimus, quàm Chriſto ad vitam inuitanti.

Dormi mecum, &c.

Hic habemus exemplũ mulieris impudicę.Primo enim omnem timorẽ Dei excludit,Nec mirum tamen hoc eſt, cum eſſet mulier gentilis. Peſsimum autem eſt vbi in Chriſtiana hoc accidit.Deinde obliuiſcitur proprii honoris, ſtatus, datæ fidei,omnium deniq; quibus poterat à tã nefario crimine retineri.Sic de impiis dicitur: Pro-
Pſal. 72. diit quaſi ex adipe iniquitas eorum, &c. Sic impiis illis
Dan. 13. duobus iudicibus in Daniele dicitur: Auerterunt oculos ſuos, vt non recordarentur iudiciorum iuſtorum.
Pſal. 16. Sic & alibi in Pſalmis:Oculos ſuos ſtatuerunt declinare in terram.Pręterea etiam verecundiam abiicit,optimum mulierum

mulierum ornamentum, & ita abiicit vt ipsa adolescentē de stupro alloquatur. Postremò etiam vim adhibet, adeo insaniebat potius quàm amabat. Quis non abominetur tantam turpitudinem etiam in gentili. Vtinam autem nihil tale etiam apud nos esset. Imo multa peiora apud nos fiunt, illa enim occultè hæc fecit, nostræ autē manifestè.

Qui renuens dixit ad eam, &c.

Diligenter obseruanda est hic ipsius Ioseph cōstantia & castitas. Magna & fortissima tentatio erat, id quod ex omnibus circunstantiis patet. Primò enim ipse iuuenis erat, atque adeo non minus intus à natura sua, quam foris à muliere incitabatur. Deinde ab ea incitabatur quæ plurimum ei poterat commodare si consensisset: econtra plurimū obesse si non consensit. Imo certum ipsi odium & inimicitia mulieris imminebat, si etiā contēneret. Verè igitur cum Susanna dicere potuit, Angustiæ mihi sunt vndique, &c. Præterea non semel tantum sed quotidie incitabatur. Quis autem tam fortis est, qui toties & tam violenter impetitus non cadat? Cadunt tandem ingētes arbores si plures ictus accedant, & cedunt lapides si gutta sæpè cadat super eos. Quanto magis homo, cuius caro non est ænea, nec fortitudo eius fortitudo lapidū. Ioseph tamen persistit immobilis, vincit seipsum & suos affectus, nihil enim aliud prohibet & retinet quàm timor Dei amicitiam Dei omnibus præferebat. Inimicitiā Dei plus horrebat quam hominum. Ad hoc non parū ei profuit bona educatio, quod à puero imbiberat Dei timorem. Hic igitur exemplum verecundię & fidei. Nihil igitur est quod prętendamus adolescentiā, vim, tentationē, &c. Omnia enim hæc fortius habuit Ioseph, & tamen vicit, diuina gratia adiutus, quæ nec nobis deesset si eam quæreremus, & si in nobis esset timor Dei. Discant parētes instituere pueros, discant iuuenes timere Deū, eiusq; amicitiam voluptati præferre.

Dani. 13. *Iob. 6.*

Ecce dominus meus omnia mihi tradidit.

Pulcherrimis verbis vtitur, quibus seipsum & fidelem seruum & timentem Deum ostendit. Deniq; etiam ipsam ab infamia reuocare nititur. Primò enim beneficia à domino accepta enumerat, quod signum grati animi est,

deinde latenter ipsam conditionis suę admonet, cum dicit: Tu vxor eius es, quasi dicat, cogita quæ sis, &c. Præterea rem ipsam exaggerat quantum potest. Quomodo, inquit, possum facere hoc tantum malum & cōtra dominum meum, &c. Postremò ne mulier diceret dominū hoc non sciturum, addit, & peccare in Deum, quasi dicat: quantumcunq; dominum fallamus, Deum nunquā fallemus. Si domino carnali debeo fidelitatem, quanto magis Deo, à quo plura accepi. Sic igitur concludit factū hoc cessurum in domini ignominiam, & in Dei offensam. Hæ duæ regulę nobis ꝓponūtur in omni tēpore, dilectio scilicet Dei & ꝓximi, quas si attēderimus nunq̄ peccabim⁹.

Relicta in manu eius veste sua fugit, &c.

Quantúuis admonita esset mulier, non tamē cessat, sed insuper eū vi cogere conatur, tāta erat impudentia, tanta vis amoris, imo amentiæ. Hic igitur Ioseph vbi nullum aliud præsidium vidit, fuga castitatē suam saluauit, ac potius voluit cōfundi coram mundo, q̄ occultè offendere Deum. Nos nihil aliud timemus quàm confusionē mundi & pœnam, de Deo iudicioq; Dei, deq; futura illa impiorum confusione nihil cogitantes. In hac igitur tribulatione, in hoc abscondito tempestatis discrimine, vbi exauditus & probatus est Ioseph, quatuor videmus virtutes, temperantiam scilicet, iustitiam, fortitudinē, prudentiam. Quid temperantius eo, qui dicēti non cuilibet, sed dominæ suæ, dormi mecum adolescens, nō inclinauit animum? Quid iustius eo qui dixit: Ecce dominus meus omnia tradidit mihi, &c. Quid fortius ea perseuerantia, quòd indies sollicitatus tamen non consensit? Quid prudentius eo, qui etiam cum dispendio temporali maluit vestimentum suum dimittere, & ignem procul abiicere, quàm silentio diu premēdo, flammam fœmineam in sinu suo alligare cum periculo animæ? Sic igitur virtus in in-
2. Cor. 12, firmitate perficitur: Sic iusti tentationibus probati clariores fiunt. Nemo hæc de Ioseph facilè credidisset, nisi
Psal. 104 tentatio accessisset, rectè igitur scriptura eum virū nominat: Misit inquit ante eos virum.

Cum autem vidisset mulier vestem in manibus, &c.

Hactenus conditiones impudicæ mulieris audiuimus, hic vi-

hic videbimus quid faciat ira mulieris. Nescit mediũ tenere mulier, neque in amore nec in odio vel ira. Insanit amando, insanit & irascendo. Pulchrè autem causam iræ ponit Moses cum dicit: Cũ vidisset se contemptam. Mulier natura vult amari, non vult contemni, nec quicquam minus ferre potest, quàm sui cõtemptum. Est enim superbum animal, vbi igitur contemni se videt, facile ad iram & inde ad odium mouetur. Vide autem insaniam huius mulieris. Primò tam statim odire cœpit, quem prius sic amauerat. Nec tantum odit, sed etiam occidere cogitat. Vnde & familiam conuocat, accusat coram familia, insuper & coram viro. Omnes incitat contra iustum, mentitur sine omni pudore, contemptibiliter seruum eum nominat, denique omnem ei excusandi se locum præripit. Verè igitur dictum est: Non est ira super iram mulieris. *Eccle.25.* Accusat mulier iustum, nesciens quod dominus cum ipso esset. Quid autem grauius quàm mendaciter infamari. Iustus homo leuius fert mortẽ quàm infamiam, vnde Christus suos magnis promissis præmonuit contra hanc tentationem. Beati inquit estis si vobis maledixerint homines. *Matth.5.* Item: Non est seruus maior domino suo. Si patrem *Matt.10* familias Beelzebub appellauerunt, quanto magis domesticos eius? &c. Hoc igitur præminm Ioseph suis virtutibus meruit. Merebatur commendari, imo coronari: sed ecce accusatur, infamatur. Hanc mercedem dat mundus, sic honorat virtutem. Mirum autem quòd etiam Deus tacet. hoc enim vel maximè pios turbat, impios autem in malo fortificat, vt dicant illud Iob: Quis est omnipotens vt seruiamus ei? aut quid prodest si orauerimus eum? *Iob.21.* Verum tacet quidem Dominus, sed ad tempus: regnat aliquamdiu malitia, sed non in finem regnabit. Non igitur quid nunc fiat attendamus, sed quid in fine futurum sit: tunc non offendet te & impiorum prosperitas & iustorum aduersitas. Omnia hæc in Christo impleta sunt. Primò enim fuit etiam ipse pulchra facie, &c. Vbique enim præclara de ipso loquitur scriptura vt cum dicit: Dominabitur à mari vsque ad mare, & cæt. Hanc *Psal.71.* eius pulchritudinem Iudaica gens carnaliter intelligens cupiebat tẽporaliter per Christum exaltari super omnes gentes,

gentes,&c·quod cum Christus ei hactenus negauerit, incepit eum odire, accusare, & demum ad carcerem vsque mortis perducere. Imo etiam nunc non ob aliud odiunt Christum, quàm quòd pulchritudine sua nõ finit eos carnaliter abuti. Hoc est quòd non carnaliter præstat, quæ prophetæ de spirituali eius regno prædixerunt.

Audiens autem vir eius & nimium credulus, &c.

Hic accidit alia crux, quòd gratiam domini sui perdit, cuius fauor nonnullum ei solatium præbuerat in malis. Imo sperare poterat, per eum se posse exaltari, sicq; impleri somnia sua. Verum etiam hæc eum spes fallit, omnia ei Deus aufert, in quibus aliquo modo confidere poterat, vt in solo Deo speraret. Meritò autem hic dicitur quòd nimium credulus fuerit Aegyptius, imo in hoc arguitur, Esto enim vxor eius esset, esto eam diligeret, esto eam offendere tutum non putaret, non tamen nimium credere oportuit mulieri, & soli, in perniciem eius quem iustum & fidelem expertus erat, imo cum quo sciebat esse Deum. Sed quem non præcipitant mulieres? Quem non vincunt affectus? Quòd autem iratus fuisse dicitur: mirum quidẽ non fuisset, imo iustum si vera fuisset accusatio, si sic accusatum reum inuenisset. Nunc autem nec vocato nec audito irascitur. Habes hic imaginem malorum iudicũ, qui pauperes sæpe non auditos in gratiá diuitum opprimunt. Cæterum quantumuis irascatur: continet tamẽ dominus manum eius ne iustum occidat, sicut & supra manus fra-
Su.ca.37 trum à cæde eius continuerat. Sic adest Deus suis etiá cũ videtur maximè abesse. Maiora quidem pericula auertẽs, minora relinquens.

Et misit eum dominus suus in carcerem, &c.

Hæc tertia crux & quidem maxima multis de causis. Primò enim in se miserum est carceri includi, maximè ingenuum. Deinde non solum in carcerem conijcitur, sed etiam compedibus vincitur, iuxta illud: humiliauerunt in
Psal.104 compedibus pedes eius, ferrũ, id est, doloris gladius pertransiuit animam eius. Præterea non simpliciter incarceratur, sed vt adulter & noxius, quo fiebat vt nemo ei compateretur. Magna autem etiam vinctis consolatio est, si sciant multos qui eis compatiantur, quique innocentiam

tiam eorum agnoscant, hinc enim aliquod subsidium spe rant. Nihil horum habuit Ioseph, insuper in eum carcerem conijcitur, vbi vincti regis custodiebantur, hi scilicet qui maiestatis læsæ rei erant. Nihil igitur aliud sperare poterat quàm mortem. Semper & omnibus horis mortem ante oculos cernebat, nec vllum effugium videbat. Sic igitur factus est sicut homo sine adiutorio, æstimatus cum descendentibus in lacum, sed tamen inter mortuos liber. *Psal. 87.* Sic fera pessima denuo deuorauit Ioseph, mulier scilicet illa pessima, vel potius diabolus per mulierem, & quia animam eius deuorare non potuit, saltem carnem eius quãtum potuit momordit. Vide igitur mirabile Dei iudicium, Sanctus & virgo in carcere iacet, meretrix autem in conuiuio & delicijs manet. Quis hic non exclamet cum Ieremia: Quare via impiorum prosperatur, &c. *Iere. 12.* Item Abacuc: Quare Domine taces conculcante impio iustiorem se? *Abac. 1.* Si nobis tale quid cõtingeret, quãtas querelas haberemus? Iustus autẽ in Dominum sperat. Expecta igitur paulisper & videbis dominum iusto affuturum. Nec dubium est, quin meretrix illa male perierit, quanquam non sit scriptum: non enim delectatur scriptura vel spiritus sanctus scribere perditionem impiorum, sed certamina piorum.

Fuit autem Dominus cum eo, &c.

Iam iterum adest Deus in tempore oportuno, vnde Sapiens: Descendit, inquit, cum illo in foueam, & in vinculis nõ dereliquit eum. *Sap. 20.* Verè igitur fidus amicus est Deus, qui cum suis vadit in exilium, imo & in carcerem. Inuenit eum Ioseph in exilio, inuenit eum & in carcere. Nusquam deest Deus piis. Quis igitur tam fidelem amicum non diligat? Quis ei non credat qui etiam in morte suis astat. Nihil igitur beatius est homine qui gratiam Dei habet. Huic enim nihil deesse poterit quando dominum secum habet. Quæramus ergo gratiam & Dei amicitiam. Nam mundi amicitia instabilis est, id quod Ioseph expertus est.

Dedit ei gratiam in conspectu principis, &c.

Vnius hominis fauorem perdit iustus, alterius autem gratiam inuenit. Qui pius est semper & vbique inueniet

qui

qui eum diligant, pietati igitur studeamus, &c. Quòd autem vinctos ei tradit, vel ex fauore processit, vel ideo fecit, vt curam & onus in alium reijceret, ipse tamen nomẽ haberet. Sic enim agit caro, magnificos titulos quærit, & tamen onus & laborem in alios reijcit. Obserua autem quòd Ioseph descendere quidem videtur, nam è domo paterna in exilium, ab exilio in carcerem descendit. Re-uera tamen crescit & ascendit, vbique enim dominatur. Sicut ab hero præficitur domui, sic ab hoc præficitur vinctis, vt vel hinc discere possit, somnia sua aliquando implenda. Cæterùm sic Ioseph captiuus quidem est, sed tamen dominatur in carcere, sic Christiani quantumuis hic opprimantur, tamen Domini sunt omnium, & cum Christo omnibus præpositi. Renituntur quidem adhuc impij, sed suo tempore subijciendi sunt piis. Iam regnant pij in fide & spe, sed nondum re. Omnia hæc in Christo impleta sunt, nam & ipse in Aegyptum veniens primum pauperibus & afflictis præpositus fuit, iuxta illud: Euangelizare pauperibus misit me. Et iterum: Non veni vocare iustos, sed peccatores. Deinde in carcerem inferni descendens, omnes illic vinctos patres in suam potestatem accepit & liberauit. Postremò princeps carceris Deus omnes ei vinctos subiecit, id est, peccatores. Omnia enim ei tradita sunt, cælestia, terrestria, &c. vt in nomine eius omne genu flectatur, vnde bene dixit: Cum exaltatus fuero à terra, omnia traham ad me ipsum. Hunc accedamus qui vincti sumus, imo gaudeamus quòd in carcerem nostrum descendit.

Esa. 61. *Matt. 9.*

Caput quadragesimum.

His itaque gestis accidit vt peccarent duo eunuchi, pincerna regis Aegypti, & pistor domino suo. Iratusque contra eos Pharao (nam alter pincernis præerat, alter pistoribus) misit eos in carcerem principis militum, in quo erat vinctus & Ioseph. At custos carceris tradidit eos Ioseph, qui & ministrabat eis: aliquantulum temporis fluxerat, & illi in custodia tenebantur. Videruntque ambo somnium nocte vna, iuxta interpretationem congruam sibi, ad quos cùm introisset Ioseph manè, & vidisset

disset eos tristes, sciscitatus est eos dicens: Cur tristior est hodie solito facies vestra? Qui responderunt, Somnium vidimus, & non est qui interpretetur nobis. Dixitque ad eos Ioseph: Nunquid non Dei est interpretatio? referte mihi quid videritis. Narrauit prior, præpositus pincernarum somnium suum: Videbam coram me vitem, in qua erant tres propagines, crescere paulatim in gemmas, & post flores vuas maturescere: calicemq́; Pharaonis in manu mea. tuli ergo vuas: & expressi in calicem quem tenebam, & tradidi poculum Pharaoni. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij, Tres propagines, tres adhuc dies sunt, post quos recordabitur Pharao ministerij tui, & restituet te in gradum pristinum: dabisq́; ei calicem iuxta officium tuum, sicut ante facere consueueras. Tantũ memento mei, cùm tibi bene fuerit, & facies mecum misericordiã: vt suggeras Pharaoni vt educat me de isto carcere: quia furtim sublatus sum de terra Hebræorum, & hic innocens in lacum missus sum. Videns pistorum magister quòd prudenter somnium dissoluisset, ait: Et ego vidi somnium, Quòd tria canistra farinæ haberem super caput meum: & in vno canistro quod erat excelsius, portare me omnes cibos qui fiunt arte pistoria, auesq́; comedere ex eo. Respondit Ioseph: Hæc est interpretatio somnij, tria canistra, tres adhuc dies sunt: post quos auferet Pharao caput tuum, ac suspendet te in cruce, & lacerabunt volucres carnes tuas. Exinde dies tertius natalis Pharaonis erat: qui faciens grande conuiuium pueris suis, recordatus est inter epulas magistri pincernarum, & pistorum principis. Restituitq́; alterum in locum suum, vt porrigeret ei poculum: alterum suspendit in patibulo, vt cõiectoris veritas probaretur. Et tamen succedentibus prosperis, præpositus pincernarũ oblitus est interpretis sui.

HActenus semel atque iterum audiuimus quomodo fera illa pessima, diabolus scilicet, iustum Ioseph deuorare nisus sit. Primò per fratres, deinde per mulierem impudicam. Verum Domino iuuante & manum supponente adhuc persistit Ioseph, quanquàm magno malo aduersitatum pressus. Nunc autem hoc capite incipit fortuna blandius ei arridere, & felicem exitum promittere. Imo non fortuna sed Deus hoc agit, verùm à longe, vt nihil minus videatur, quàm propter Iosephum hæc fieri, cum tamen omnia in gratiam

eius

eius fierent. Quid enim Deo & impiis illis? qui siue viuerent siue morerentur parum referebat. Verum Iosephi curam hic agit Deus, omniaque propter ipsum disponit, sed latenter. Non putasset Ioseph expositionem somniorum causam fore suæ liberationis, imo medium suæ exaltationis. Vide igitur Dei mirabilia: Ioseph propter sua somnia odium contraxit fratrum, imo eadem somnia fuerunt causa omnium malorum, hoc autem Deus nunc in cõtrarium vertit, vt cui obfuerunt somnia propria, prodessent aliena. Deinde vide ex quàm paruo initio Deus sua opera incipit. Somnium pincernæ nihil videtur pertinere ad Ioseph, & tamen occasionem præstabit exaltationis ipsius Ioseph. Sic Deus ex nihilo mágna facit, vocat enim ea quæ non sunt, tanquam ea quæ sunt. Videbimus item in hoc capite verè dictum esse: diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Nam etiam peccata, & somnia, & infortunia, & bona fortunæ aliorum, Iosepho profuerant.

Sup. c. 37. Roma. 8.

Accidit vt peccarent duo eunuchi, &c.

Facilè amittitur gratia principum, difficilè est eis ita seruire, vt non offendantur. Deniq; offendere ipsos vel in minimo, res magni periculi est. Econtra autem & facillimum & tutissimum est Deo seruire, qui parua quidem à nobis exigit, & minima etiam bene consulit & acceptat, si animus noster tantum bonus sit. Denique etiam magna peccata facillimè ignoscit pœnitentibus. Et tamen cæci filij Adam magis student hominibus seruire quàm Deo. Imo seruitutem hominum studiosè ambiunt, ad Dei autem seruitutem nec promissis nec minis protrahi possunt. Et tamen homines sæpe fallunt, Deus nunquam: homines paruam mercedem dant: Deus maximam. Iustè igitur fit vt quia Deo seruire nolumus, cogamur nonnunquam tyrannis & oppressoribus seruire, imo interdum etiam fidelibus. Hinc ad Iudæos dicitur: Seruietis regi Aegypti, vt sciatis distantiam seruitutis meæ, & seruitutis regni terrarum. Ex diuina autem dispositione fit, vt hi in eum carcerem conijciantur, in quo erat Ioseph, vt ipsis primò, deinde per ipsos regi innotesceret. longe aliud mouerat regem. Sic Deus semper sub nostris operibus

2. Par. 12.

ribus sua opera perficit, omnia coguntur ei seruire, vel nobis inuitis, & dum nihil minus cogitamus, opera Dei promouemus. Præficitur autem eis Ioseph, qui principes erant in aula regis. Paulo post toti regno præficiendus: In carcere est, sed tamen potestatem habet, aliisq; preest. Nemo impedire potuit, quin Ioseph præesset: Deus decreuit, quis poterit infringere. *Isai. 14.*

Viderunt ambo somnium, &c.

Omnia hæc non casu sed Dei dispositione facta sunt. Friuola res est somnium, iuxta illud: Vbi multa sunt somnia, multæ sunt vanitates: magna tamen Deus interdum per somnia agit. *Eccles. 5.* Sic per somnium ipsius Iacob præostendit quanta bona ex semine suo toti generi humano prouentura essent. *Gene. 28.* Sic per somnia ipsius Ioseph præostendit futuram eius exaltationem. Sic per somnia Danielis præostendit futuras populi Dei & Ecclesiæ persecutiones. *Dan. 7.* Non tamen ob id somniis fidendum, imo prohibitum est: possunt quidem aliqua esse vera, iuxta illud: Si quem elegero loquar illi per somnia: potest & somniis nonnunquam futurum aliquid protendi, sed vt infra dicitur, Dei est interpretatio. *Num. 12.*

Cur tristior solito est facies vestra, &c.

Afflicti & vincti semper peiora timent, non mirum igitur si hi terrentur ex insolitis somniis, maximè quia male sibi conscii erant. Semper enim præsumit sæua perturbata conscientia. Et impius terretur etiam ad sonitum folij volantis. *Leui. 26.* Terrentur hii ex incertis somniis, & nos certa Dei flagella videntes non terremur. Me ergo non timebitis ait dominus. *Ierem. 5.* Vide autem fortitudinem animi in ipso Ioseph. Captiuus erat & ipse, sed consolatione externa non indiget: consolabatur ipsum conscientia innocens: adeo vt etiam alios consolari posset. Vnde & Paulus: Benedictus inquit Deus, &c. Qui consolatur nos: vt possimus & ipsi consolari alios, &c. *2. Cor. 1.* Sic iustus confidit vt leo, & etiam in aduersis gaudet: tantum bonum est conscientia bene sibi conscia. Econtra miseri illi desperationi proximi sunt, non habentes quo se consolari possent: tantum malum est conscientia malè sibi conscia. Non est pax impiis. *Isai. 48.* Deinde videmus hic charitatem

ipſius Ioſeph, qui ſui obliuiſcitur, & aliis compatitur. Sic Chriſtus ſuæ gloriæ oblitus fleuit ſuper Ieruſalem. Imo

Luc. 23. & ſuæ crucis oblitus compaſſus eſt filiabus Syon. Nolite inquit flere ſuper me, &c. Præterea videmus quàm ſedulo Ioſeph vinctis miniſtrauerit, quamque diligenter, vt nec triſtiorem vultum in ipſis ferre poſſet. Sic Ioſeph vbique fideliter ſeruit, in domo paterna, in domo Putipharis, & in carcere non cogitat quibus ſeruiat, ſed vt bene ſeruiat.

Nunquid non Dei eſt interpretatio, &c.

Triſtabantur illi quòd vincti magos & arioſos conſulere non poſſent, at Ioſeph propter hoc eos arguit. Non inquit magorum, ſed Dei eſt occulta interpretari. Illi tantum coniecturas ſequuntur, Deus autem fallere non poteſt. Deinde hoc verbo blandè ipſos allicit, vt ſomnia ſua edicant, non curioſitate adductus: ſed tantùm ex charitate, ſi qua eos conſolari poſſet, quaſi dicat. Si cui Deus reuelauerit, is poterit interpretari ſomnia, id autem contigit Deo familiaribus & amicis, ideoque vt cognoſcatis me colere Deum, qui omnia poteſt, narrate mihi ſomniũ: forſitan per me vos conſolabitur Deus. Docet hoc verbum ne curioſi ſimus exponere ſomnia: Sõnia enim mul-

Eccl. 34. tos deceperunt. Et adhuc nulla re facilius nos poſſet diabolus à fide in ſuperſtitiones & errores inducere, quàm per ſomnia, ſi eis credendum eſſet. Verum igitur ſomnium neſcis, niſi reuelante Deo: coniecturam abiice, ſi quid ad rem pertinet ſomnium, Deus oſtendet. Cui per ſomnia vult loqui Deus, ei dat interpretationem per ſe vel per alium. Sic Iacob docuit per ſeipſum quid ſomnium de ſcala illa ſignificaret, in ſemine inquit tuo benedicen-

Dani. 9. tur omnes gentes. Sic Danielem & Zachariam per angelos edocuit, &c.

Hæc eſt interpretatio ſomnii, &c.

Vide quàm promptè ſomnia explicet, nihil cunctatur. Quis hoc in carcere quæſiuiſſet? Verum hæc eſt Dei natura, vt humilibus & abiectis ſua ſecreta manifeſtet, quæ ſapientibus abſcondit. Sic Deus Ioſepho quidem multa

Matt. 11. mala accidere permittit, interim tamen ſapientiam dat,

Pſal. 104. quam aliis negat. Sic quem fratres irriſoriè ſomniatorem

nomi-

nominauerunt, nunc somnia interpretandi gratiam accipit. Sic Deus irrisiones malorum vertit in bonum iustorum. Sic spiritus sapientiæ in animam sanctam se trásfert, qui in maleuolam animam non intrat, nec habitat in corpore subdito peccatis. Cæterû sicut Ioseph occulta refert, quæ nemo alius potuit, sic Christus & prophetas adimpleuit & sensum scripturarum aperuit, quas nemo intellexisset: ipse enim habet clauem Dauid, &c. *Sap. 1. & 7. Luc. 24. Apoc. 3.*

Tantùm memento mei, dum bene fuerit tibi, etc.

Non diffidebat Ioseph de diuino auxilio, sed interim tamen non negligit humana media. Videbatur autem hic pincerna restitutus plurimum prodesse posse, Nec dubiû quin Ioseph frequenter orauerit Deum pro sui liberatione. Iamque exauditus erat, sed nondum tempus erat vt manifestaretur eum esse exauditum. Nos nescimus quid oremus: Imo Deo præscribimus tempus & locum, volumusq; sic vel sic per hunc vel per illum liberari. At Deus, stulte inquit vis me docere? ego scio quando tempus sit, & quomodo tibi succurrere velim: expecta meum tempus. Mirabiliter ducit Deus hunc iustum, vt ipse nesciat, nec coniicere posit finem rei, vnde Psalmista: Mirificauit Dominus sanctum suum. *Psal. 4.*

Quia furtim de terra Hebræorum sublatus sum, &c.

Vide pium animum, Non accusat fratres: non adulteram illam, sed tantùm se innocentem hæc pati dicit. Poterat peccatum & fratrum & mulieris in immensum exaggerare, sed tacet, vindictam committit Deo. Pius homo non gaudet super peccatum aliorum, non eos accusat, infamat, imo compatitur, scit eos sibi ipsis maius malum intulisse, ideoque ipsis magis compatiendum esse quàm irascendum. *1. Cor. 13.*

Videns autem pistorum magister, &c.

Vel hic videmus côiecturam in rebus diuinis nihil esse. Pistor ex interpretatione somnij pincernæ sperauit etiá ipse sui liberationem, sed lôge fallitur. Imo videmus hic nihil certi nos ex somnijs, ex nostra ratiôe habere posse: videntur somnia hæc quasi similia, sed dissimilia sunt.

Cæterùm Ioseph etiam huic quod verum erat, quodque Deus ipsi reuelarat, planè exprimit, non adulatur, non falsa spe nutrit, quemadmodum quidam infirmos, iam iam morituros, falsa spe longioris vitæ interdum decipiunt, sicque faciunt vt nihil minus quàm ad mortem præparati moriantur. Idem faciunt quidam pseudoprophetę, qui omnibus gratiam Dei promittunt, etiam obstinatè pec-
Isai.48. cantibus, & nolentibus conuerti, cum sciant ex scriptu-
Eccle.12. ra, quòd non est pax impiis, & quòd altissimus odio ha-
Isaiæ.3. bet peccatores. Contra hos Isaias dicit: Popule meus qui beatum te dicunt, ipsi te decipiunt. Cæterùm quod Ioseph tam diuersas sententias profert, vnam ad mortem & alteram ad vitam, in figura Christi factum est, qui alios quidem saluat, alios autem damnat: proferet enim diuer-
Matt.25. sas sententias in futuro iudicio: Venite benedicti, &c. & Ite maledicti. Et sicut Ioseph inter duos vinctos, alteri vitam alteri mortem prædicit, sic Christus in cruce inter duos vinctos pendens, alteri paradysum promisit, alterum in peccatis obstinatum, imo & blasphemántem, damnauit. Allegoricè autem per duos illos vinctos tam dissimili fine, duo populi significantur: per pincernam qui prior nominatur gentilis populus, quòd prior Iudæis fuit, quo ad tempus (nam Iudæi primum inceperunt ab Abraham) significatur, per pistorem autem Iudaicus populus. Carcer est pœnalitas huius vitæ. In hoc carcere constitutus Christus propter satisfactionem pro nostris peccatis, prædixit Iudæorum excœcationem, &
Matt.8. gentium assumptionem. Multi, inquit, venient ab orien-
Matt.21 te, &c. filij autem regni eiicientur, &c. Et iterum, auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructum eius. Moraliter autem per hos duos vinctos, duo genera peccatorum significantur. Aliqui enim pœnitent & reuertuntur ad gratiam, hi significantur per pincer-
Ioan.15. nam, qui vidit tres propagines, id est, Christum qui est vitis vera, qui tres propagines habet, id est, tres naturas, diuinam scilicet & humanam, quæ constituitur ex corpore & anima. Vuarum expressio Christi passionem significat, ex qua pœnitens remissioné cõsequitur. Hæc remissio fit post tres dies, qui sunt contritio, confessio, satisfactio

tisfactio. Vel tres dies sunt tria signa per quæ cognosci potest an aliquis electus sit. Primum, si cum bonus sit, multa tamen patiatur. Secundum, si ex animo diligit bonum in omnibus, & de omnium bono gaudet. Tertium, si peccatum odit in se & in aliis. Per pistorem significantur peccatores obstinati, hi tribus canistris, id est, grauibus peccatis sunt pressi & onerati: peccatum enim talentum plumbi est. Isti damnantur post tres dies, qui sunt peccati perpetratio, assuefactio, & desperatio: iuxta illud: Impius cum in profundum peccatorum venerit contemnit. Vel tres dies tria signa sunt, per quæ aliquo modo damnandi cognoscuntur. Primum est nimia prosperitas in peccatis. Secundum, si ex corde & malitia odit bonum, & quæ Dei sunt, itemque bonos & iustos. Tertium, magna induratio, cum temerè & absque timore peccat. *Zach. 5.* *Prou. 18.*

Exinde dies tertius natalis Pharaonis erat, &c.

Herodes & Pharao natales suos celebrant, putabant enim se reges natos. Mundus gaudet in natiuitate suorum, Ecclesia autem in morte suorum. Impii natalē suum cum gaudio celebrant, pii autem diem natiuitatis deplorant. Cæterùm sicut Ioseph prædixerat, sic re ipsa duobus illis contigit, vt coniectoris, inquit, veritas probaretur. Sic enim cuncta præordinauerat Deus, somnianda, referenda, reseranda, agenda, differendaque. Ex hoc autem iudicio Pharaonis, discamus cautius loqui de diuinis iudiciis. Male nos habet quod Paulus ait: cuius vult miseretur, & quem vult indurat. Hic putamus Deum non iustè facere, quòd aliquos saluat, alios non, cum possit vtrosque, imo omnes saluare. Atque simile quiddam Pharao hic facit, habebat duos vinctos, vterque peccauerat, vterque in regem peccauerat, poterat vtrumque occidere, vel vtrumque liberare, non tamen hoc facit, sed in vno ostendit clemētiam suam, in alio iram. Et nullus hoc in rege reprehendit, imo nec reprehendere potest rationabiliter. Nam sicut clementia honor est principi, sic honor regis iudicium diligit. Et vbi totum punitur, regia seueritas crudelitate polluitur: Vbi vero totum remittitur, facies maiestatis sine metu disciplinæ contemnitur. *Iob. 3.* *Roma. 9.* *Psal. 98.*

 tur.

tur. Iam certum est quòd omnes homines peccauerunt, & in Deum peccauerunt. Cur igitur Deus, in quem reatus admissus est, non haberet potestatem saltem vt Pharao, vni donare, ab alio autem exigere pœnam? Imo cum homo qui per gratiam ad gloriam imaginis & similitudinis Dei factus erat, per vicium suum factus est lutum, cur figulus non haberet potestatem ex eodem luto facere aliud quidem vas in honorem, aliud in contumeliam? Si ex eodem auro vel argento fieret vas in contumeliam, videretur esse indignum quiddam, sed cum lutum in se ipso contumeliosum sit, nihil illi adimitur, si ex eo fit vas in contumeliam, multum autem illi confertur, si ex eo fiat vas in honorem. Homo autem non aurum aut argentum est sed lutum, ideo nihil habet conqueri, si fiat vas in contumeliam. Meritò autem gratias agit si fiat vas in honorem. Igitur hoc iudicium Pharaonis omne os obstruit eorum, qui contra Dei iudicia temerè loquuntur.

Roma. 9

Et non est recordatus princeps pincernarum, &c.

Sic solet rerum prosperitas obliuionem miserorum inducere. Sic plerique miseri pereunt, sic charitas refrigescit, dum beneficia exiguntur, sic miserorum nulla cura fit in Principum aulis. Sic ab aduersis liberati obliuiscimur prioris nostri status & miseriæ. Habemus igitur hic exemplum ingratitudinis, qua nihil detestabilius est. Maximè si in Deum fiat. Ordinatione autem Dei fit vt pincerna Iosephum fallat. Primò vt non speret, aut confidat in homine. Secundò vt interim exerceatur donec postea cum maiori gloria educeretur è carcere. Si enim ante somnium Pharaonis eductus fuisset, inglorius permansisset, nunc autem expectatur quo Pharaoni opus erat sapienti viro, vt tunc Ioseph omnibus notus fieret. Obserua etiam hic Dei iudicia, quòd malus eripitur, imo honoratur, & innocens relinquitur vinctus. Verùm & hunc sua gloria manet, & quo tardior eo maior.

Caput

Caput quadrageſimum primum.

POST duos annos vidit Pharao ſomnium. Putabat ſe ſtare ſuper fluuium, de quo aſcendebant ſeptem boues pulchræ & craſſæ nimis: & paſcebantur in locis paluſtribus. Aliæ quoque ſeptem emergebant de flumine, fœdæ, confectæq; macie: & paſcebantur in ipſa amnis ripa in locis virentibus, deuorauerúntque eas, quarum mira ſpecies & habitudo corporum erat. Expergefactus Pharao, rurſum dormiuit, & vidit alterum ſomnium. Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atque formoſæ: aliæ quoque totidem ſpicæ tenues, & percuſſæ vredine oriebantur, deuorantes omnem priorum pulchritudinem. Euigilans Pharao poſt quietem, & facto mane, pauore perterritus, miſit ad omnes coniectores Aegypti, cunctoſq; ſapientes: et accerſitis narrauit ſomnium, nec erat qui interpretaretur. Tunc demum reminiſcens pincernarum magiſter, ait: Confiteor peccatum meum: Iratus rex ſeruis ſuis, me & magiſtrum piſtorum retrudi iuſſit in carcerem principis militum: vbi vna nocte vterque vidimus ſomnium, præſagium futurorum. Erat ibi puer Hebræus, eiuſdem ducis militum famulus: cui narrantes ſomnia, audiuimus quicquid poſtea rei probauit euentus, ego enim redditus ſum officio meo: & ille ſuſpenſus eſt in cruce. Protinus ad regis imperium eductum de carcere Ioſeph totonderunt: ac veſte mutata obtulerunt ei. Cui ille ait: Vidi ſomnia, nec eſt qui ediſſerat, quæ audiui te ſapientiſſime conijcere. Reſpondit Ioſeph: Abſque me Deus reſpondebit proſpera Pharaoni. Narrauit ergo Pharao quod viderat: Putabam me ſtare ſuper ripam fluminis, & ſeptem boues de amne conſcendere, pulchras nimis, & obeſis carnibus: quæ in paſtu paludis vireta carpebant. & ecce, has ſequebantur aliæ ſeptem boues, in tantum deformes et macilentæ, vt nunquam tales in Terra Aegypti viderim, quæ deuoratis & cōſumptis prioribus nullum ſaturitatis dedêre veſtigium. ſed ſimili macie & ſqualore torpebant. Euigilans, rurſus ſopore depreſſus, vidi ſomnium: Septem ſpicæ pullulabant in culmo vno plenæ atq; pulcherrimæ. aliæ quoque ſeptem tenues & percuſſæ vredine, oriebantur è ſtipula: quæ priorum pulchritudinem deuorauerunt. Narraui conjectoribus ſomniū, & nemo eſt qui ediſſerat. Reſpōdit Ioſeph, Somnium regis vnum eſt: quæ facturus eſt Deus, oſtendit Pharaoni. Septem boues pulchræ, & ſeptem ſpicæ plenæ, ſeptem vbertatis anni ſunt, eandemque vim ſomnij comprehēdunt. Septem

quoque boues tenues atque macilentæ, quæ ascenderunt post eas, & septem spicæ tenues, & vento vrente percussæ: septem anni venturæ sunt famis. Qui hoc ordine complebuntur. Ecce, septẽ anni venient fertilitatis magnæ in vniuersa terra Aegypti: quos sequentur septem anni alii tantæ sterilitatis, vt obliuioni tradatur cuncta retro abundantia: consumptura est enim fames omnẽ terram, & hubertatis magnitudinem perditura est inopiæ magnitudo. Quod autem vidisti secundo ad eandem rem pertinens somnium, firmitatis indicium est: eo quòd fiat sermo Dei, & velocius impleatur. Nunc ergo prouideat rex virum sapientem & industrium, & præficiat eum Terræ Aegypti. Qui constituat præpositos per cunctas regiones: & quintam partem fructuum per septem annos fertilitatis, qui iam nunc futuri sunt, congreget in horrea: & omne frumentum sub Pharaonis potestate condatur, seruetur que in vrbibus. Et præparetur futuræ septem annorũ fami quæ oppressura est Aegyptum, & non consumetur terra inopia. Placuit Pharaoni consilium & cunctis ministris eius: locutusque est ad eos: Num inuenire poterimus talem virum qui spiritu Dei plenus sit? Dixit ergo ad Ioseph: Quia ostendit tibi Deus omnia quæ locutus es, nunquid sapientiorem & consimilem tui inuenire potero? Tu eris super domum meam, & ad tui oris imperium cunctus populus obediet: vno tantum regni solio te præcedam. Dixitque rursum Pharao ad Ioseph: Ecce, constitui te super vniuersam Terram Aegypti. Tulitque annulum de manu sua, & dedit eum in manu eius: vestiuitque eum stola byssina, & collo torquem auream circumposuit. Fecitque eum ascendere super currum suum secundum, clamante præcone, vt omnes coram eo genu flecterent, & præpositum esse scirent vniuersæ terræ Aegypti. Dixit quoque rex Aegypti ad Ioseph: Ego sum Pharao: absque tuo imperio non mouebit quisquam manum aut pedem in omni terra Aegypti. Vertitque nomen eius, & vocauit eum lingua Aegyptiaca, Saluatorem mundi. Deditque illi vxorem Aseneth filiam Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Egressus est itaque Ioseph ad terram Aegypti (triginta autem annorum erat quando stetit in conspectu regis Pharaonis.) & circuiuit omnes regiones Aegypti. Venitque fertilitas septem annorum: & in manipulos redactæ segetes congregatæ sunt in horrea Aegypti. Omnis etiam frugum abundantia in singulis vrbibus condita est. Tantaq; fuit adundãtia tritici, vt arenæ matris coæquaretur,

& copia

& copia mensuram excederet. Natique sunt Ioseph filii duo antequam veniret fames: quos peperit ei Asenet filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos. Vocauitque nomen primogeniti, Manasses, dicens: Obliuisci me fecit Deus omnium laborum meorum, & domus patris mei. Nomen quoque secundi appellauit Ephraim, dicens: Crescere me fecit Deus in terra paupertatis meæ. Igitur transactis septem hubertatis annis, qui fuerant in AEgypto, cœperunt venire septem anni inopiæ quos prædixerat Ioseph: & in vniuerso orbe fames præualuit, in cuncta autem Terra AEgypti panis erat. Qua esuriente clamauit populus ad Pharaonem alimenta petens. Quibus ille respondit, Ite ad Ioseph: & quicquid ipse vobis dixerit, facite. Crescebat autem quotidie fames in omni terra: aperuitque Ioseph vniuersa horrea, & vendebat AEgyptiis: nam & illos oppresserat fames. Omnesque prouinciæ veniebant in AEgyptum, vt emerent escas, & malum inopiæ temperarent.

IN hoc tandem capite incipit Ioseph post multas & magnas tribulationes melius habere. Hic omnia quæ hactenus passus est in contrarium vertuntur, vinctus erat, liberatur: Humiliatus erat, & exaltatur: infamatus erat, gloriosus efficitur: aliorum auxilium implorauerat, nunc aliis præficitur. Sic solet Deus post tempestatem serenum reducere, & post lachrymas gaudium, &c. Videbimus item quàm mirabiliter Deus omnia disponit in salutem ipsius Ioseph, ipso nihil tale cogitante. Somniũ Deus immittit regi, territus rex sapientes conuocat, insufficientia eorum pincernam admonet interpretis sui, admonitus regi insinuat, audiens rex Iosephum liberat. In hunc finem omnia tendebant, Deo sic disponente. Nemo credidisset per hoc somnium regis Iosephũ liberandum, sed Deus mirabiliter adest suis: & hinc vel maximè illos consolatur, vnde minimè tale quid sperassent. *Thob. 3.*

Post duos annos vidit Pharao, &c.

Singula verba speciale quiddam nobis innuunt. Ex primo verbo videmus quãdiu Ioseph miserias carceris expertus sit. Iacebat relictus ab omnibus, Oblitus eius fuerat pincerna, in quo aliquid spei posuerat, denique videri poterat, quod etiam Deus eius oblitus esset. Verũ

quantumcunq; taceat Deus, diuque differat auxilium plus tamen eum curat, quàm totum regnum AEgypti, si
Esai.49. potest inquit mulier obliuisci infantis sui, & ego tui obliuiscar, &c. Cœterum diuturna hęc incarceratio insigniter arguit ingratitudinem pincernæ, quod totis duobus annis ne semel quidem miseri illius recordatur, eiecerat ex animo carcerē in quo fuerat, nihilque minus cogitabat, quā Iosephū sibi propediē præponendū. Sic prosperitas sæculi excæcat, vt nec præterita nec futura cogitemus. Hinc Moses toties monet Israelitas vt meminerint se seruos fuisse, ac per hoc discerent etiam aliis compati.
Deut.32. Vide Deut.15. & 24. Hic & alibi dicit: Vtinam saperent & intelligerent ac nouissima prouiderent. Fallente igitur humano præsidio, adest iusto diuinū. Scit Deus quādiu sanctos probare debeat, vt tentatio nō ad exitū, sed ad bonum illorum cedat. Non patitur suos tentari supra
1.Cor.10. id quod possunt. Magna daturus ipsi Iosepho magnis prius eum obijcit certaminibus, ad magna prēmia perue-
2.Thim.2 niri non potest, nisi per magnos labores. Non coronabitur, nisi qui legitimè certauerit. Obserua hic quòd nomen Pharaonis cōmune fuit omnibus regibus Aegypti, maximè ante Alexandrum magnum, quemadmodum nomen Cæsaris cōmune est omnibus Romanis imperatoribus. Sic tempore Abrahæ, Ioseph, Mosi, Salomonis, Iosiæ, Ezechielis, &c. reges AEgypti semper Pharaones dictos legimus, non tamen sine causa, est enim verè nomen regale. Nam Pharao vindicem significat, hoc autem potissimum regis officium est: vt vindicet, hoc est malos puniat, iustos defendat. Pharaones igitur dici voluerunt, vt vel ipso nomine officij sui admonerentur.
Matt.10. Ob eandem causam & Christus discipulos apostolos co-
Ioan.2. gnominauit, & Petrum pastorem, vt per huiusmodi nomina admonerentur officij sui. Vtinam & nunc episcopi, papæ, pastores, &c. saltem nomen suum attenderent. Indecorum videbatur apud gentes, magnificos titulos habere, & nihil eorum præstare quæ requirebant huiusmodi tituli, quanto magis indecorum est apud Christianos. Cæterùm Pharao ille somnium videt, quòd casu factum videri posset, verùm infra dicet Ioseph regi,

Deus

Deus ostendit regi quæ facturus esset. Vbi videmus quòd etiam gentes non omnino abiecit Deus. Putabant Iudæi apud se solos Deum esse, verùm hic etiam regi Deus sua secreta reuelat. Speciali quidem modo elegit semen Abrahæ: sed tamen propter hoc non omnes gentiles abiecit. Sic cum Iob, qui non ex Israel erat, magna egit Deus, sic ad Abimelech Palæstinorum regem dixit, Ego custodiui te ne peccares in me. Sic in Romanis videmus ipsissimam potentiam & præsentiam Dei, adeo vt ipsimet quantumuis gloriosi, non tamen auderent tantas victorias sibi ipsis attribuere. Nec tam cęci fuerunt gentes vt Deum omnino non cognouerint. Quàm insigniter & Deo loquuntur tres illi amici Iob, & maximè Heliu. Sic Putiphar cognouit Deum esse cum Ioseph. Sic infra Pharao fatetur sapientiam à Deo esse. Quia inquit Deus dedit tibi sapientiam, &c. Videtur igitur rex hic bonus fuisse, vnde & Deus benè ei consultum voluit per Ioseph. *Iob.* *Sup. c. 20.* *Iob.* *Sup. c. 39.*

Et facto mane pauore perterritus vocauit, &c.

Timebat fortasse ne malũ aliquid per huiusmodi somnia sibi aut regno suo portenderetur, nec poterat contemnere geminata somnia. Imo ideo Deus geminum ei somnium immisit, vt eo minus contemneret. Quòd autem sapientes conuocat, indiciũ est, quòd sapientes alebat, & ad manum habebat, vt cum magnum aliquid incideret, ipsorum consilio vteretur. Salus enim vbi multa consilia. Sic Nabuchodonosor nobiles pueros etiam à pueritia regio sumptu ad sapientiam instrui curauit, vt adulti coram rege stare possent. Hæc agebant gẽtiles. Et apud nos nihil vilius est quã sapientes & docti, ac quosuis potius alimus quã huiusmodi. Hinc est quod omnes diuitiis tantũ cumulandis student, pauci sciẽtiæ: hæc enim cõtempta est, diuitiæ autẽ in precio magno. Hinc regna & principatus nudantur probis & doctis hominibus: cõmittũtur aũt temerariis & stultis, interdũ & pueris, quod certũ est indicium futuræ desolationis. Sic enim comminatur Deus per Isaiam. Nec ad manum tantum habet rex hic sapientes, sed eos conuocat & interrogat. Sunt qui sapientes quidem habent consiliarios, sed eis non *Prou. 11.* *Esa. 3.*

vtun-

3.Reg.12. vtuntur, nec acquiescunt, velut Roboam qui contempto consilio seniorum, iuuenum secutus est consilia, magno suo malo. Quod autem etiam coniectores habet rex hic, eosque primum consulit, fermentum diaboli est, qui huiusmodi vanis & superstitiosis artibus olim homines decipiebat, iustè Deo permittente: vt in reprobum sensum Rom. 1. dati mendacio crederent, qui cum Deum verum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt.

Et non erat qui interpretaretur ea regi.

Hic videmus quam nihil possit sapientia in rebus diuinis. Tot sapientes conueniunt, nec quisquam eorum Dei voluntatem intelligit. Apud vnum Ioseph plus inuenit rex sapientiæ, quàm apud omnes sapientes AEgypti. Solum pij voluntatem Dei intelligunt, idque statim, eos enim docet Deus, quia humiles & puri sunt, iuxta illud: Esa. 66. Super quem requiescet spiritus meus, nisi super humilem &c. Ad bonam igitur gubernationem regnorum, non satis est habere sapientes seculi, nisi etiam assint qui in rebus diuinis sapientes sint. Bonus princeps neutros negligit. Cæterùm sicut somnia Pharaonis nemo exponere potest nisi Ioseph, sic solus Christus consilium Dei patris Apoca. 5. in scriptura contectum aperire potuit. Vnde in Apocalypsi: Nemo poterat aperire librum, nec in cælo, nec in terra, &c.

Confiteor peccatum meum, &c.

Non recordamur pauperum, nisi cum eorum opera indigemus. Sic pincerna hic nunc tandem Iosephi recordatur, cum eius ope rex indiget. Laudandũ tamen quod dicit se peccasse. Quot nunc sunt qui nullum peccatum esse censent pauperum obliuisci, ingratum esse, nedum in homines, sed & in Deum. Is autem sola natura dictante, agnouit peccatum esse obliuisci pauperum, beneficiis nõ gratias referre vbi licet, &c. Nos autem legem & Euangelium habemus, quorum vtrumque monet, vt grati simus, maximè Deo, vtque proximorum non obliuiscamur. Hinc Christus, qua mensura mensi fueritis, remetietur Luc. 6. vobis. Et iterum, sic faciet vobis pater meus, &c. Et Matt. 18. Moses, vide ne indures cor tuum in necessitate fra-Deut. 15. tris tui.

Protinus

Protinus ad imperium regis eductus.

Fortuna cum longissimè videtur esse, tunc vel maximè & subito piis adest, nihil minus cogitarat Ioseph, quàm eo die se liberandum. Econtra perditio impiis imminet, cum videtur longissime abesse. Cum inquit dixerint pax & securitas, tunc repentinus eis superueniet interitus. Vide autem miram rerum mutationem: qui cum ignominia proiectus fuerat in carcerem, cum gloria educitur: & quem paulò ante omnes reliquerant & contempserant, huic nunc certatim seruire gestiebant etiam aulici. Sic Christus cum ignominia mortuus, cum gloria resurrexit. Et qui eum in passione reliquerant, post resurrectionem ei adhærent, imo qui eum persecuti fuerant, postmodum gloriam eius prædicauerunt & auxerunt: vt Centurio ille, & Paulus, & alii. Idem continget piis, quãdiu in hoc carcere sunt, multa pati coguntur, ab impiis contempti sunt. Cum autem tempus eorum venerit cum gloria educentur, etiam ipsis impiis mirantibus, subitam eorum exaltationem, seipsosq; accusantibus, quod in carne positos sic contempserint. Tunc stabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt. Hic etiam videbis quòd perseuerantibus in cruce domini maiora dat Deus, quàm ipsi vnquam sperare ausi fuissent. Ioseph tantum cupiebat liberari è carcere iterumq; seruire. Nunquam ausus fuisset sperare regis familiaritatem: multo minus eius amicitiam. Et ecce in ipso statim exordio liberationis ad regem vocatur, non vt captiuus cui timendum esset, sed vt is cuius consilio vti rex cupiebat. Meritò igitur dicit Paulus: Nolite abijcere confidentiam vestram, quæ magnam habet remunerationem. Obseruandum hic quòd gloria mundana fugientem spontè sequitur, sequentem autem fugit. Non quæsierat Ioseph gloriam, & gloria tamen spontè eum sequitur. Cum interim multi alij gloriã quærerent, quam tamen assequi nunquam potuerunt.

1.Thess. 5

Mat. 27.

Sap. 5.

Heb. 10.

Absque me Deus respondebit prospera, &c.

Verbum est pii cordis quo ante omnia Deo gloriam tribuit, se nihil esse ostendit, quasi dicat, nihil mihi in hac re tribuendum. Non mearũ virium est hac interpretari,

sed

ſed diuinæ gratiæ. Dei bonitatis eſt qua fertur ad regem, vt illa ſomnia exponere poſsim, qui tantopere regem amat, regnoq; illius proſpicit, vt quæ ſcitu neceſſaria ſunt reuelare dignetur. Hoc igitur primo verbo gentili regi Dei gloriam & prouidentiam prædicat, iuxtaque hominum inſufficientiam. Docetque omnia bona Deo aſcribere, magna de ipſo ſentire, de nobis autem nihil. Neceſſaria concio magnatibus, quibus vtinã omnibus hoc perſuaſum eſſet.

Quæ facturus eſt Deus oſtendit, &c.

Etiam hoc ſecundo verbo Dei mẽtionem facit coram rege, ac planè diuinam bonitatẽ commẽdat, idq; ſingulis verbis. Primò Deus inquit eſt qui hæc agit, ipſius proui-
Rom. 11. dentia hæc & alia omnia fiunt. Ex ipſo & in ipſo & per ipſum ſunt omnia. Deinde Deus oſtendit Pharaoni; aliud indicium diuinæ bonitatis, quòd etiam malis benefacit.
Sap. 11. Miſeretur enim omnium & nihil odit eorum quæ fecit. Eſt & hoc diuinæ bonitatis indicium, quòd regi hæc reuelat, qui conſulere poſsit, non blobeio alicui, cui fortè nemo crediḋiſſet, nec omnibus conſulere potuiſſet. Præterea oſtendit, inquit, quæ facturus eſt. Magna Dei bonitas, quæ futura mala prædicit, vt præcauere poſsimus ſi velimus. Miſſurus erat famem in AEgyptum: eam nunc diu ante prædicit, imo ſeptem fertiles annos præmittit. Denique & conſilium dat per Ioſeph, quomodo futuræ famis malum temperare poſsint. Verè magna Dei clementia, vbi videmus quam non delectetur in perditione hominum. Sic etiam nobis prædixit futura mala, ſed iuxta hoc præmiſit & prę̨mittit annos fertiles, id eſt tẽpus gratiæ, quo multa bona cõgerere poſſemus. Denique & per ſeruos ſuos nunquam ceſſat oſtendere viam qua futura mala effugiamus. Sic igitur Ioſeph hoc verbo regem ad amorem Dei accendere ſtudet: verè pium conſilium.

Septem boues ſeptem anni ſunt, &c.

Quia fertilitas interdum contingit, vel impeditur ex bona cultura terræ, vel defectu culturæ, ideo conuenienter per boues craſſos & macros, quorum labore terra colitur, deſignantur ſeptem anni & fertilitatis, & ſterilitatis, inquantum fertilitas & ſterilitas proueniunt ex bona

bona vel mala cultura terræ. Inquantum autem fertilitas & sterilitas proueniūt ex bona vel mala collectione messium: conuenienter septem anni fertilitatis & septem sterilitatis designantur, per spicas plenas & tenues, &c. Ideo autē de primis illis bobus dicitur. Primò quod in se pingues fuerint, quo significatum fuit fertilitas illorum annorum. Secundò quod ex fluuio descenderunt, quo significabatur quòd Nilus conuenienti tempore exundaturus esset, terrā q; fructificaturus. Nam AEgyptū non pluuiæ de cælo, sed exundatio Nili rigat & impinguat. Tertiò quòd pascebātur in locis palustribus, quo significabatur futurā omnium rerum copiam: sicut in locis palustribus nunquam desunt pascua, &c. De sequētibus autem bobus multa dicuntur. Primò quod deformes & macilentæ fuerunt, quo significatū fuit deformitas famis. Secūdò quòd in AEgypto non visi sunt tam deformes, erat signū quòd nunquam tanta fames fuerat in AEgypto quanta modo imminebat. Fuit enim AEgyptus terra fertilis, quæ sæpe, aliis regionibus famem patientibus, copiam habuit. Hinc Abraham cum fames esset in terra Chanaan, in AEgyptū descendit. Tertiò quòd etiā hoc ex flumine descendunt, signum fuit, qnòd sterilitas partim prouētura erat ex modica & nulla exundatione Nili. Quartò quòd deuorant pingues illas boues, signum fuit quòd quicquid repositū erat in annis fertilibus consumptura esset fames, nec sic tamen exterminaretur. Omnia hæc Deus reuelare voluit propter causam superius dictam. *Gene. 12.*

ALLEGORICE.

Sicut Ioseph insignem prædixit fertilitatem insignéq; famem, sed fertilitatem primo loco, Sic Christus prædicauit tempus gratiæ cum dixit: Pœnitentiam agite, appropinquat enim regnū cęlorum. Hoc est tempus magnæ fertilitatis, in quo acquirere possimus quicquid ad salutem necessarium est. Post hoc prædixit tempus iudicij, quod erit tempus magnæ famis. Maximè hiis qui tempore gratiæ sibi non prouiderunt. Post iudiciū enim nec arari poterit, nec meti. Item sicut rex septem quidem pingues boues vidit, quos tamen comederunt septem illi macilenti boues. Sic mundus septemplicem misericordiam per Chri-
Matth. 4. *Matt. 24.*

Christum accepit. Primò quòd peccatum hominum remisit. Secūdò, quòd per hominē satisfecit. Tertio, quòd hominem Deo reconciliauit. Quarto, quòd cum hoste nostro conflixit, eumque superauit & prostrauit. Quinto quòd vinctos liberauit. Sexto, quòd iter ad cælum aperuit. Septimo, quòd spiritum sanctum adiutorem dedit. Hi sunt septem illi pingues boues, quos vidimus Christo in carnem veniente. Eos autem comedunt septem illi deformes boues, id est, septem peccata mortalia, quæ priuant nos fructu incarnationis & passionis Christi. Demū sicut rex iuxta boues crassos vidit etiam & spicas plenas, quas tamen deuorarunt septem tenues illæ specæ, Sic præter septem illa bona per Christi aduentum toti mundo generaliter collata, sunt alia septem bona particularia quæ singulis nobis contingunt. Primum quòd Deus ad pœnitentiam nos suscipit. Secundum, quòd gratiam crescendi confert. Tertium, quòd deperdita bona restituit. Quartum, quòd sua merita nobis communicat. Quintum, quòd participes nos facit bonorum totius Ecclesiæ. Sextum, quòd si quid commeruimus hic punit & purgat, vt illic parcat. Septimum, quòd spem dat vitæ æternæ. Hæ sunt septem spicæ admodum plenæ in vno culmo, quia omnia ex passione Christi eiusque meritis profluxerunt. Iuxta has autem spicas tam plenas septem aliæ pullulant, quæ priores deuorant. Hæ sunt septem cogitationes malæ. Primo, cum cogitamus peccata non tam grauia esse, Secundo, Deum misericordem, Tertio, alios etiam & plus peccasse, Quarto, nullum debere desperare quantumuis impœnitentem, Quinto, cum cogitamus si Deus vult, me saluabit: si non, frustra laboro, Sexto, cum dicimus: Si potui peccare, possum & pœnitere, Septimo, cum dicimus, adhuc iuuenis sum, tēpus satis habeo, &c. Hæ cogitationes nos in corde nostro pullulantes, deuorant & impediunt quicquid boni habere & consequi possemus.

Nunc ergo prouideat rex virum, &c.

Non solum mysteria reuelat, sed etiam consilium dat, vt videamus eum habuisse & sapientiam in diuinis, & prudentiam in humanis. Admonet autem regem, ne quod

alij

alii solent, etiam ipse audiret quidem futura mala, sed non præcaueret. Nec præsumptionis est, quòd consiliũ regi dat. Sapientia enim commune bonum habet, quam qui habet, pro bono publico ea vti debet, alioqui peccat. Deinde in necessitate quilibet consulere debet si quid boni habet, maximè si viderit alios nõ posse cõsulere. Non tamen seipsum promouet Ioseph, nec vult vt qualemcunq; pręficiat, sed cũ delectu, vt sapientẽ. Non enim omnibus cõmittenda sunt publica officia, hoc idẽ cõsulit & Iethro socer Mosi. Deniq; etiã mediũ quoddã indicat Ioseph, quo futurę fami cõsulatur: Quintã inquit partẽ colligant. Nam quatuor partes sufficiebãt tẽpore fertilitatis. Non oportet omnia simul & superfluè cõsumere vbi abundat, sed reseruanda in futurũ. Ideo enim Deus dat fertilitatem. Vtinam hoc cõsiliũ ipsius Ioseph imitarentur principes, ne alios cõstituerent publicis officiis, quã idoneos, & maximè in spiritualibus. Vtinã populus imitaretur hoc consiliũ, tẽperatè bonis Dei vtẽdo, ne postea egére cogerentur. Vtinã haberet Ecclesia ministros diligentes in colligẽdo, & fideles in dispensando diuino verbo. Deniq; vtinã oẽs exẽplo Ioseph saperem' & nouissima prouideremus. Si tãtopere Ioseph pręcauet fami corporis, quanto magis præcauenda fames animæ. *Exo. 18.* *Deut. 32.*

Placuit Pharaoni consilium, &c.

Non solum habuit Ioseph sapientiam in diuinis rebus, & prudentiam in humanis, sed etiam hanc gratiam habuit vt posset persuadere, hoc autem admodum rarum donum est Dei. Commendatur autem rex ex eo quòd tam facilè obedit bona consulenti, quantumuis humilis esset Ioseph, cum alioqui apud mundanos sapientia pauperis soleat contẽni. Magna igitur gratia est sana habere consilia, sed maior est gratia sanis consiliis acquiescere. Plerumque enim Deus per vnius hominis sententiã totam regionem seruat: vt Salomon ait in loco iam citato. Econtra certissima ira Dei est, vbi sanis cõsiliis non acquiescitur. Ideo de filiis Heli dicitur: Non audierũt patrẽ suum, quia voluit dominus occidere eos. Et de Roboam dicitur: Non acquieuit consilio seniorũ, quia volũtas domini erat vt pars regni ab eo auferretur. Sic nec *Eccle. 9.* *Ibidem.* *1. Reg. 2.* *3 Reg. 12* *3. Reg. 22*

Achab acquieuit consilio Micheæ, quia tempus aderat quo pro malefactis suis puniri debebat. Meritò igitur & nobis timendum quòd nullis sanis consiliis acquiescimus: nec in tẽporalibus, nec in spiritualibus, cũ vtraq; habere possemus. Ad commendationem etiam ipsius Ioseph pertinet, imo gratiæ Dei est, quòd nedũ Pharaoni, sed etiam cunctis seruis suis placuit consilium eius, cum aliàs nusquã fortius regnet inuidia quàm inter aulicos. Hic autem omnes mirantur, acquiescunt, nemo impugnat, patiũtur etiam ignotum & pauperem sibi præferri. Si nunc aulicis præferretur pauper quisquiam & ignotus, omnes eum odirent, imo & principem eius causa. Sic Achitophel indignè ferebat quòd consilium Chusi præ
2. Reg. 17 ferretur suo consilio, adeo vt seipsum suspenderet.

Num inuenire poterimus talem virum, &c.

Verum, difficilè inueniuntur tales, qui scilicet & sapientiam & prudentiam habeant, hoc est, qui simul in diuinis rebus sapientes sunt & humanis. Raro in vnũ hominem conueniunt hæc duo dona, id quod experientia docet. Agnoscit tamen etiam gentilis rex ab illis tantum rectè administrari rempublicam, in quibus cum prudentia humana, cognitio rerum diuinarum & timor Dei coniuncta essent. Sic & gentilis alius dicit, Tunc rectè administrari respublicas, si aut imperent philosophi, aut philosophentur imperatores. Ideo etiam Moses monet vt
Deut. 1. iudices eligantur sapientes & timentes Deum. Arguitur hic nostra ignorantia, qui nonnunquam solo fauore aut muneribus adducti, eos præficimus sine delectu, quos insufficientes scimus.

Quia ostendit tibi Deus hæc omnia, &c.

Aliud verbum sapientis regis, imo egregium factum, quòd virtutes & Dei dona honorat, etiam in paupere & ignoto. Vbi iterum arguitur stultitia nostra, qui solas diuitias honoramus, in pauperibus nihil nos mouent dona Dei. Iam igitur vel tandem virtus inuenit honorem suum etiam apud homines, virtuti enim debetur honos, virtutemque sequitur honos, vel in hac vita, vel post hanc vitam, Sic sancti honorem quem propter virtutes

tutes suas merebantur, in vita non acceperunt, post mortem inuenerunt.

Tu eris super domum meam, &c.

Non vnus honor iusto contigit, sed multiplex, quia etiam multa passus erat. Primo constituitur super domũ regis. Cui enim securius committere potuit domum suam, quàm ei qui spiritu Dei plenus erat. Deinde constituitur super totam AEgyptum: Ad verbũ inquit oris tui omnis populus obediet. Præterea non tantum in principem, sed in doctorem præficitur, sic enim ait Psalmista: Constituit eum dominum domus suæ, & principem, &c. vt erudiret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudentiam doceret. *Psal. 104* Atque hoc maximè spectabat Deus: vt per Iosephum etiam Deum cognoscere discerent AEgyptii. Insuper etiam externè insignia honoris in eum transtulit: Annulum, stolam, torquem, & vt veheretur secundo curru, præcone clamante, vt omnes ei genu flecterent. Nec solum hos honores ei contulit ad tempus, sed confirmauit etiam in posteris, vnde repetit: Ego sum Pharao, absque te nemo mouebit manum, id est, nemo quicquam attentabit. Ad hæc etiam magnificum ei nomen dat. vt & gratum se ostenderet, & Iosephũ populo per hoc commendaret. Interpretatur autem Zaphnath paena, secretorum cognitor & detector. Iuxta Hebraicam linguam, AEgyptiacè autem significat saluatorem mundi. Postremo vxorem ei dat, tum vt vel sic eum in AEgypto retineat, tum vt tam sanctum semen in AEgypto multiplicaretur, quo & posteris consuleretur. Iam confer omnes honores cum his quę prius passus fuit Ioseph, & videbis nihil eum passum esse quod non insigniter ipsi remuneratum sit. Pro odio fratrum acquisiuit gratiam regis & principum eius: pro exilio exaltationem: pro labore manuum in seruicio, annulum: pro pallio quod adultera illi detraxerat, stolam bissinam: pro compedibus, torquem auream: pro eo quòd vinctis ministrauit, nunc regi ministrat: pro carceris humilitate, super regium sedet currum: Pro eo quòd contemptus erat, nunc ab omnibus honoratur genuflectione: Pro nomine seruili accipit nomen regium & magnificum: pro

contempta voluptate, accipit vxorem nobilem & magnȗ generis, &c. Sic Deus nihil irremuneratū permittit, tantum apud ipsum pondus habet humiliter & patienter ferre correptionē eius. Quòd si etiam hic sic remuneret labores suorum, quanto magis in futuro. Oculus non vi-
Esa. 64. dit nec auris audiuit, &c. quæ præparauit Deus diligentibus se. Cōstātes igitur simus in malis: Nō tantū eripiet nos De⁹, sed insuper regnare secū faciet. Eodē modo & Christus à Deo patre exaltatus est, primò in ipsius prædicatione, maximè autē in resurrectione & ascēsione. Exaltauit eū pater cum dixit: Hic est filius meus dilectus, &c.
Matt. 3. Stola bissima est innocentia eius. Annulū dedit: quia ipsum signauit pater: Torquē aureā connexionē virtutum:
Iohan. 13 posuit super currū, dedit ei omnia in manus. Antecessit præco Iohannes Baptista: præposuit eum toti AEgypto, dedit ei omne iudiciū: dedit ei insuper nomē super omne
Mich. 3. nomen, &c. Deniq; ipsi desponsauit Ecclesiā. Qui enim
Philip. 2. habet sponsam sponsus est. Positus est Christus primò su-
Iohan. 3. per domum Dei, id est, Ecclesiam quā Deus speciali modo curat. Positus est super totum mundum, iuxta illud:
Psal. 2. Postula à me & dabo tibi gentes, &c. Et quamuis nondum omnes eum præpositum à Deo sciāt, id est, cognoscant, tamen velint nolint subiiciendi ei sunt in scabel-
Psal. 109 lum pedum, &c.

Egressus est ergo Ioseph, &c.

Hactenus audiuimus quomodo exaltatus fuit, nunc paucis ostendit Moses quomodo in regimine se gessit, Primò erga AEgyptios, secundò erga fratres, vtinā autē hoc exemplū Iosephi omnes principes imitarētur. Primò quātumuis eleuatus sit, seruat tamē pristinā modestiā: nō superbit: nō insultat aduersariis: nō vindictam parat: non gloriatur coram amicis, imo nec patri, nec fratribus quicquam scribit de gloria sua, ne quam suspicionem superbiæ ostendat, sed quia AEgyptiis in seruū venūdatus fuit, pergit seruire etiam nunc in regimine cōstitutus, sicut supra seruierat in domo & in carcere. Agnoscit se AEgyptiorum proprium esse, ideo eorum ministeriis se addicit. Alioqui solent qui ex seruitute exaltātur magis superbire, iuxta illud: Tria sunt quæ cōmouent terram,

Seruus cũ regnare incipit,&c. Verũ hic contrariũ videmus. Deinde Ioseph accepta poteſtate nõ differt, nõ reiicit onus & laborẽ in alios, vt ipſe ocio & luxui vacare poſsit, quẽadmodũ alii ſolẽt, ſed ſtatim egreditur videre terrã, eamq; totã perambulat, vt videat vbi defectus ſit, ne quis etiã ex infimis negligatur. Propitiũ Deum tunc habuit AEgyptus, quę meruit talẽ principẽ habere. Non enim melius populo prouideri poteſt, quam ſi bonũ ſortiatur principem. Econtra certiſsima ira Dei eſt, ſi malũ principem dat. Hinc in Oſee: Dabo eis regem in furore meo. Et in Eſaia, dabo pueros principes eorum, &c. Prou. 3. Oſee. 13. Eſa. 3.

Triginta annorum erat Ioſeph, &c.

Hoc ponit Moſes vt videamus quanto tempore ſub cruce fuerit, videlicet à ſexto decimo vſq; ad triceſimũ annum, hoc eſt, quatuordecim annos, quod quamuis videatur magnum tempus, multo tamen maius fuit tempus proſperitatis ipſius. Nam à triceſimo anno vſque ad centeſimum decimũ annum, id eſt, octaginta annis proſperè vixit. Sic quantumcunq; diu ſub cruce laboramus, tamen breue tempus eſt, ſi ad gloriam conferatur. Quæ enim videntur temporalia ſunt: quæ nõ videntur ęterna. Deinde etiam ideo ætatem ipſius Ioſeph deſcribit, vt magis miremur quòd in iuuentute tanta præſtitit, & ante triceſimum annum adeo virtute & ſapientia conſpicuus fuit, vt non inueniretur ei ſimilis in tota AEgypto. Arguitur igitur hic leuitas noſtra, quæ iuuentutis tempus tam malè prodigimus, vt etiam triceſimum attingentes annum vix dum ſapere incipiamus. Gen. 50. 2. Cor. 4.

Venitque fertilitas ſeptem annorum, &c.

Verum euentus declarat iuſto datam ſapiẽtiam, & rem illam non caſu, ſed Dei prouidentia geri. Multis autem verbis Moſes fertilitatem hanc deſcribit, vt oſtendat non conſuetam fuiſſe, ſed nouam, mirabilem, & inauditam (nam alioqui AEgyptus regio fertilis eſt). Ideo dicit, tanta erat copia tritici, vt arenæ maris coæquaretur, & copia menſuram excederet. In hoc fertilitatis tempore non dormit Ioſeph, non delitiatur, nec patitur vt ſuperflua inutiliter prodigantur, ſed quintam partem colligit, non in priuatum commodum ſuum, vt ſolent

auari,sed in publico horreo, sicque vnus pro omnibus curat. Vtinam exemplum hoc imitarentur nedum in externis, sed etiam in spiritualibus, &c. Eodem modo Christus à patre exaltatus, cum triginta esset annorum egressus est primò in Iudæam,deinde inter gẽtes quoq; per Apostolos, quorum sonus in omnèm terram exiuit. Hunc egressum Christi secuta est ingens fertilitas, tanta enim copia donorum Dei tunc effusa est, vt quantumcunque prædecessores nostri inde vixerint,tamen etiam nobis satis supersit ad consolationem animarum. Quòd autem etiam Christus gentibus venditus & traditus fuit, manet adhuc inter eos.

Natique sunt ei duo filii, &c.

Iusto vndiq; bona affluũt à Deo & hominibus,honorauerat eum rex, nunc honorat eum Deus. De vtroque autem filio gratias agit,in natiuitate Manasse gratias agit de ereptione à malis:in natiuitate Ephraim, gratias agit de consecutione bonorum. Imo per se tantum & semel gratias agit, sed nomina filiis imponit in hunc finem, vt tam ipse quàm filii,imo & posteri omnes hinc ad gratiarum actionem excitarentur, cogitantes quomodo Deus Iosephum à tot malis liberauerit, & tot bonis auxerit. Non sic autem oblitus est domus patris, vt patrem ex animo eiiceret. Infra enim audiemus, quod de patris salute sollicitus fuit,sed vidit quòd Dei voluntas esset,vt in AEgypto esset, domum patris non repetiit. Etiam Christus domum patris sui,synagogam scilicet reliquit, & in terra aliena inter gentes creuit. Discamus & nos hoc exemplo obliuisci domũ patris nostri diaboli,& cre-
Psal. 44 scere in virtutibus, vt significationem amborum filiorũ Ioseph in nobis exprimamus spiritualiter.

Igitur transactis annis vbertatis, &c.

Nobis non sentientibus transeunt anni vbertatis & gratiæ,& appropinquant anni steriles. Quæ Deus comminatur certò venient. Non est enim Deus quasi homo vt mentiatur,&c. In omnibus autem regionibus erat fames,quia non omnes habebant Iosephum, vbi Ioseph,id est Christus est,ibi cibus nunquam deficit. Deficit autem etiam in AEgypto cibus,vnde patet quòd non om-

nes crediderunt Iosepho famem futuram prædicenti. Nec nunc omnes credunt Euangelio, ideo plerique etiá inter Christianos pereunt. Clamat populus ad regem: murmurant impii in malis, nunc contra homines nunc contra Deum, cum ipsi sint causa mali. Mittit autem eos ad Ioseph: Sic Deus clamantes ad se mittit ad Christum, sed ea conditione, vt quæ Christus iusserit faciamus. Paratis obedire, Ioseph aperit omnia horrea. Impium enim est in necessitate non subuenire. Aperuit & Christus horrea, cum scripturæ sensum discipulis aperiret, maximè autem cum spiritum sanctum mitteret, & Apostoli inciperent prædicare. Accurrunt etiam externæ regiones ad Iosephum, Et Christus nullum excludit. Accurramus & nos, Gaudeamus quòd Christo res nostra & cura cómissa est, cuius dilectionem iam dudum multipliciter experti sumus, &c. Rom. 10

Caput quadragesimum secundum.

Audiens autẽ Iacob quòd alimenta venderentur in Ægypto, dixit filiis suis: Quare negligitis? audiui quòd triticum venundetur in Ægypto: descendite, & emite nobis necessaria, vt possimus viuere, & non consumamur inopia. Descendentes igitur fratres Ioseph decẽ vt emerẽt frumẽta in Ægypto, Beniamin domi retento à Iacob, qui dixerat fratribus eius: Ne fortè in itinere quicquam patiatur mali: ingressi sunt terrã Ægypti cum aliis qui pergebant ad emendum. Erat autem fames in Terra Chanaan. Et Ioseph erat princeps in Terra Ægypti, atque ad eius nutum frumenta populis vendebantur. Cumq; adorassent eum fratres sui, & agnouisset eos, quasi ad alienos durius loquebatur, interrogans eos: Vnde estis? Qui responderũt: De Terra Chanaan, vt emamus victui necessaria. Et tamen fratres ipse cognoscens, non est cognitus ab eis. Recordatusque somniorum quæ aliquando viderat, ait ad eos: Exploratores estis, vt videatis infirmiora terræ venistis. Qui dixerũt: Non est ita domine, sed serui tui venerũt vt emerẽt cibos. Oẽs filii vnius viri sumus: pacifici venimus, nec quicquã famuli tui machinãtur mali. Quib' ille respõdit: Aliter est, immunita terræ huius cõsiderare venistis. At illi dixerunt: Duodecim, inquiunt, serui tui fratres sumus,

filii viri vnius in Terra Chanaan: minimus cum patre nostro est, alius non est super. Hoc est, ait, quod locutus sum, Exploratores estis. Iam nunc experimentum vestri capiam: per salutem Pharaonis non egrediemini hinc, donec veniat frater vester minimus. Mittite ex vobis vnũ, & adducat eum, vos autem eritis in vinculis, donec probētur quæ dixistis vtrum vera an falsa sint: alioquin per salutem Pharaonis exploratores estis. Tradidit ergo illos custodiæ tribus diebus. De autem terno eductis de carcere, ait: Facite quæ dixi, & viuetis: Deum enim timeo. Si pacifici estis, frater vester vnus ligetur in carcere, vos autẽ abite, & ferte frumenta quæ emistis in domos vestras: & fratrem vestrum minimum ad me adducite, vt possim vestros probare sermones, & non moriamini. Fecerunt vt dixerat, & locuti sunt adinuicem, Merito hæc patimur, quia peccauimus in fratrem nostrum, videntes angustiam animæ illius dum deprecaretur nos, & non audiuimus: idcirco venit super nos ista tribulatio. E quibus vnus Ruben, ait: Nunquid non dixi vobis: Nolite peccare in puerum: & non audistis me? en sanguis eius exquiritur. Nesciebant autem quod intelligeret Ioseph eo quòd per interpretem loqueretur ad eos. Auertitque se parumper, & fleuit: & reuersus locutus est ad eos. Tollensque Simeon, & ligans illis præsentibus, iussit ministris vt implerent eorum saccos tritico, & reponerent pecunias singulorum in sacculis suis, datis supra cibariis in via: qui fecerunt ita. At illi portantes frumenta in asinis suis, profecti sunt. Apertoque vnus sacco vt daret iumento pabulum in diuersorio, contemplatus pecuniam in ore sacculi, dixit fratribus suis: Reddita est mihi pecunia, en habetur in sacco. Et obstupefacti turbatiq; mutuo dixerunt: Quidnam est hoc quod fecit nobis Deus? Veneruntque ad Iacob patrem suum in Terram Chanaan, & narrauerunt ei omnia quæ accidissent sibi, dicentes: Locutus est nobis dominus terræ durè, & putauit nos exploratores esse prouinciæ. Cui respondimus: Pacifici sumus, nec vllas molimur insidias, Duodecim fratres vno parte geniti sumus: vnus non est super, minimus cum patre nostro est in Terra Chanaan. Qui ait nobis: Sic probabo quod pacifici sitis, Fratrem vestrum vnum dimittite apud me, & cibaria domibus vestris necessaria sumite, & abite: fratremq; vestrum minimum adducite ad me vt sciam quòd non sitis exploratores: & istum qui tenetur in vinculis, recipere possitis: ac deinceps quæ vultis, emẽdi habeatis licentiam.

His

His dictis cùm frumenta effunderent, singuli repererunt in ore saccorum ligatas pecunias: exterritisque simul omnibus, dixit pater Iacob. Absque liberis me esse fecistis, Ioseph non est super, Simeon tenetur in vinculis, & Ben-iamin auferetis: in me hæc omnia mala reciderunt. Cui respondit Ruben: Duos filios meos interfice, si non reduxero illum tibi: trade illum in manu mea, & ego eum tibi restituam. At ille: Non descendet, inquit, filius meus vobiscū: frater eius mortuus est, ipse solus remansit. si quid ei aduersitatis acciderit in terra ad quam pergitis, deducetis canos meos cum dolore ad inferos.

HActenus audiuimus quid Ioseph perpessus sit, primò à fratribus, deinde etiam ab aliis, donec veniret verbum & hora eius. Nunc ne quis putet fratribus eius impunè cessisse, quæ in ipsum iniustè commiserunt, paucis ostendit Moses quomodo etiam ipsi puniti sunt. Diu quidem impuniti fuerunt, sed hic non semel in tantam angustiam perducuntur, vt etiam de vita periclitari se putent. Et cum iusti Ioseph aduersitas desinit, tunc vel maximè ipsorum aduersitas incipit. Sic fiet impiis, iudicium incipit à domo Dei, interim mali bene habent: sed cū iustorum crux cessabit, tūc impiorum crux incipiet. Fecem enim calicis Domini bibent omnes peccatores terræ. Multo igitur melius est cum iustis hic pati, quàm illic cū impiis.

Psal. 104 *1. Pet. 4* *Psal. 74*

Audiens autem Iacob quòd frumenta, &c.

Hic reuertitur ad historiam Iacob, cuius vitam pietate plenam vsque ad finem describit ad exemplum nostrum. Cæterum sicut in afflictione eum reliquerat propter amissum filium, sic nūc aliam & nouam crucem eius describit, famem scilicet, quam hactenus expertus non fuerat. Nunc autem à Deo experitur, vt ferme in extremum periculum & ipse & filij eius perducti sint. Magnitudine enim famis indicat, quòd filios in Aegyptum vsque mittit pro frumento, item quod ait: Ite, emite ne moriamur. Sic Deus fidem eius tentat etiam vsque ad vitæ periculum, promiserat ei benedictionem, & nunc omnia aufert quibus se & suos alat. Interim cum nihil vsquam videt auxilij, nec tamen de Deo diffidit, audit in Aegypto fru-

1.Cor.10 menti copiam esse. Sic Deus credentibus cum tentatione facit prouentum,& ostendit exitum. Obserua quòd Ioseph iam à cruce liberatus erat, cum tamen Iacob pater eius adhuc cruce multiplici premeretur. Sic Deus cui libet homini imponit, secundum quòd videt eum posse

Ibidem. portare. Non enim tentari permittit supra id quod portare possumus. Patri igitur vt fortiori maiora imponit. Cæterum quòd fames etiam filios Iacob premit, iusto Dei iudicio factum est, vt qui precium fratris comederant, nunc fame cruciarentur. Imo qui fratrem è domo paterna eiectum in alienam terram & in seruitutem vendiderant, nunc fame cogerent domum paternam relinquere, ad alienam terram pergere, in qua tandem & ipsi seruituti subijcerentur. Altissimus enim est patiens red-

Luc.6. ditor. Et qua mensura mensi fuerimus remetietur nobis,&c.

Quare negligitis? Audiui quòd, &c.

Confidebat in Deo, sed tamen humana media & auxilia non contemnit, ne tentet Deus. Imo etiam filios arguit quòd ociosi sedeant, è cælo auxilium expectantes,

Deut.6. cum possint humanis mediis fami obuiare. Non tentabis Dominum Deum tuum, ait Moses. Posset autem hoc verbum Iacob pulchrè torqueri in ociosos illos Christianos, qui tempus gratiæ negligunt,&c.

Descendentes igitur decem fratres Ioseph, &c.

Decem filios simul mittit, vt afferre possent, quæ pro tanta familia sufficerent. Nec enim vnus satis afferre potuisset, & forsan vni homini, non tantum frumenti datum fuisset. Dei autem dispositione decem illi fratres simul mittuntur, vt qui simul conspirauerant in eius venditionem, nunc simul punirentur. Beniamin domi retinetur, in ipso enim paternus refocillabatur animus, crebris & penè continuis singultibus exhaustus propter Ioseph. Deinde non nimium fidebat filiis: Ne, inquit, mali quid accidat ei in via. Non parum enim suspicabatur dolo filiorum perditum fuisse Ioseph. Ideo hunc non vult ipsis committere. Pœnitebat adhuc eum quòd Iosephum ad ipsos miserat, ideo hunc retinet, ne & ipsi causa sit miseriæ.

Cumq;

Cumque adoraſſent eum fratres ſui, &c.

Cauſam huius adorationis ponit Moſes, cum dicit: Ioſeph autem erat princeps, &c. & ad ipſius nutum frumenta vendebantur. Beneuolentiam eius ambiunt, vt emendi quæ vellent haberent poteſtatem. Edixerat enim Pharao, & hanc legem ſtatuerat: Abſque tuo imperio nō mouebit quiſquam manum, ſcilicet ad accipiendum, nec pedem ad efferendum in omni terra AEgypti. Eſt autem etiam alia cauſa, propter quam Moſes tam diligenter deſcribit hanc adorationem: nimirum, vt videamus quam verum ſit quod Sapiens ait: Non eſt fortitudo, non eſt conſilium contra Dominum. Quod enim filij Iacob omnibus modis impedire conabantur, iamque impediuiſſe putabant, nempe ne Ioſephum adorarent, hoc nunc inſcij contra voluntatem ſuam faciunt. Et quod prius diuino oraculo moniti facere recuſabant, nunc ob ventrem faciunt. Iam hic apparet quomodo iaceant eorum manipuli, manipulumque Ioſeph adorent, dum non ob aliud ignotum ſibi AEgypti principem adorant, niſi quia defecerant manipuli eorum, ille autem de manipulis plenum habebat horreum. Sic impij etiam contra voluntatem ſuam Dei opera promouent. Sic quicquid vnquam diabolus contra Chriſtum conatus eſt, totum ceſsit in gloriam Chriſti, vnde in Iob dicitur: diabolus Dei ſeruus ſempiternus. Sic Iudæi gloriam Chriſti opprimere ſtudentes, ipſam promouerunt. Sic omnes homines velint nolint tandem Chriſto ſubijcientur. Lata enim eſt ſententia: dabo tibi poſſeſsionem tuam terminos terræ. Itemque inimici eius terram lingent. Videmus igitur hic quòd fames humiliat quos proſperitas feroces fecerat. Sic Moſes: Incraſſatus eſt dilectus & recalcitrauit, &c. Econtra autem Pſalmiſta: clamauerunt, inquit, ad Dominum cum tribularentur, &c.

Sup. c. 4 · *Prou. 2.* · *Pſal. 2.* · *Pſal. 71.* · *Deut. 32.* · *Pſal. 108*

Fratres tamen cognoſcens non eſt cognitus, &c.

Nondum eos ex animo eiecerat, & cum ipſos relinqueret iam in virili ætate erant, vt interim non multum potuerint mutari in facie. Ipſi autem Ioſephum ex animo iam dudum eiecerant: adhæc imberbem eum vendiderant, qui nunc barbatus erat, non mirum igitur quòd cum

eum non cognouerunt, quanquam interim etiam Deus oculos eorum tenebat ne eum agnoscerent: imo mentes eorum tenebat, ne vnquam suspicari quid possent de Ioseph, donec plenè purgarentur. Cæterum iuxta hunc typum etiam Christus nos agnoscit, & tamē pauci inter eos sunt qui eum verè cognoscant. Hoc est iudicium mundi
Ioan.3. quod lux venit in mundum, & dilexerunt homines magis tenebras quàm lucem. Recordatur autem Ioseph somniorum suorum. Nam hactenus etiam ipse ignorabat quid sibi vellent hæc somnia, donec nunc oculis videat fratres se adorantes, Mirabatur igitur Dei prouidentiam.

Tanquam ad extraneos durius loquebatur, &c.

Quod foris ostendit Ioseph erga fratres, non crudelitas, non odium, aut vindicta est. Iam olim enim ipsis remiserat peccatum: imo quomodo in fratres vindictam exerceret, quam nec in adulterā exercuerat? ipsius lachrymæ, & beneficia ostendent infra, quòd nihil ex odio fecit. Ideo aũt eos durè tractat, quia non videbat cum eis Beniamin fratrem suum vterinum, & timere poterat ne etiam ipsum vendidissent, quare tantisper durum se simulat, donec expiscaretur, quid & vbi ageret frater suus. Et Deus etiam plerunque alienum vultum sumit, iratum se simulat erga suos, duriterque eos tractat, ne si semper benignum se ostenderet desides fierent, cum tamē semper vita sit in
Psal.29. voluntate eius. Maximè autem irascitur Deus vbi fratrem nostrum, id est, nobis commissos non simul adducimus, &c.

Vnde estis? &c.

Quærit vnde sint, vt eliciat si forte recensendo genus suũm, mentionem faciant de Beniamin, de cuius statu ipse maximè anxius erat. Respondent autem simpliciter quidem & verè, sed non ad mentem ipsius Ioseph, ideo aliud quiddam attentat, crimen proditionis eis impingit, vt vel sic excusaturi seipsos, cogantur exprimere genus suum. Et quamuis secundò humiliter crimen obiectum diluerent, dicerentque omnes filij vnius viri sumus, non tamen adhuc contentus est, ideo vt plus eliciat perstat in accusatione. Nec oportet eum hic excusare de mendacio: non enim intendebat fallere, sed veritatem extorquere.

quere. Tandem igitur latius explicant genus suum & statum. Duodecim inquiunt fratres sumus, &c. Hæc volebat Ioseph, iam mentionem fecerunt iunioris fratris. Hoc igitur omnibus aliis omissis arripit, nec verbis eorum contentus esse vult, nisi fratrem videat, ideo nihil non agit vt frater adducatur. Primò igitur vt videant non iocum esse, sed rem seriam agi, pompaticè loquitur: pro more potentum. Hoc inquit est quod dixi, &c. Deinde iuramentum addit, non tamen per Deũ, sed per Pharaonem: ne per Deum iurando agnosci posset. Præterea minatur nisi propere obedianr, non exibitis hinc, dicit, nisi venerit frater vester, &c. Postremò cum differrent, nec conditionem accipere possent (sciebāt enim patrem nunquam dimissurum à se Beniamin) nec amplius quicquam respondere possent, in vincula eos ducit, vt tempus deliberandi haberent. Item vt pariter agenda tractarent, interim tamen etiam ob id eos in custodiam ponit, vt se inuicem affligant, qui in sui venditionem consenserant. Item vt & ipsi vel ex parte gustum acciperent anxietatum in quos coniecerant fratrem. Maximè autem ideò eos in vincula dat, vt videntes seueritatem eius, citius obtemperarent de adducendo Beniamin. Cupiebat enim quàm primum eis se manifestare ad consolationem patris. Sic igitur filij Iacob pœnam quam in domo patris non senserant, imo tot iam annis euaserant, in AEgypto inueniunt, vbi nihil tale vnquam timuissent. Imo in eam angustiam veniunt, vt omnino nesciant quomodo euadere possint, vel quis futurus sit finis, &c. Sic iudicium Dei sequitur impios, donec tandem comprehendat, & ita comprehendit, vt non liceat euadere, iuxta illud: Non erit fuga eius, &c. *Amos 9.* Nihil igitur melius quam peccata per pœnitentiam abluere, quod si hi fecissent, non in hæc mala incidissent. Tribus autem diebus in custodiam traduntur, quia tria peccata in ipsum Ioseph commiserant, tractando scilicet de ipsius interfectione, proijciendo in cisternam, & vendendo. Et quidē per hæc meruerant æternam pœnam, sed Deus ex misericordia breuem pœnam imponit. Idem nobis facit in pœnitentia, &c.

Die autem tertio dixit ad eos, &c.

Non.

Non vltra tres dies tenet eos ne patri dolorem augeret, si filij destinato tempore non redirent. Item ne pater & domus eius fame cruciarentur. Ostendit autem se Ioseph quasi ira iam deferbuisset, ac priorem sententiam mitigat. Cum enim prius dixisset, mittite vnum qui fratrem adducat, vos autem eritis in vinculis, nunc sententiã mutat, & mitigat ac vnum tantum retinet, alios permittit abire. Minatur tamen illis mortem si negligãt, facite inquit quæ dico vobis & viuetis, nec omnes dimittit, timẽs eos non redituros. Minatur igitur mortem, & retinet vnũ ex ipsis quo sollicitius instent perficiendis.

Merito hæc patimur, &c.

Ad ea quæ externè patiuntur, etiam nunc accedit remorsus conscientiæ. Sic enim cum flagellamur semper primò occurrit illud peccatum quod conscientiam maximè grauat. Ante viginti annos hoc peccatum in fratrem fecerant, & hic ipsis occurrit. Sic impii non opus habent accusatore coram iudicio Dei. habent enim accusatorem secum. Sic hii nullo accusante ipsi sui accusatores sunt. Sic impii externè & internè patientur, ignis
Esa. 66. eorum non extinguetur, in vermis eorum non morietur. Videmus etiam hic quòd peccatum tunc primum fœditatem suam ostendit cum perpetratum est, hoc nimirum agente diabolo, vt ante perpetrationem non consideretur peccati fœditas, ne homo absterreatur, post perpetrationem autem appareat, vt homo ad desperationem adigatur. Videmus item quòd impij nunquam ad considerationem & confessionem peccati veniunt, nisi flagellis & iudicio Dei adigantur, pulchrè autem vel tandẽ peccatum suum confitentur. Primò peccauimus inquiunt, Secundo in fratrem, Tertiò vidimus angustiam animæ eius, Quartò non audiuimus eum deprecantem, vnde cõcludunt: Meritò hæc patimur, iustum enim est vt misericordia negetur his, qui misericordiam aliis negarunt. Item iustum erat vt qui fratrem in corpore & anima angustiauerant, ipsi quoque similia paterentur. Accedit ad cumulum malorum, quòd etiam Ruben ipsos arguit: Nunquid, inquit, non dixi vobis, &c. Imo peccatum aggrauat: En inquit sanguis eius exquiritur, quasi dicat, maiora ma-

ra mala sequentur, nondum finis. Sic impii vndique terrebuntur in iudicio. Supernè imminebit ira Dei, intus conscientia accusabit, foris omnes creaturæ nos arguēt. Quanto igitur satius esset nunc peccata per pœnitentiam abluere. Cæterum sicut hi fatentur se meritò pati, sic & nos si peccata nostra attendimus, fateri cogimur iusta esse iudicia Dei: omnia quæ fecisti nobis domine, in vero iudicio fecisti, quia peccauimus tibi. Sic autem Ioseph malis cogit fratres suos ad cōfessionem peccatorum. Sic Deus si non sponte confiteamur, tandem malis & pœnis confessionem extorquebit. Item sicut Ioseph fratres non quidem occidit, sed ita affligit, & tantisper donec peccatum agnoscant, sic Christus Iudæis facit. Non eos occidit, sed miserè affligit, donec tandem fateri cogentur se peccasse in fratrem suum Christum.

Auertitque se ab eis, & fleuit, &c.

Hic videmus nihil eum ex odio fecisse, sic Deus quasi inuitus punit: Heu, inquit, consolabor super hostibus meis, &c. Durè Ioseph fratres tractat, interim summè compatiens, & paulo post magnificè consolaturus. Idem facit Deus, patienter igitur feramus manum Domini, &c. Ligat autem Simeonem quia secundum Hebræos is dixerat: Ecce somniator venit, ipsumque Ioseph in cisternam proiecerat. Et quia plus aliis peccauerat, plus etiam punitur. Ligat autem illis videntibus, vt illius liberationi diligentius insisterent, citiusque cum fratre Beniamin adessent, & Pharaonis vincula magis formidarent. Durum hoc erat Simeoni, sed vtile. Sic enim ad considerandum peccatum suum & tempus, & occasionem habebat. Non dubium autem quin post discessum fratrum eum soluerit Ioseph, non enim ita fraternæ pietatis oblitus erat. Postremò quantumuis durè fratres tractauerat, magnificè tamen eos dimittit. Sic Deus multis quidem malis suos subijcit, sed interim multa bona illis confert. Signanter autem Christus frumentum dat, & pecuniam reddit, & cibaria in via dat, qua gratiam dat & gratis. Deinde etiam opera nostra remunerat. Postremò nec temporalia negat.

Esa. 1.

At illi

At illi portantes frumenta profecti sunt, &c.

Liberati erant è carcere, sed nondum à cruce. habebãt frumentum & pecuniam, sed interim in magna tristitia erant, quod Simeonem post se reliquissent, & quòd patri tam triste nuncium allaturi essent. Sic in via ad patrē tendentibus, nunquam tam prosperè succedunt res, vt non aliqua ex parte tentemur & crucem sentiamus. Verùm pergendum nobis est, contenti esse debemus, quòd tam abundè nobis necessaria subministrat.

Aperto autem vnus sacco inuenit pecuniam, &c.

Hic aliud malum occurrit: hic de nouo terrentur, maiora mala metuunt, nondum expurgauerant crimen proditionis ipsis impositum, & ecce nunc timere habent ne etiam furti accusentur, imo peculatus. Hic igitur iterum nesciunt quid agere debeãt: pergere incepto itinere vix audent, ne Aegyptij insequantur: Reuerti ad Ioseph non audent, quia iuniorem fratrem nondum secum habent: nec in via remanere possunt, ne interim filii eorum & familia, imo & pater senex fame crucientur. Hæc est angu-
Amos 5. stia impiorum, de qua in Amos legimus: In omnibus plateis planctus erit, &c. Et sequitur: væ desiderãtibus diem Domini, quomodo si fugiat vir à facie Leonis & occurrat ei vrsus, &c. Sic continget impiis in morte. Non audebunt procedere vel comparere coram Deo: quia non habent secum fratrem suum, id est, Christum, & insuper ære alieno, id est, peccatis multis grauati sunt. Nec possunt reuerti vt pœnitentiam agãt, nec possunt diutius manere, quia mors imminet. Quanta erit hæc angustia? Præ-
Psal. 94. ueniamus igitur hanc irati iudicis faciem in confessione & pœnitentia, &c. Vide autem quid dicunt: quid est hoc quod dominus fecit nobis? Agnoscunt domini manum: timent ne nunc primum velit punire. Sic semper sæua præsumit perturbata conscientia. Imo etiam in re læta vnde alij gauisi essent, obstupescunt. Sic agit Deus cõtra ipsos, qui monita sua spernunt: semper imminet eis, terrẽtur ad
Leui. 26 sonitum folij cadentis. Nouit Deus multis modis vindicare in transgressores: Nouit artem excarnificandi conscientias. Caueamus igitur ne vnquam tale committamus

mus flagitium, vnde perpetuo remorsum conscientiæ habeamus.

Narrauerunt patri quæ accidissent, &c.

Magno desiderio expectauerat aduẽtum filiorum pius pater: hic autem in ipsorum aduentu magis constristatur. Et temperamentum quidem famis accipit, sed interim aliam crucem incurrit, imo duplicem, vnam de absentia & captiuitate Simeonis, alteram de abductione Beniamin. Sic Deus maius periculum, famis scilicet, temperat: sed tamen nõ omnino sine cruce esse sinit suos. Omnino enim vtiles sunt nobis aduersitates, quantumuis caro obmurmuret. Tribulatio enim patientiam operatur, patientia probationem, &c. Pulchrè autem rem proponunt & quãtum possunt mitigant, vt citius patri persuadeant, ipsiq; minorem tristitiam incutiant. Si inquiũt miseris eum nobiscũ: notam proditionis euademus, liberabitur Simeon. Denique potestatem habebimus emendi quæ & quoties volumus, hoc nobis promisit vir ille. Iac.1.

Cumque frumenta effunderent, &c.

Hic iterum & plus terrentur: videbat se vnusquisque obnoxium calumniæ. Timere poterant ne tyrannico more Ioseph occasionem quæreret eos subiiciendi & spoliandi. Sic enim solent tyranni, vbi viderint pecuniam facile inueniunt causam auferendi. Et si cui male volunt facile inueniunt causam puniendi.

Absque filiis me esse fecistis, &c.

Multum diligebat filios suos, scilicet pater, quia benedictio domini erãt, & quia sciebat ex eorũ semine oriturũ per quẽ omnes gentes benedicerentur. Nesciebat tamen adhuc per quem filiorum suorũ generatio ad Christum descensura esset: ideo omnes dilexit. Nihilq; ęgrius in omni vita accidit, q̃ quòd in senectute filios perdit: id quod pulchrè conqueritur: Absque filiis me esse fecistis, &c. quasi dicat, qui modo multos habebam filios, nunc plures amisi, Ioseph nõ est super, &c. Tacite aũt ipsos insimulat: quasi nõ nihil suspicãs ipsorũ fraude Ioseph pditũ Su.ca. 28

Non descendet filius meus vobiscum, &c.

Sic erat tunc illi in votis, licet postea, necessitate coactus famis, cõsilium mutauerit. Hic iterum arctantur filii,

cum viderent patrem tam obstinatè renitentē, nesciunt quomodo vel Simeonem liberēt, vel seipsos à fame conseruēt. Vbiq; igitur tētatio ac miseria, & hoc in ea domo quā Deus maximè diligebat, cui magna promiserat, &c. Quis hic non dubitasset de promissionibus diuinis. Imo quis nō dicere potuisset illud verbū impiorū: Vanus est
Mala. 3. qui seruit Deo, &c. Et iterum: quid prodest si ei seruia-
*Iob.*21. mus. Verùm expecta paulisper & videbis omnia hæc ma-
Heb. 10. la in bonum verti. Ne igitur abiiciamus confidentiā nostram, quæ magnam habet remunerationem.

Caput quadragesimum tertium.

INterim fames omnem terram vehementer premebat. Consumptisq; cibis quos ex Aegypto detulerant, dixit Iacob ad filios suos: Reuertimini, & emite nobis pauxillum escarum. Respondit Iudas: denunciauit nobis vir ille sub attestatione iurisiurādi, dicens: Non videbitis faciem meam, nisi fratrem vestrum minimū adduxeritis vobiscum. Si ergo vis eū mittere nobiscum, pergemus pariter, & ememus tibi necessaria. Si autem non vis, non ibimus: vir enim (vt sæpe diximus) denunciauit nobis, dicens: Non videbitis faciem meam absq; fratre vestro minimo. Dixit eis Israel. In meam hoc fecistis miseriam, vt indicaretis ei & aliū habere vos fratrem. At illi responderunt: Interrogauit nos homo per ordinē, nostram progeniem: si pater viueret: si haberemus fratrem: & nos respondimus ei consequenter iuxta id quod fuerat sciscitatus: nunquid scire poteramus, quòd dicturus esset, Adducite fratrem vestrum vobiscum? Iudas quoq; dixit patri suo: Mitte puerum mecū, vt proficiscamur, & possimus viuere: ne moriamur nos & paruuli nostri. Ego suscipio puerum: de manu mea require illum, nisi reduxero & reddidero eū tibi, ero peccati reus in te omni tempore. Si nō intercessisset dilatio, iam vice altera venissemus. Igitur Israel pater eorū dixit ad eos: Si sic necesse est, facite quod vultis: sumite de optimis terræ frugibus in vasis vestris, et deferte viro munera, modicum resinæ & mellis, & storacis, stactes, & terebinthi, & amygdalarum. Pecuniam quoq; duplicem ferte vobiscum: & illam quam inuenistis in sacculis, reportate, ne fortè errore factū sit. Sed & fratrem vestrū tollite, & ite ad virum. Deus autem meus omnipotens faciat vobis eum placabilem, & remittat vobiscū fratrē

vestrum

vestrum quem tenet in vinculis, & hunc Beniamin: ego autem quasi orbatus absque liberis ero. Tulerunt ergo viri munera & pecuniam duplicem, & Beniamin: descenderuntque in Aegyptum, & steterunt coram Ioseph. Quos cum ille vidisset, & Beniamin simul, praecepit dispensatori domus suae dicens: Introduc viros domum, & occide victimas, & instrue conuiuium: quoniam mecum sunt comesturi meridie. Fecit ille sicut fuerat imperatum, & introduxit viros domum. Ibique exterriti, dixerunt mutuo. Propter pecuniam quam retulimus prius in saccis nostris introducti sumus: vt deoluat in nos calumniam, & violenter subiiciat seruituti & nos & asinos nostros. Quamobrem in ipsis foribus accedentes ad dispensatorem locuti sunt: Oramus Domine vt audias nos. Iam antè descendimus vt emeremus escas. Quibus emptis, cum venissemus in diuersorium, aperuimus saccos nostros, inuenimus pecuniam in ore saccorum: quam nunc eodem pondere reportauimus. Sed & aliud attulimus argentum, vt emamus quae nobis necessaria sunt: non est in nostra conscientia quis posuerit eam in marsupiis nostris. At ille respondit, Pax vobiscum, nolite timere: Deus vester & deus patris vestri dedit vobis thesauros in saccis vestris. nam pecuniam quam dedistis mihi probatam ego habeo. Eduxitque ad eos Simeon. Et introductis domum, attulit aquam, & lauerunt pedes suos, deditque pabulum asinis eorum. Illi verò parabant munera, donec ingrederetur Ioseph meridie. audierant enim quod ibi comesturi essent panem. Igitur ingressus est Ioseph domum suam, obtuleruntque ei munera tenentes in manibus suis: & adorauerunt proni in terram. At ille clementer resalutatis eis, interrogauit eos, dicens: Sanusne est pater vester senex, de quo dixeratis mihi, Adhuc viuit? Qui responderunt: Sospes est seruus tuus pater noster. adhuc viuit. Et incuruati, adorauerũt eũ. Attollens autẽ Ioseph oculos, vidit Beniamin fratrem suũ vterinum: & ait: Iste est frater vester paruulus, de quo dixeratis mihi? Et rursum: Deus, inquit, misereatur tui fili mi. Festinauitq; , quia commota fuerant viscera eius super fratre suo, & erũpebant lachrymae: & introiens cubiculum fleuit. Rursumque lota facie egressus continuit se, & ait: Ponite panes. Quibus appositis, seorsum Ioseph, & seorsum fratribus, Aegyptiis quoque qui vescebantur simul, seorsum (illicitum est enim Aegyptiis comedere cum Hebraeis, & prophanum putant huiuscemodi conuiuium) sederunt coram

eo primogenitus iuxta primogenita sua, & minimus iuxta ætatem suam. Et mirabantur nimis, sumptis partibus quas ab eo acceperant: maiorq́; pars venit Beniamin, ita vt quinque partibus excederet. Biberuntq́;, & inebriati sunt cum eo.

HActenus audiuimus quomodo primum Ioseph somniũ impletum sit: Erectus stabat manipulus. Econtra autẽ manipuli fratrũ nedum manipulum eius adorauerant, sed etiam omnino iacebant territi & anxij: nec vllam viam videbant quomodo erigi possent: maximè cum pater sic aduersaretur ipsis, mordicusq́; teneret Beiamin. In hoc autem capite res eo tendit, vt etiam secundũ somnium impleatur, de vndecim scilicet stellis Iosephũ adorantibus. Hactenus enim tantũ decem adorauerant, Beniamin vndecimus erat, qui & nunc adoraturus Iosephum in Aegyptũ ducitur: scilicet egrè permittente patre. Verùm Dei propositum impedire nõ potuit. Agebat autem hoc diuina prouidentia in bonum ipsius Iacob, Nolebat Deus vt diutius in profundo tristitiæ premeretur: cui tantum gaudium iam præ foribus esset.

Interea fames terram premebat, &c.

Aderat quod Ioseph prædixerat: disparuerant boues illæ pulchræ, non crescebant spicæ plenæ sed tenues. Bene autem dicit premebat: magna enim pressura famis, ac vix aliud est quod æquè premat hominẽ. Sic eadẽ fames premebat iustum vt filium charissimũ à se dimittere cogeretur. Imo vt tam ipse q̃ omnis familia in alienam terram secedere cogeretur. Tam mirabiliter Deus implet propositum suũ, prędixerat semen Abrahæ seruituti sub
Gen. 15. iiciendum in terra non sua. Hoc vt tandem impleatur, fame vt ministro vtitur, quo compellente in Aegyptũ descendat. Sic enim ignis, grando, nix, glacies, spiritus pro-
Psal. 148 cellarum, fames, pestis, &c. faciunt verbum domini.

Consumptisq́; cibis, &c. Dixit ite emite, &c.

Distulit pater quandiu potuit remissionem filiorũ, sperans interim sterilitatem cessaturã, nec dubiũ quin Deũ pro hoc orauerit, sed nõ exauditur ad votũ: Aliud decreuerat Deus, Maius quiddam illi daturus erat, ideo in hoc nõ exaudit. Homo semper propriis cõsiliis se regere vult

sed

ſed tamen plerunq; fruſtra laborat:putabat Iacob filium nuſquam melius habiturum q̃ apud ſe,ſed aliud decreuit Deus.Ideo cogitur filium amādare,ne cura patris videatur ſeruatus. Vult Deus vt omnia illi aſcribamus,ſciamuſ que ipſum eſſe qui cuſtodit introitū & exitū noſtrū,&c. *Pſal. 129*
Nihil igitur melius eſt quàm vt diuinę voluntati nos reſignemus,dicentes fiat voluntas tua.

Emite nobis pauxillum eſcarum,&c.

Non loquitur vt ſupra. Quare negligitis:ſciebat enim ſe,non ipſos in culpa eſſe.Ex hoc autem verbo conijcere licet,quàm ordinatū fuerit regimen domus ſancti huius. Primò enim quāuis omnes filij iam vxores & liberos haberēt,vt infra patebit:tamen adhuc ſub dominio & obe *Gen. 46.*
dientia patris erant,ſciebant ſe nuſquā melius futuros q̃ ſub eius obediētia. Deniq; quamuis viderēt patrem rem differre,in periculum totius familiæ:non tamen vi abripiūt Bēiamin,ne patri dolorē augerēt,iam plus ſatis afflicto. Præterea quāuis eorum multi eſſent: ſimul tamen manebāt:oīa cōmunia habebāt,omnes in ſimul cōſulebant. Non ſic fecerant filii Adæ,Noe, Abrahæ,& Iſaac;qui ſtatim ab inuicē & corpore & animo diuidebantur: Hij aūt ſimul permanent,quia vnus populus futuri erant. Poſtremò colligi poteſt ex verbo:Emite pauxillū,&c. quòd nullus luxus fuerit in ea domo,nec bonis Dei abuſi ſint: tantumq; ad neceſsitatē non ad voluptatē comederūt.Quid felicius tali domo,tales deberent eſſe domus Chriſtianorū,talis deberet eſſe eccleſia,vt omnibus conſpicua eſſet eius obediētia:charitas,cōcordia,ordo,pietas,ſobrietas,&c. Hæc enim ſunt quæ Paulus vbiq; docet:Fallūtur igitur qui Eccleſiam Dei ædificare ſe putant,& interim abijciūt oēm ordinē,obedientiā,ſobrietatē,charitatē,cōcordiā.Nō ſic ædificatur Eccleſia Dei:ſed magis deſtruitur.

Denunciauit nobis vir ille,&c.

Ruben primogenitus erat.Verū propter peccatum ſuum,non admodū gratus erat patri:idq; in fine prioris capitis apparuit,cum pater omnib⁹ modis detrectauerit ei filium cōmittere:quantumuis magna polliceretur.Igitur Iudas nunc negotium omniū fratrū agit, is enim maioris auctoritatis erat apud patrem.Quāuis autē nō admodum

 bene

bene fonet quod ait:Si nolueris eum mittere nō ibimus, tamen mitigat eam fententiam cum eo quod ante & poft dicit:denunciauit vobis, &c.ne fcilicet pater fufpicaretur eos obedire fimpliciter nolle, ficq; magis affligeretur. Pium enim patrem non parum affligit inobedientia filiorum. Vult igitur dicere Iudas: parati effemus in hoc & omnibus aliis obedire, fed non audemus virum illum accedere fine fratre noftro. Putabit enim nos mentitos effe,ac verè exploratores effe,&c. Difcant hic Chriftiani etiam ipfi,quomodo olim coram fuo Iofeph comparere pofsint,cogitent quid ab ipfis Chriftus exigat, cogitét quanta ira eos maneat,qui in iudicio apparebunt, nō quales Chriftus habere cupit:Timeant iudicium Dei exemplo fratrum Iofeph. Studeant ita fe gerere vt confidé-
Matth.5. ter coram Chrifto comparere pofsint. Sic Chriftus, Concorda cum aduerfario tuo cum es in via. Difcant hic paftores Ecclefię,quanti periculi fit futurum, coram Chrifto iudice comparere fine ouibus à Chrifto commendatis,maximè fi eas neglexerint aut impedierint. Cogitent etiam fibi dici:Nō videbitis faciem meá nifi adduxeritis
Ioan.2. fratrē veftrū minimum. Sic.n.& ipfis dicitur: Si amas me
Ezech.3. pafce oues meas.itē,Sanguiné eius de manu tua requirā.
Hebr.13. Et Paul. Rationé reddituri funt paftores ꝑ animabus ve
3.Cor.9. ftris,&c. Hoc Paul,cōfiderauit cū diceret: Væ mihi fi nō
2.Cor.11 Euangelizauero.itē,quis infirmatur & ego nō infirmor?
Rom.1. itē,Sapientibus & infipiétibus debitor fum,&c. Audiant hęc paftores ociofi,imo impii,& terreātur. verè enim res magni periculi eft effe paftoré. Audiāt omnes Chriftiani ne quenq̄ quātumuis humilé & pufillū contemnant. nā & hos,imo potifsimū hos vult habere Iofeph nofter. Vide
Matt.18. te inquit ne contemnatis vnum ex his pufillis, &c.

In meam miferiam hoc feciftis,&c.

Hebræi interrogatiuè hoc legunt. Quid inquit me in hoc afflixiftis? quid opus erat hoc manifeftare extraneo? Num affligere debebatis patrem veftrū iam plus fatis afflictum? Neq; enim aliter fufpicari poffum, q̄ in meā hoc factū effe miferiam. Conqueritur auté fuá miferiā, fine tamé murmuratione,fineq; blafphemia in Deum. Pulchrè auté Iudas in hoc & fe & alios excufat, ne pater putaret

in mife-

in miseriam eius hoc factum esse, & data opera, sicq; magis tristaretur. Vbiq; cauent ne maioris tristitiæ occasionem iusto seni præbeant:id quod bonorum filiorum est.

Mitte puerum mecum, &c.

Hoc idem attentauerat Ruben, sed valde indiscretè. Su.c.42.
Si non reduxero inquit eum, occide duos filios meos: Iudas autem modestius loquitur. Primò, mitte inquit eũme cum, si aliis nõ tantum fidis. Secundò, explicat periculũ, vt non moriamur & nos & paruuli nostri, quasi dicat: Si vltra distuleris, etiã ipse Beniamin, quẽ tantopere seruare studes, vna cũ aliis fame morietur, & sic nihilominus eũ amittes. Imo multò certius illic periculũ erit, q̃ si illũ dimittas. Tertiò dicit: Ego suscipiam eum: quo verbo docemur quomodo fratres nostros tractare debeamus, cũ in via sumus. Sic Paulus: suscipite infirmos, &c. Quartò, Si 1. Thess. 5.
nõ reduxero ero reus peccati in patrẽ, &c. Magnum tũc erat, patrẽ iustũ iratũ habere. Quintò, ostendit breui tempore se redituros. Si non intercessisset dilatio, &c, Sicq; vix tandem impetrat vt pater consentiat.

Si sic necesse est, facite quod vultis.

Videbat voluntatem Dei esse, vt etiã hunc à se dimitteret. Non igitur amplius reluctatur, diuinæ voluntati se submittens, quasi dicat, quia Deus etiam hac cõsolatione me priuare vult, age fiat volũtas Dei. Non obmurmurat, non blasphemat: id quod impatientes facere solẽt, vbi rẽ aliquam dilectã amittere coguntur. Graue quidem iusto erat tam dilectum filium à se amandare, verùm paulo post gaudet se hoc fecisse. Sic omnis disciplina nihil quidem læti videtur habere aut dulcedinis. In futuro autem fru- Heb. 12.
ctum pacatissimum profert. Hinc sancti dicent: Lætati sumus pro diebus quibus nos humiliasti, &c. Psal. 89.

Sumite de optimis terræ frugibus.

Pulchrè filios instruit aduersus futurum certamen. Primò prudentiæ est: ꝙ etsi Deo fideret, humana tamen media nõ despicit, iubet munera deferre, quæ nonnunq̃ etiã iratũ animũ placãt. Quũuis autẽ Aegyptus terra esset frugifera, tamẽ non oĩa habebat. Sic enim Deus vni homini dat quod non aliis, nulli autem totũ dat, ne quis glorietur, & vt habeant occasionem exercendæ dilectionis. sic

vni regioni dat quod aliis negat. Nulla regio tamfertilis quæ non aliqua fructuũ specie careat. Nec vlla tam sterilis, quę non aliqua preciosa & rara habeat. Hoc nimirum agente sapientia Dei, vt vbiq; Dei sapientiam & bonitatem videamus. Secundò, iusticiæ est, quòd pecuniam duplicem iubet secũ ferre, quanquam enim pecuniã priorẽ nõ furtò surripuissent, scit tamen alienam esse pecuniam, vult eam restitui. Ne forte inquit errore sit factum, Damnatur hic auaritia nostra, qui vndiq; aliena corradimus, nemini quicquam restituẽtes, etiam si sciamus iniustè nos habere. Tertiò, omnimodæ abnegationis est quod dicit: Et hunc fratrem vestrum, quẽ tamen per amoris teneritudinẽ nominare nõ potest, sed fratrẽ inquit vestrũ, occultè submonens illos vt fraternè eum diligerent & tractarent. Nõ parũ enim suspicabatur fraude eorũ periisse Iosephũ. Nec cõtentus hoc modo instruxisse filios, sed ad Deum se conuertit, sine quo nihil expediunt nostra consilia. Docẽs interim & filios vt in Deo spem collocẽt. Magnã aũt fidẽ in his verbis ostendit: Cõfitetur Deũ & Deũ suum, nimirũ ad memoriam reuocans quicquid vnquã à Deo acceperat. Nominat eũ omnipotentẽ qui nihil non possit, fatetur ipsum posse mouere corda hoĩm, cũ dicit: faciat vobis eum placabilẽ. Hoc enim supra expert⁹ erat
Su.c4.33 in fratre suo Esau, & in Laban socero suo. Nec in aliquo ambit fauorem hominis potentis, nisi vt remittat filios, hoc solũ petebat, quia in filiis benedictio domini implẽda erat. In fine miserabiliter addit: Ego quasi orbatus filiis ero, quasi dicat, qui paulo ante tot filiis fœlix mihi videbar, nunc oĩbus orbatus sum. Quid calamitosius vita hoĩm? Quid prodest senem fieri & tanta pati? Quid tam diligimus vitam præsentem, Cum frui liberis debebat in senio, eis orbatur. Fallũtur igitur qui gaudiũ sibi ex liberis pollicẽtur. Dum enim adolescunt, cũ ætate simul crescũt vicia & curæ. Sic igitur sanctus hic nihil amplius habet in mũdo cui aliquo modo inniti possit, Sic cogitur à solo Deo pẽdere. Quicqd aliquo modo dilexerat ei subtrahitur: Rachel, Ioseph, Bẽiamin. Sic Deus suos ad infernũ ducit. Et tamẽ quãquã Iacob hic miserrim⁹ videatur: nunq̃ tamẽ ei ꝓspera fortuna ꝓpior fuit. Imo iam stabat
ante

ante ianuam, paulo post enim ex insperato omnibus malis simul eximitur. Meritò igitur monet Paulus: Manus remissas erigite & genua lapsa, &c. Item angelus ad Thobiam: bono animo esto in proximo est vt cureris. Discamus hic Christiani quo modo ad Deum accedere debeamus. Primò non vacuis manibus accedamus, quanquam enim bonorum nostrorũ non indiget, tamen vult vt bene operemur. Deinde ex optimis dona offeramus, hoc est non ex marsupio tantum, non ex corpore tantum, sed ex corde & animo offeramus optimum quod in terra nostra crescit, nempe nos ipsos. Adferamus duplicem pecuniam, id est, gratiarum actionem: per hanc enim & vetera beneficia pensamus, & Deum ad vlteriora danda prouocamus. Assumamus nobiscum fratres nostros quoscunq; possimus adducere, non nosipsos tantum curemus. Vnicuique enim mandauit Deus de proximo suo. Insuper in fide vera & humili prece accedamus. Postremò in omnimoda abnegatione nostri, vt cõtẽptis terrenis sola spiritualia expectemus, iuxta illud Dauidis: Elongaui inquit fugiens in solitudine. Expectabam eum qui saluum me fecit à pusillanimitaté spiritus, &c. *Heb.12.* *Thob.5.* *Exod.23.* *Psal.15.* *Eccle.17.* *Psal.54.*

Tulerunt ergo viri munera, & profecti, &c.

Sine dubio cum magno timore & cura profecti sunt, territi ex his quæ prius acciderant: nesciebant quòd eos diligeret Ioseph. Sic ad Deum accedere volentes in timore perstemus, non præsumptuose accedamus, vt Pharizæus ille: sed humiles & timentes, sicut Publicanus, & mulier illa Emorroissa. Timet homo naturaliter cum ad Deum accedere debet, quem iudicem suum esse scit: hic tamen timor ad multa vtilis est. *Luc.18.* *Matth.9*

Introduc viros domum, &c.

Longe aliter se hic ostendit Ioseph quàm prius, nihil hic sæueritatis præ se fert, quia tales videbat eos quales voluerat. Videbat eos veraces, obedientes, &c. Et nos benignum inueniemus iudicem Christum, si tales in iudicio apparuerimus quales nos esse iussit. Alioquin væ illis qui aliter comparituri sunt. Sic non habens vestem nuptialem eijcitur. Sic Ioannes ait: foras canes & malefici, &c. Hic autem filij Iacob denouo terrentur, cum *Matt.22* *Apoca.22*

enim scirent non esse consuetudinis, vt extranei frumenta ementes introducerentur in domum principis: viderentque se solos introduci, timebant ne propter pecuniam in saccis inuentam calumniam paterentur. Sic sunt conscientiæ impiorum, etiam in prosperis pauent: quia enim malorum conscii sunt etiam bona mala putãt. Aliis magnum fuisset introduci in domum principis, hii autẽ terrentur. Hanc aũt cõscientiæ eorũ torturam sępius inculcat Moses, vt qui peccatũ eorũ vident, videant etiã ipsorum pœnitentiam. Simpliciter igitur & humiliter se excusant de pecunia quam in saccis inuenerant. Non opus habet innocentia prolixo sermone.

Pax vobis, nolite timere, &c.

Conscius erat voluntatis domini sui, & quanq̃ gẽtilis esset, tamen cum videret cõsternatos, consolatus est eos,
Prou. 31. iuxta consilium sapientis: date syceram mœrentibus, &c. Vide autẽ quã piè loquatur etiam paganus: Deus inquit vester dedit. Iubet vt Deo ascribant, si quid boni acceperunt, dicit sibi satisfactum esse, se nihil ab eis exigere.
Eccle. 10 Sic fidelis dominus fideles habet seruos: & econtra impii regis omnes ministri impii sunt. Deniq; eduxit ad eos Simeonem. Supra vbi nihil timebant magna mala ipsis occurrebant. Hic autem vbi cum timore veniunt, omnia eis prospere eueniunt, cedunt, sic quoque nobis fiet.

Et introduxit eos in domum, &c.

Quod Ioseph hic fratribus facit, hoc Christus fidelibus facit. Primo ministris suis Apostolis mandauit, vt venientes ad gratiã quærendam introducant in Ecclesiam, vt ipsis ministrent: pasce inquit oues meas. Seruus
Ioh. 21. igitur Christi, id est, chorus Apostolorum & prædicatorum, venientes peccatores territos propter peccata, Primò consolantur, deinde in Ecclesiam introducunt, Tertio aquam afferunt, sacramenta scilicet, in quibus peccata remittuntur. Quartò pabulum præbent etiã asinis: docent quomodo etiam externè viuere debeant, his interim cõtenti simus in domo hac, cum Ioseph ipse venerit maiora dabit.

Illi autem parabant munera, &c.

Consolatus eos fuerat seruus, nec dum tamen timorem

rem omnem abijciunt. Nesciebant enim an etiam Ioseph sic affectus esset, timebant ne forte seruus vana spe ipsos lactasset. Item quamuis consolatus eos esset, non tamen ideo cessant, sed munera parant. Sic quantumuis Apostoli nos consolentur verbo Dei, non tamen timoré abijciamus, nec ideo cessemus vt solent ociosi Christiani, de nuda fide sibi blandientes. Potest enim seruus errare, & pacem annunciare, vbi non est pax, sicque viuificare animas quæ non viuunt. Potest adulari & puluillos consuere sub omni cubito. Errat minister Ecclesiæ cum impœnitentibus pacem annunciat. Non enim est pax impiis dicit Dominus. Quare non tantum attendendum quod è prædicatore audias, sed simul videndum, num tu talis sis ad quem verbum Dei hoc feratur. Non enim omnibus omnia dicuntur. Paremus igitur munera, expectemus Dominum succincti lumbos, id est, lucernas in manibus gestantes, &c. Ephes.13. Luc.12.

Igitur ingresso Ioseph obtulerunt munera, &c.

Vbique & in omnibus ostendunt innocentiam, gratitudinem, obsequiũ. Timor reddebat eos sollicitos. Qui enim timet nil negligit. Ideo nedum parant munera, sed offerunt, tenent manibus, adorant. Timor inquam sollicitos eos facit, & hæc omnia agit, quia enim semel austeritate Ioseph territi erant, difficilè poterant eijcere timorem, quamuis seruus eos consolatus fuerat. Sic conscientia semel iudicio Dei territa, non facilè resumit cõsolationem. Hinc huiusmodi homines plerumque de desperatione tentantur. Aliàs autem nihil vtilius timore Dei. Qui timet dominum credit verbo eius: inquirit quæ beneplacita sunt ei: præparat cor suum, custodit mandata Dei, &c. Timor Domini initium sapientiæ. Beatus igitur homo qui semper est pauidus. Obserua quantumuis parua essent munera eorum, non tamen ea contemnit Ioseph, propterea quod videt ex gratitudine & bono corde profecta. Sic parua sunt omnia quæ Deo offerimus, tamen grata ea habet, si ex fide ac deuotione proficiscantur, quantumuis parua sint. Qui dederit inquit calicem aquæ frigidæ tantũ in nomine discipuli nõ perdet Eccle.7. Eccle.2. Prou.28. Matt.10

perdet mercedam suam. Adorant autem Iosephum proni in terram, vt impleretur somniũ Ioseph de vndecim stellis ipsum adorantibus. Imo nedum ipsi adorát, sed etiam sol, id est, pater, quantumuis absens, & in ipso maternus lunæ, id est, Rachelis affectus adorant, cum dicit Iacob, Deus omnipotens faciat vobis eum placabilem.

Quibus clementer resalutatis, &c.

Non amplius terret quos videbat iam suapte sponte territos. Audacibus enim & proteruis terrores incutiendi sunt, non deiectis, ne calamus quassatus confringatur, & linum fumigans extinguatur. Exemplum rectoribus, &c. Cæterũ vbique & in omnibus videmus exempla virtutum in Ioseph, fuit innocens in domo patris, patiens in aduersis, fidelis in seruitio. Castus in tentatione, sapiens in occultorum reseratione, prudens in futurorum præuisione, iustus in fratrum castigatione, & nunc pius in ipsorum susceptione. Primò autem interrogat de patre, cuius curam & dilectionem nunquam deposuerat, Exemplum boni filij. Ad hoc autem humiliter respondent, etiá ipsum patrem seruum eius dicendo, ac in persona eius iterum adorando. Ideo autem tam sæpe repetit Moses ipsorum adorationem, vt promissionum Dei veritas omnibus seculis commendetur. Verè enim non cadit de verbis domini in terram, quęcunque ille dixerit, quemadmo-
1. Reg. 3. dum de Samuele loquitur scriptura. Discamus igitur promissis Dei fidere, quantumuis fieri non posse sensus carnis reclamet. Cæterũ etiam hic produnt timorem suum, ideo enim post mentionem de patre factam tam ambitiose supplicant, vt senectutis eius intuitu illis esset propitius, cuius mentionem facere ipse dignaretur. Obseruandum item quanta fuerit in Ioseph altitudo honoris, quanta maturitas vel dignitas in illo cum spiritu mansuetudinis, quem pro vno dignationis suæ verbo quod dixerat: Sanus ne est pater vester, &c. iterum adorauerunt incuruati, Benè ergo fratres visuri eratis quid illi profutura essent somnia.

Attollens autem oculos vidit Beniamin, &c.

Quem diligebat magis citius vidit. Vbi enim thesau-
Matt. 6. rus tuus ibi & cor tuum, imo & oculus quoque. Viderat etiam

etiam prius, sed dissimularat, nunc autem ita eum vidit, & meminisse videretur denunciationis suæ, qua dixerat: Non videbitis faciem meam, &c. Primò autem omnium fratri suo misericordiam Dei precatur, & gratiam, qua nihil melius optare potuisset. Cæterùm quantumuis affectata austeritate quasi in alienos intēderet, erupit pietas: continere se non valens, plenum erat cor ipsius pietate, vix continere se valens, ostendere se cupiens, sed nondū tempus erat. Sic Deus ab initio amore nostri ardebat, qui amor in plerisque erumpebat, vt cum diceret: Ego cogito cogitationes pacis & non afflictionis, sed nōdum tempus, donec tandem erumperet in aduentu Christi, de quo infra. Etiam nūc amor Dei erga nos sępius erumpit, quantumuis nondum tempus sit, vt plenè se nobis osten dat qualis erga nos sit. *Ierem.29*

Quibus appositis seorsum Ioseph, &c.

Pluribus verbis conuiuium hoc describit, quia primū fuit quod cum fratribus habuit in AEgypto. Deinde quia magna præfigurauit. Sic enim hic omnes quidem in vna domo sunt, seorsum tamen singuli comederunt, sic in Ecclesia fit. Christus cum sanctis in cælo seorsum sedet, sancti in hoc mūdo etiam seorsum sedent, habent etiam impij suam mensam seorsum. In mensa Christi est cibus immortalitatis & felicitatis. In mensa fidelium viatorum cibus gratiæ & verbi Dei. Impij vtroque carent, tantum temporalia habent. AEgyptij vt superstitiosi & superbi Hebræos contemnunt, meliores esse volunt, cum pius homo neminem contemnat. Interim tamen Ioseph Aegyptiorum moribus se attemperat, donec plenius innotescat hos esse fratres eius. Sic in ecclesia conuersi ex Iudæis superstitiosi erant, meliores se gētibus credebāt, egrè ipsos admittebant ad Ecclesiam. Apostoli ad tēpus condescendebant, sed non semper: cum enim Christus clarè prædicatus esset, noluit Paulus amplius propter Iudæos, seruare legalia, &c. Non amplius curabat scandalum AEgyptiorum. *Gala.2*

Sederunt coram eo primogenitus, &c.

Quo quisque natu prior erat eo sedit & superior, & econtra. Nec Christus in Ecclesia vult confundi ordinē,

vt qui

vt qui infimus sit supremus esse velit, & quilibet alterius officium vsurpare,&c.Imo vult ordinem seruari. Omnes quidem Christiani sumus,& in hoc similes sumus,sed interim vnum membrum dignius est alio, non quia membrum,sed quia dignius officium habet,dedit enim Christus alios Apostolos,alios Euangelistas,&c.Quisquis igitur eum locum teneat,quem Deus sibi assignauerit. Eodem modo etiam in futuro erit. Distributio meritorum & mansionum secundum differentias meritorum. Dabit
Matt.16. enim vnicuique secundum opera sua Christus iudex.

Mirabantur sumptis partibus,&c.

Meritò mirantur quòd homo extraneus, vt putabant, tam ordinatè omnes iuxta cuiusq; ætatem collocauerat. Nec tamen vel hic quicquam suspicantur, ne fortè esset Ioseph. Nam secūdum Hebræos Ioseph simulabat se hæc per diuinationem fecisse. Sumunt autem partes de mensa ipsius,quamuis seorsum comedebant. Sic Christus etiam de sua mensa fidelibus partes mittit,quantumuis ipse videatur seorsum sedere. Quòd autē fratri suo vterino maiora & plura mittat quàm aliis,ideo fecit vt ipsos probaret:si propter hoc inuidere ipsi vellent. Mysticè autē qui minimus est,id est humilimus, is maiora dona percipit à
1.Pet.5. Deo. Deus enim superbis resistit,humilibus dat gratiam. Hi enim magis idonei sunt suscipere gratiam Dei.

Biberunt & inebriati sunt cum eo,&c.

Ebrietas hic non in malam partem sumitur. Nihil enim ebrietatis reprehēsibilis hic erat,sed satietatis intelligit,
Psal.64 quemadmodum in Psal. Visitasti terram & inebriasti eam, id est,irrigasti. Omnia hæc tam læta & prospera eis obtigerunt propter preces patris,qui non cessabat orare: O-
Iaco.5. ratio iusti multum valet.

Caput quadragesimum quartum.

PRæcepit autem Ioseph dispensatori domus suæ, dicens: Imple saccos eorum frumento,quantum possunt capere: & pone pecuniā singulorum in summitate sacci. Scyphum autem meum argenteū, & precium quod dedit tritici,pone in ore sacci iunioris,factumq; est ita. Et orto mane,dimißi sunt cum asinis suis,

Iamque

Iamq; vrbem exierant, & processerant paululum: tunc Ioseph accersito dispensatore domus, ait: Surge, inquit, & persequere viros: & apprehensis dicito: Quare reddidistis malum pro bono? Scyphus quem furati estis, ipse est in quo bibit dominus meus, & in quo augurari solet: pessimam rem fecistis. Fecit ille vt iusserat. Et apprehensis per ordinem locutus est. Qui responderunt: Quare sic loquitur dominus noster, vt serui tui tantum flagitii cõmiserint? Pecuniam quam inuenimus in summitate saccorum, reportauimus ad te de Terra Chanaan: & quomodo consequens est vt furati simus de domo domini tui aurum vel argentum? Apud quẽcunque fuerit inuentum seruorum tuorum quod quaeris, moriatur, & nos erimus serui domini nostri. Qui dixit eis: Fiat iuxta vestram sententiam: apud quemcunque fuerit inuentum, ipse sit seruus meus, vos autem eritis innoxii. Itaque festinato deponentes in terram saccos, aperuerunt singuli. Quos scrutatus, incipiens à maiore vsque ad minimum, inuenit scyphum in sacco Beniamin. At illi scissis vestibus, oneratisq; rursum asinis, reuersi sunt in oppidum. Primusq; Iudas cum fratribus ingressus est ad Ioseph (nedũ enim de loco abierat) omnesq; ante eum pariter in terram corruerunt. Quibus ille ait: Cur sic agere voluistis? an ignoratis quòd non sit similis mei in augurandi scientia? Cui Iudas, Quid respondebimus, inquit, domino meo? vel quid loquemur, aut iustè poterimus obtendere? Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorũ: en omnes serui sumus domini mei, & nos, & apud quem inuentus est scyphus. Responditque Ioseph: Absit à me vt sic agam: qui furatus est schyphum, ipse sit seruus meus, vos autem abite liberi ad patrem vestrum. Accedens autem propius Iudas, confidenter ait: Oro domine mi, loquatur seruus tuus verbum in auribus tuis, & ne irascaris famulo tuo, tu es enim post Pharaonem dominus meus. Interrogasti prius seruos tuos: Habetis patrem aut fratrem? & nos respondimus tibi domino meo: Est nobis pater senex, & puer paruulus, qui in senectute illius natus est, cuius vterinus frater mortuus est: & ipsum solum habet mater sua, pater verò tenerè diligit eum. Dixistiq; seruis tuis: Adducite eum ad me, & ponam oculos meos super illum. Suggessimus domino meo: Non potest puer relinquere patrem suum: si enim dimiserit, morietur. Et dixisti seruis tuis, Nisi venerit frater vester minimus vobiscum, non videbitis amplius faciem meam. Cùm ergo ascendissemus ad famulum tuum patrem nostrum, narrauimus ei omnia

omnia quæ locutus est dominus meus. Et dixit pater noster, Reuertimini, & emitte nobis parum tritici. Cui diximus, Ire nō possumus: si frater noster minimus descenderit nobiscum, proficiscemur simul: alioquin illo absente, non audemus videre faciem viri. Ad quæ ille respondit: Vos scitis quod duos genuerit mihi vxor mea. Egressus est vnus, & dixistis: Bestia deuorauit eum: & huc-usque non comparet. Si tuleritis & istum, & aliquid ei in via cōtigerit, deducetis canos meos cum mœrore ad inferos. Igitur si intrauero ad seruum tuum patrem nostrum, & puer defuerit, (cum anima illius ex huius anima dependeat) videritq; eum non esse nobiscum, morietur, & deducent famuli tui canos eius cum dolore ad inferos. Ego propriè seruus tuus sim, qui in meam hunc recepi fidem, & spopondi dicens: Nisi reduxero eum, peccati reus ero in patrem meum omni tempore. Manebo itaque seruus tuus pro puero in ministerio domini mei, & puer ascendat cum fratribus suis. Non enim possum redire ad patrem meum absente puero: ne calamitatis, quæ oppressura est patrem meum, testis assistam.

IN hoc capite filiis Iacob noua crux oboritur, eaq; maxima atque omnino insperata. Tam benignè enim à Ioseph excepti ac vino refecti, omnium præteritorum malorum obliti erant: Nec futurū quicquam timebant. Adeo modica consolatione omnes curas eijcimus filij Adam. Videbimus autem hic quis sit finis mundani gaudij, nempe quòd extrema gaudij luctus occupat, & quod
Prou.14. vini potum sequitur amaritudo cordis. Bene igitur Salo
Eccle.2. mon, gaudio dixi, quid frustra deciperis.

Præcepit Ioseph dispensatori, &c.

Factum hoc Iosephi primò videtur inhumanum, vt eos sic affligeret, qui omnibus modis ipsum honorauerant. Verùm nouerat ille cur hæc faceret, non enim vexandi, sed probandi causa hæc faciebat. Sic & Deus nobis aliquando videtur nimis facere. Ipse tamen scit cur omnia faciat, imo ad bonum nostrum omnia facit. Non cogito
Ierem.29 inquit cogitationes afflictionis, sed pacis, &c. Deinde videtur esse calumniosum & planè tyrannicum quod Ioseph hic agit, maximè quod innocentissimo inter fratres sic imponit. Sic enim solent tyranni maximè grauare pios & simplices, nec vlla innocētia tuta est, vbi dolis & frau-

fraudibus res agitur. Sensit hoc Vrias Etheus, sensit Naboth Israelita, senserunt Israelitæ in AEgypto. Cæterũ non malo animo hoc fecit Ioseph, alioqui maximè peccasset, sed tantum vt probaret fratres, probauerat eos verè pœnituisse, de eo quòd ipsum vendiderant. Probauerat item eos quod nihil mali in Beniamin machinati fuerint, & tertiò quod nec illi inuidebant quòd plures ei partes in cœna obtigissent, nunc probare vult eos num verè fratrem diligant. Cum autem charitas maximè in periculis probetur, instruit vt in periculum & quidem magnũ veniat Beniamin, visurus num ei assistere velint. In hunc modum etiam Deus nos tentat, non vt perdat, sed vt probet, num timeamus eum. Quanquam rarus sit qui in omni tentatione persistat, persistebat Dauid in ad uersis, in prosperis ruebat, econtra Iob in prosperis persistebat, in aduersis autem nescio quæ contra Deum loquebatur, vnde & postea seipsum excusabat.

2. Reg. 11
3. Reg. 21
2. Reg. 11
Iob. 24.

Et orto mane dimißi sunt, &c.

Securi erant filii Iacob, & interim tanta contra ipsos machinabantur Ioseph & dispensator eius. Sic plerũq; dum nos ludimus, sententia damnationis in cœlo super nos fertur. Securi erant Sodomitæ, interim Deus dicebat ad Abraham: Clamor Sodomorum venit coram me. Securi erant AEgyptii, interim dominus ad Mosen dicit: Clamor filiorum Israel venit ad me, &c. Secure blasphemabat Sennacherib, interim sententia domini super eum lata Esaiæ manifestatur. Et quis scit quid nobis ludentibus dominus contra nos sentenciet: Timeamus igitur iudicia Dei.

Exod. 3.
4. Reg. 19

Surge persequere viros, &c.

Videtur Ioseph hic seruum instruere vt mẽtiatur, imo videtur etiam ipse infra mẽtiri cum dicit: Nescitis quòd non sit similis mei in augurandi scientia? Verum nõ omnino mentitur qui fallere non intendebat, quanquã nihil opus est eum excusare, fuit enim & ipse homo. Quòd si quem hæc offendunt in Ioseph, attendat eius virtutes, de quibus hactenus audiuimus, & satis habebit quod imitetur. Vide autem quantum terrorem fratribus incutiat. Primò iubet ipsos persequi, nimirum cum tumultu, vt

vel à longè videntes terrentur. Secundò cum seruus adest, primò ingratitudinem illis impingit, quia nihil fœdius etiá inter gentes, quanto magis inter Christianos, secúdò furti eos accusat, nec simplicis alicuius furti, sed magni. Syphus inquit quē furati estis, nedū magni valoris est, sed insuper ad magnū dominū spectat. Imò & ad plures vsus. Nō inquit tantum ex eo bibit, sed quod maius est, in eo auguratur. Postremò vt omnibus modis terreat dicit: Malam rem fecistis, quasi dicat: Nec impunè feretis. Sic igitur ille idē seru⁹, qui supra eos etiá insigniter consolatus fuerat, nunc tam sæuerè eos terret. Sic & apostoli mandatū habent vt consolentur & terreant, id est, legem & Euangelium prædicent, soluant & ligent, quorum alterum si quis neglexerit, non est bonus & fidelis dispensator super domum Ioseph.

Quare sic loquitur dominus meus, &c.

Fiducialiter respondent, quia cōscientiá habēt boná. Qui malam habent conscientiá statim terrentur, ac seipsos produnt. Primò autē ingratitudinis notá abstergūt cum se nominát seruos, quasi dicat, nō obliti sumus beneficiorū, sed perpetuo memores erimus. Secúdò abstergunt notá furti: Absit inquiūt vt serui tui hoc malū fecerint. Christianos oportebat sic loqui, vt verbis Pauli satisfacerent, fornicatio & auaritia, &c. ne nominetur in vobis. Tertiò innocentiá persuadere contendunt, pecuniam inquiunt reportauimus, & quomodo cōsequēs est. Postremò ipsi sententiá ferunt cōfisi de sua innocentia: Apud quem inuentū fuerit moriatur. In hoc aūt nimiū temerarij sunt, discretius fuisset si dixissent: Qui reus fuerit inuētus moriatur. Nemo præsumat de sua iustitia, vbi enim Deus scutari incipiet, inueniet quæ nos nō timebamus. Hinc Dauid: delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me, Et iterū: Non intres in iudiciū cū seruo tuo, &c. vnde & Amos: væ inquit desiderantibus diē domini, Ad quid eá vobis? Nō scitis quòd dies Domini tenebræ & nō lux? quasi si quis fugiat leonē & occurrat ei vrsus, &c. Sic apud eum inuentus est scyphus, qui omniū innocentissimus & videbatur & erat. Sic pii plerūq; falsis criminibus obruūtur, impiis & noxiis euadētibus. Verū

Ephes. 5.

Psal. 18.

Psal. 124

Amos 5.

euadunt

euadũt quidẽ impij,sed nõ semper nec perpetuo. Et calũniam patiuntur iusti,sed tandẽ eo maior erit gloria eorũ.

At illi scißis vestibus & oneratis, &c.

Hic iam deprehẽsi tacent,nil respondere valentes. Sic vbi Deus scrutatus fuerit corda nostra,cessabit gloriatio nostra. Videmus autẽ hic exemplum veræ charitatis, poterant ipsi incolumes abire,sed nolũt fratrem relinquere in periculo:nec in ipsum fratrẽ exardescũt ira,sed omnes cum ipso reuertuntur, cum ipso procidunt:deniq; etiam pro ipso loquuntur. Optimẽ igitur emendarũt,quod impiẽ in Iosephum cõmiserunt,optimẽ malũ illud factũ hac charitate obtexerunt,nã charitas operit multitudinẽ peccatorũ. Talem charitatẽ Christus nobis ostendit, pro nobis moriendo. Itẽ Apostoli pro vtilitate nostra se periculis offerendo. Vbi nunc simile quiddã videtur in nobis? Nemo pro alio se opponit,sed omnes in necessitate deserimus amicos. Discamus hic quid agendũ nobis sit,dum prædicator peccata nostra deprehẽdit, vt negare nõ possimus. Primò non porro pergamus in peccatis alia addentes, nec fugiamus, nec excusemus, sed primò scindamus corda Secundò redeamus ad pœnitentiam vnde discessimus. Tertiò recta pergemus ad Christum,confisi de eius pristina bonitate. Quarto procidamus coram eo,humiliemus nos, Quinto Iudas,id est,confessio pro nobis loquitur. hunc enim exaudit Christus.

Quid hoc facere voluistis?

Primo omniũ eis obijcit ingratitudinẽ, qua nihil dãnabilius in filiis gratiæ. Hãc & etiã Christus in iudicio obijciet impiis: Esuriui inquit,& nõ dedistis mihi cibũ,quasi dicat, Ego qui tãta vobis præstiti tã ingratos vos inueni, vt ne panẽ quidẽ pauperi propter nomen meũ dederitis. Ite ergo maledicti,&c. Deinde simulat se augurẽ,nõ quod verẽ fuerit,sed quòd Aegyptii sic eum nominarent,propterea quòd somnia regis exposuisset, & futura prædixisset. Est aũt sensus: Nescitis quod non sit mei similis,q. d. cogitandũ vobis erat me occulta scire, atq; ideo peccatum vestrũ non laciturũ,& vel hoc vos retrahere debuit. Sic meritò nos retrahere deberet quod Deus omnia scit, & oculis eius omnia patent. Nunquid Deus à longe ego Matt. 25.

sum & non Deus de prope. Si occultabitur vir & non vi-
Iere. 23. debo eum,&c.

Quid respondebimus domino nostro,&c.

Charitatis est quòd fratre indubiè territo, respondet Iudas. Item quod non ipsi tantum culpam imputat, sed in plurali loquitur, quasi omnes in culpa essent. Prudentiæ autem est quod omissa omni excusatione & querela confitetur. Sic enim solent Rethores in re desperata ad commiserationem inducere iudicem. Discamus hinc sæ ueritatem diuini iudicii agnoscere, & præcauere, vbi re rè deprehensus peccator nec respondere, nec loqui, nec quicquam prætexere audebit. Singuli igitur Christiani hæc verba Iudæ apud se pensitent, & quotidie dicant quid in illo die respondebimus, &c. Hoc sanctus Iob
Iob. 9. præcogitabat. Si voluerit (inquit) contendere cum illo, non respondebo vnum pro mille.

Deus inuenit iniquitatem seruorum tuorum, &c.

Peccatum suum coram patre celauerant, ne ab ipso arguerentur, hoc nunc coram alieno (vt putabant) confiteri coguntur. Sic qui peccatum confiteri renuit, fratri compatienti & consulenti, tandem coram toto mun-
Psal. 31. do confiteri cogetur. Hoc præsciens Dauid: dixi inquit confitebor aduersum me iniustitiā meā domino, & tu remisisti impietatem peccati mei. Deinde fatentur se merito puniri, nō murmurant contra Deum, sed iustum cō-
Dan. 9. fitentur, quemadmodum & Daniel in captiuitate Babylonica. Videmus hic Deum vel tandem inuenire pec-
Dan. 13. cata impiorum, quantumuis dissimulet. Sic Daniel impio iudici dicit. Inueterate dierum malorum, modo venerūt peccata tua quæ operabaris, &c. Postremò seipsos seruitutem commeruisse pronunciant: En serui tui sumus. Mirabile iudicium Dei: quicquid impiè in Iosephum exercuerāt, hoc nunc etiam ipsi patiuntur. Constituerant eū in timore mortis, iam & ipsi in eodem timore sunt, vendiderant eum in seruum, iam etiam seipsos in seruitutem addicere coguntur. Iustus dominus & rectum iudicium
Luc. 6. eius. Qua mensura mensi fueritis (dicit Christus) remetietur vobis. Videmus etiam hic exemplum charitatis, quòd vna cum fratre pericula & pœnam subire parati sunt.

sunt. Omnia hæc lætus audiuit & vidit Ioseph, quanquã adhuc dissimularet. Sic Christus gaudet vbi nos pietatẽ colere, & charitatem seruare conspexerit. Gaudebit inquit sponsus super sponsam, & gaudebit super te Deus tuus, &c. *Esa. 62.*

Absit à me vt faciam hanc rem, &c.

Putabant Iosephum commouendum ad misericordiã, ex miserabili eorum prostratione & humili confessione. At nunc id verbum audiunt quo vel maximè enecãtur, quod enim maximè timuerant, hoc nũc accidit. Iam ipsis ob oculos versatur, miserabilis luctus & secutura mors patris, nec quo se vertant sciunt. Non habent quo Beniamin liberent, nec sine ipso reuerti audent. Hoc autem ideo dixit Ioseph, vt probaret quomodo se in patris doloribus haberent: probauerat eos pœnitere de venditione sua, itẽ inuenerat quòd nihil machinassent in Beniamin, item quod nec ei inuiderent, item quòd cũ amarent, ac pro ipso periculis se exponere parati essent. Nesciebat autem quales essent in patrem, ideo se ostendit quasi patri eorum dolorem in retentione dilecti filii inferre velit, vt hinc discat quàm indoleant miseriis patris, &c.

Oro domine mi loquatur seruus tuus,

Iudas pro Beniamin spospõderat, ideo præ aliis nunc eius negotium agit, propius accedit, fiducialiter loquitur, extrema remedia quærit, si fortè mouere posset, vtitur autem oratione elegantissima, & quæ etiam extraneũ mouere posset. Primò captat beneuolentiam, sæpius se nominando seruum, &c. Secundò orat vt loqui possit quæ vult. Sic enim apud principes mundanos gratiæ loco ducitur, si pauperibus audientia detur. Cum Moses primos populi sui iudices instituendo dixerit: Ita paruũ audietis vt magnum, &c. Tertio Pharaoni ipsum comparat: Tu inquit es post Pharaonem dominus meus, vbi interim semper nescius implet quod omnibus modis impedire conatus fuerat, nempe ne Iosepho subiiceretur. Sed quæ Deus decreuit, nemo infringere potest. Deinde omnibus modis fratrem eripere studet, nullum non mouens lapidem. Primò recenset miseriam patris iam iam *Deut. 1.* *Esa. 14.*

 mori-

morituri, si quo modo Iosephũ mouere posset, quasi dicat, si nos venia indigni sumus, at pater senex cui paratur orbitas, nihil in te cõmisit. Interim dum hoc agit Iudas, cogitur etiã mendacia sua & fratrẽ detegere. Vos inquit scitis, &c. Sicque Ioseph, nunc primũ didicit quibus mẽdaciis venditionem suam coram patre colorauerant. Secundò Iudas allegat sponsionem suã pro fratre, vt sic eũ liberare posit. Tertiò ostendit se magis idoneum ad seruitium quàm puerum illum. Abeat inquit puer, Ego qui fortis sum maneam. Postremò omnibus modis negat se rediturum sine fratre, non enim se ferre posse miserã mortem patris: quo verbo satis ostendit quantum sollicitus sit de patre, quod potius seruitutem eligeret, quã patri dolorẽ conciliaret. Hoc aũt quęrebat Ioseph, ideo nõ poterat se amplius cõtinere: inuenerat eos in omnib' vt volebat Sic Deus suos probat, non in vno aut altero nõ in prosperis tantũ, sed etiam in aduersis. Et cum probatos eos inuenerit tunc se benignissimũ ostęndit. Omne igitur gaudium æstimemus, si in tentationes varias inciderimus, &c. Patienter feramus manum domini, perstemus in bono. Ecce dominus stat post parietẽ: videt nos certantes, iamq; præmia disponit & præparat, &c.

Caput quadragesimum quintum.

Non se poterat vltra cohibere Ioseph multis coram astantibus: vnde præcepit vt egrederentur cuncti foras, & nullus interesset alienus agnitioni mutuæ. Eleuauitq; vocem cũ fletu: quã audierunt AEgyptii, omnisq; domus Pharaonis. Et dixit fratribus suis: Ego sum Ioseph: adhuc pater meus viuit? Non poterãt respondere fratres nimio terrore perterriti. Ad quos ille clementer: Accedite, inquit, ad me. Et cũ accessissent propè. Ego sum, ait, Ioseph frater vester, quem vendidistis in AEgyptum. Nolite pauere, neque vobis durum esse videatur quod vendidistis me in his regionibus: pro salute enim vestra misit me Deus ante vos in AEgyptum. Bienniũ est enim quòd cœpit fames esse in terra: & adhuc quinque anni restant: quibus nec arari poterit, nec meti. Præmisitque me Deus vt seruemini super terram, & escas ad viuendum habere posßitis. Non vestro consilio, sed Dei voluntate

tate huc missus sum: qui fecit me quasi patrem Pharaonis, & dominum vniuersæ domus eius, ac principem in omni Terra AEgypti. Festinate, & ascendite ad patrē meum, & dicetis ei: Hæc mandat filius tuus Ioseph : Deus fecit me Dominum vniuersæ Terræ AEgypti: descende ad me, ne moreris, & habitabis in Terra Gessen: erisq; iuxta me tu, & filii tui, & filii filiorū tuorū, oues tuæ, & armenta tua, & vniuersa quæ possides. Ibique te pascā (adhuc enim quinque anni residui sunt famis) ne & tu pereas, & domus tua, & omnia quæ possides. En oculi vestri & oculi fratris mei Beniamin vident quod os meum loquatur ad vos. Nuntiate patri meo vniuersam gloriam meam, & cuncta quæ vidistis in AEgypto: festinate, & adducite eum ad me. Cumq; amplexatus recidisset in collum Beniamin fratris sui, fleuit: illo quoque similiter flente super collum eius. Osculatusque est Ioseph omnes fratres suos, & plorauit super singulos: post quæ ausi sunt loqui ad eum. Auditumque est & celebri sermone vulgatum in aula regis, Venerunt fratres Ioseph, & gauisus est Pharao atque omnis familia eius. Dixitq; ad Ioseph vt imperaret fratribus suis, dicens: Onerantes iumenta, ite in Terram Chanaan, & tollite inde patrem vestrum & cognationem, & venite ad me: & ego dabo vobis omnia bona AEgypti, vt comedatis medullam terræ. Præcipe etiam vt tollant plaustra de Terra AEgypti, ad subuectionem paruulorum suorum ac coniugum: dicito: Tollite patrem vestrum, & properate quantocyus venientes. Nec dimittatis quicquam de supellectili vestra: quia omnes opes AEgypti, vestræ erunt. Feceruntque filii Israel vt eis mandatum fuerat. Quibus dedit Ioseph plaustra, secundum Pharaonis imperium: & cibaria in itinere. Singulis quoque proferri iussit binas stolas, Beniamin vero dedit trecentos argenteos cum quinque stolis optimis: tantundem pecuniæ & vestium mittens patri suo, addens eis asinos decem, qui subueherent ex omnibus diuitiis AEgypti. & totidem asinas, triticum in itinere, panesque portantes. Dimisit ergo fratres suos: & proficiscentibus ait, Ne irascamini in via. Qui ascendentes ex AEgypto, venerūt in Terrā Chanaan ad patrem suum Iacob. Et nuntiauerunt ei, dicentes: Ioseph filius tuus viuit: & ipse dominatur in omni terra AEgypti. Quo audito Iacob, quasi de graui somno euigilans, tamen non credebat eis. Illi contra referebant omnem ordinem rei. Cumque vidisset plaustra & vniuersa quæ miserat, reuixit spiritus eius,

& ait: Sufficit mihi si adhuc Ioseph filius meus viuit: vadam & videbo illum antequam moriar.

IN hoc demum capite filiis Iacob, imo & ipsi patri omnia læta contingunt Hic omnis eorum tristitia in gaudium inopinatum vertitur, hic post tempestatem redit serenitas, &c. Multipliciter eos hactenus terruerat Ioseph, iam hic econtra consolatur. Hic se ostendit qualis sit, & quòd præcedentium nihil malo animo fecerit. Hic denique se non dominum qui timendus sit, sed fratrem quem ament, & à quo omnia bona sperent ostendit. In omnibus autem & singulis Christi typum gessit. Nam & ipse Christus primo terret, Dein consolatur suos. Terret per legem, consolatur per Euangelium. Infundit vulneribus nostris vinum, sed superaddit etiam oleum pius Samaritanus.

Non se poterat vltra continere Ioseph, &c.

Patet ex hoc verbo, quod hactenus contra naturam suam inuitus, & quasi vim sibi faciēs, durum se simulauit. Non autem potuit se vltra continere: nec debuit, quia iam fratres satis probauerat, & in omnibus emendatos inuenerat, quare iniustum fuisset vlterius vexare eos. Deinde quia acceperat grandem fuisse pro se patris calamitatem, noluit eam calamitatem innouare aut augere, ne impius in parentem probaretur. Postremò mouebat eum fratrum miseria & angustia, maximè autem necessitas vterini fratris, & lamentabilis oratio Iudæ. Non se poterat vlterius continere. Eodem modo & filius Dei, cum longo tempore vidisset miseriam generis humani, audissetq; gemitus piorum, & tamen dissimulasset suam dilectioné, vt iam desperationi proximum esset genus humanum, vltimatè tamen cum res ad summum venisset, & homo nec seipsum adiuuare posset, nec ab alio adiuuaretur, tunc se continere non potuit filius Dei. sed descendit incarnatus natusque est, seque non dominum quem hactenus simulauerat, sed planè fratrem ostendit. Ac inopinato
Luc. 2. gaudio genus humanum affecit, vnde & in eius natiuitate angelus annunciauit hominibus gaudium & pacem. Tunc enim aperuit super nos viscera misericordiæ suæ visi-

visitans nos & oriens ex alto: illuminare eos qui in tenebris & in vmbra mortis sedent, &c. *Luc. 1.*

Præcepit vt egrederentur cuncti foras, &c.

Hoc fecit vt liberior exultatione mutua gestiendi licentia esset, & perditio fratrum nõ reuelaretur externis. Vbi videmus veræ charitatis exemplum: Nedum enim fratribus ex animo ignouit, sed etiam curauit ne aliquo modo infirmarentur. tegenda sunt fratrum peccata non propaláda, maximè cum videmus eos pœnitere. Et Christus quoque natiuitatem suam celauit AEgyptiis, id est, principi huius mundi & mundanis hominibus. Indigni enim erant qui huic agnitioni interessent. Solis igitur pastoribus ex Iudæis, & magis ex gentibus se manifestauit. Esurientes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes, &c. *Luc. 1.*
Sic & postea non multos potentes, sapientes, nobiles, elegit, sed quæ stulta sunt mundi, &c. hisque misteria illa reuelauit, quæ nemo principum huius seculi cognouit, *1. Cor. 1.* vnde in Euangelio dicit: Abscondisti hæc à sapientibus & prudentibus, & reuelasti ea paruulis, &c. *Matt. 11.*

Eleuauit vocem cum fletu, &c.

Venerat enim dolor quasi vsque ad partũ, & vires non *4. Re. 14* erant pariendi. Nam quomodo mulier grauida tristitiam habens, quando imminet hora eius, tacet quidem & silet quantum potest & potens est, hora autem ipsa qua parturit, loquitur & erumpit & clamat, nec se continere po- *Ioan. 16.* test, quin dolori inualescenti clamore satisfaciat. Sic ille qui hactenus continuerat se, vtcumque gemitus intercidens & abscondendo deglutiens, nunc cum clamore vocis erumpit, ac gaudio animi satisfacit. Et Christus quoque in diebus carnis suæ cum se nobis ostenderet fleuit: maximè in sua natiuitate, nõ quidem propriam miseriam, *Hebr. 5.* sed nostram deplorauit. Videbat nos miseros, & eo magis miseros quòd miseriam nostram non agnoscebamus. Ridebat homo, ludebat in tantis malis. Hoc videns filius Dei, deposita corona sua formam serui suscepit, ac plorare incepit, vt vel sic ad agnitionem & deplorationem miseriæ nostræ perduceret.

Audierunt etiam AEgyptij, &c.

Non vocem fletus, sed famam, quòd scilicet fleuisset.

Nihil velocius fama, tegi & occultari non poteſt, quod à magnatibus agitur, ſiue bonum ſit ſiue malum. Quare cau ti ſint & prudenter agāt. Fleuit autem Ioſeph, partim prę gaudio quòd fratres tam emendatos inuenerat, partim ex commiſeratione qua eos in tanta miſeria videbat, par tim ex admiratione prouidentiæ Dei, qua ſcilicet factum erat vt fratres ſecum haberet, & pater adhuc viueret, & ſibi adeſſet benefaciendi illis & cauſa & oportunitas. Etiã

Matt.2. Chriſti natiuitatem audierunt impij, Herodes ſcilicet & Ieroſolymorum ciues, verùm nihil inde meliores effecti, quin potius inde turbati ſunt. Atq; ſicut Ioſeph nihil curat quid audierint Aegyptij, vel quomodo inde afficiantur, ſed pergit ſe fratribus inſinuare, ſic & Chriſtus pergebat noſtram ſalutem operari, vellent, nollent impij.

Ego ſum Ioſeph, &c.

Longe alia vox eſt quàm hactenus audierant. Imo nec Aegyptiis hoc nomine cognitus erat, ſed ſolis fratribus manifeſtat. Et Chriſtus aliud nomen apud impios habet quàm apud pios: illis enim iudex eſt, his autem ſaluator. Deinde etiam Chriſtus in ſua manifeſtatione aliter locu-

Hebr.1. tus eſt quàm prius. Prius enim per prophetas multipharià

Eſai.52. loquebatur, nunc autem qui loquebatur inquit, ecce aſſum. Denique Chriſtus verè dicere potuit. Ego ſum Ioſeph, id eſt, accreſcens. Ipſe enim eſt vitis illa quæ in tot propagines creuit, vt impleret terram. Ipſe eſt lapis ille

Danie.2. qui creuit in montem, ipſe creuit in multos populos, imo vſque ad dexteram patris.

Adhuc pater meus viuit? &c.

Primò omnium de patre inquirit, quod boni filij eſt exemplum, quanquam non tam quærẽdo hoc dicit quàm admirando, quomodo in tantis calamitatibus, & tam diu viuere potuiſſet. Et Chriſtus in ſua apparitione patrem recordatus eſt, iuxta illud: Viſitauit & fecit redemptionẽ plebis ſuæ, &c. Ad faciendam miſericordiam cum patri-

Luc.1. bus & memorari teſtamenti ſui ſancti. Memor enim promiſsionis patribus factæ venit in carnem. Deinde nõ tantum ad ſalutem eorum qui tunc erant aut futuri erãt, ſed etiam eorum qui præceſſerunt venit. Nam etiam patres antiqui per eum ſalutem conſecuti ſunt.

Non poterant respondere, &c.

Nec mirum, cogitabant quid mali in ipsum commisissent: videbant ipsius potentiã, & se in manu eius esse, nullum auxilium cernebant nec effugium: Denique terrebat eos pristina illa Ioseph duritia, nesciebant quanto amore cor ipsius æstuaret. Imo mirum quomodo audita hac voce stare potuerunt, quòd non corruerint præ metu. Eodẽ modo si Christus in potestate sua primo venisset, nemo nostrum constare potuisset. Qui enim propria peccata considerat, & Dei iustitiam & potentiam, quomodo non timeret ad aduentum domini? id quod pulchrè videmus in Adam, qui ad vnam Dei vocem territus fugit, & se abscondit. Ob hanc causam Christus primo humilis & plenus charitate apparuit, ne calamum quassatum confringeret, & linum fumigans extingueret: vnde in eius typum & Ioseph statim consolatur fratres, & accedere iubet omni metu deposito. Et quid aliud clamat Christi infantia, paupertas, infirmitas puerilis, &c. quàm accedite. Non in hoc appareo vt iudicem sed vt saluem. *Gene. 3.* *Esai. 42.*

Ego sum Ioseph frater vester, &c.

Nõ ideo vẽditionis suę meminit quod exprobrare vellet fratribus, sed vt hoc tanquã certo signo scirent ipsum esse fratrem suũ, nemo enim alius illud scire poterat. Et nos quoq; Christũ vendidimus, in peccatis enim nostris captus est, vnde dicit: Seruire me fecisti in peccatis tuis. *Esa. 43.*

Nolite timere nec durum vobis videatur.

Pluribus verbis eos consolatur. Ac primo omniũ timorem ipsis eximere studet, non tamen omnẽ timorem. Cũ enim dicit: Nolite timere, subaudiẽdum est me, vel meam iram aut vindictam. Non vult autem eos esse sine timore Dei, imo timor Dei illis necessarius erat, præsertim in tali scelere. Sic & Christus vbique nobis timorẽ eximere studet verbis & factis, id quod totũ Euangeliũ testatur. Nõ tamen ita timorem eximit vt carnales intelligunt, quasi deinceps liberè sine timore possint peccare, & quasi Deus nunquam puniturus sit peccata, Sed ita eximit timorẽ vt securè & fiducialiter ad ipsum accedamus. Aliàs aũt in Euãgelio dicit: Ostendã vobis quẽ timeatis, Timete eũ qui postquam occiderit habet potestatẽ mittere in gehennã. *Matt. 10.*

Non

Non vestro consilio, sed Dei voluntate huc, &c.

Non culpam illorũ nullam facit hoc dicendo, sed pro conscientia animi timore perterritis nec audentibus loqui, sceleris sui magnitudinem ad horam tegere, vt sapiẽs medicus, satagit. Verè autem non ipsorum consilio huc peruenerat. Ipsorum enim cõsilium erat, vt nihil illi prodessent somnia sua, sed Dei voluntas aliud voluit. Nec Christus nostro consilio in mundum venit, sed Dei voluntate. Sic Iudæorum consilium fuit vt dicerent contra Christum, quando morietur & peribit nomen eius? Dei autem consilium erat vt per passionem mortis, gloria & honore coronaret Christum.

Psal. 40
Heb. 2.

Pro salute vestra misit me Dominus.

Pergit consolari, Inculcat ipsis prouidentiam Dei, qua factum est, vt sic exaltaretur. Cæterùm omnia hæc etiam de Christo intelligi possunt. Primò enim pro salute nostra missus est iuxta illud: Non misit Deus filium suum vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Trãsierat aliquantulum famis, sed maior fames restabat: nimirum æterna. Biennium inquit est quòd cœpit fames, &c. In æterna illa fame nec arari nec meti poterit. Venit nox inquit, in qua operari nemo potest. ideo præmissus est Christus vt reseruemur. Denique etiam in Christum cõpetit quod Ioseph dicit: Deus fecit me quasi patrem Pharaonis, &c. Verè enim huiusmodi tituli in Christum competunt. Est pater est dominus super domum Dei, & princeps Aegypti, id est, mundi. Tametsi mundus eum nondum agnoscat, subijcientur tamẽ ei omnia. Et inimici eius scabellum pedum eius erunt.

Ioan. 3.
Ioan. 9.
Psal. 109

Festinate, & ascendite ad patrem meum, &c.

Qui iusto patris desiderio sic festinat, nunc, quomodo hactenus potuit perpeti moras? Videlicet quia si prius patrẽ inuitasset, quàm cõgregatos ad se & recõciliatos fratres sub spe solidissima cõposuisset, grandem nimis in domo patris turbam cõcitasset, tunc enim pater in filios iratus, forsan illos iure à se abdicasset, tunc filij ipsi in se mutuo coorti essent, vnus in altero culpã conijciendo, sicq; ab inuicem separati essent. Imo nunquam ex animo Iosepho bene voluissent, qui eos prodidisset, & vetus odium

reno-

renouatũ omnino fuiſſet. Tacuit igitur hactenus Ioſeph, ne tantam turbationem excitaret. Nunc autem re cũ fratribus peracta,& reconciliatione perfecta,nihil turbationis timeri poterat,vnde iubet feſtinato hæc patri nunciare. Sic etiam Chriſtus,qui tam diu diſtulerat Iudæos & gentes in vnam fidem conuocare,in ſua natiuitate ſtatim & feſtinato vtroſq; vocauit,Iudæos per angelum, Gẽtes per ſtellam. Ideo aũt prius diſtulit,quia adhuc ſtabat paries ille qui Iudæos & Gẽtes dirimebat, Lex ſcilicet Moſi, qua ſtante conuenire non poterant Iudæi & Gentes, Chriſto autem nato concidit paries ille,impleta eſt lex & figuræ,ideo tunc ſtatim feſtinauit vtroſq; vocare. Abolita enim lege nihil obſtat,quo minus Iudæi & Gentes in vnam Eccleſiam conueniant. *Luc.2. Matth.2. Epheſ.2.*

Deus fecit me dominum vniuerſæ terræ, &c.

Vbiq; prudenter & piè loquitur:Non dicit,Pharao me fecit dominum,&c.Nec dicit,Sapientia & induſtria mea hoc conſecutus ſum, ſed, Deus hoc fecit. Sic pij omnia Deo aſcribunt.Hoc autẽ verbo iterum & fratres & patrẽ admonet prudentię diuinę,vt cogitent quàm mirabiliter Deus humiles exaltat,& ſuperbos humiliet.Me inquit tãtopere humiliatum Deus in tantũ faſtigium exaltauit.Nemo igitur in ſua deiectione & humilitate deſperet, nemo in ſua gloria confidat.Eſt qui è carcere venit ad regnum, & qui è regno venit ad carcerẽ. Signanter aũt obſeruandũ,quòd Moſes nõ in ſua,ſed in aliena exaltatur terra. Si certum fuiſſet ipſum olim exaltandũ,omnes ſuſpicati fuiſſent hoc in ſua terra implendum.Verùm Deus ait, Non ſunt viæ meæ,&c.nec cogitationes meæ,&c. Multo aliter implet promiſsiones ſuas quàm nos ſuſpicamur,vt ratio & cõſilia noſtra confundãtur,ac Deo ſubijciãtur.Cęterum ſicut Ioſeph nõ in ſua,ſed in aliena terra exaltatur, ſic Deus electos nõ in hac,ſed in futura vita glorificabit. *Eccle.4. Eſa.55.*

Deſcende ne moreris, &c.

Non ſimpliciter dicit,Deus fecit me dominum,ſed ſtatim addit: Deſcende & paſcam te. Primum etiam mundani dicere poſſunt, Deus fecit me dominum,ſi tamen Deo hæc aſſcribunt. verum pauci admodum conſequens verbum dicunt.Superbiunt enim mundani de ſua poteſtate,

& alios prę se contemnunt, nonnunquã etiam parentes & amicos præ superbia agnoscere nolunt: maximè si pauperes sunt. Non sciunt ad quid Deus potentiã, diuitias, & alia tribuat. Certũ est quòd Deus ideo potentiam & diuitias dat, vt aliis seruire possis. Hoc qui nescit abutitur donis Dei. Ioseph aũt hoc sciebat, vnde supra dixit, pro salute vestra missus sum. Ideo potestate sua & diuitiis bene vtitur, agnoscit adhuc patrem & fratres, & si pauperes. paratus est eis benefacere. Vtinam omnes diuites, potẽtes, sapientes scirent in quẽ finem Deus huiusmodi dona largiatur, pluribus autẽ efficacissimis verbis Ioseph patrem suum accersit: sciebat enim eũ non facilè crediturum, nec facile relictorũ terrã promissam. Primò enim ne graue ipsi esset ad extraneos descendere, dicit: ad me descende. i. ad filiũ. Deinde ne diceret, quomodo certa pro incertis relinquam? addit, habitabis in terra Gessen, optimo scilicet loco. Itẽ iuxta me eris. Præterea ne diceret, quis tantam familiã alet in terra aliena? ait, Ego te pascam. Postremò denunciat periculũ ni descẽdat. Adhuc, inquit, quinque anni famis restant, &c. Omnia hæc etiã Christus nobis mãdat. Primò vt descendamus: Discite à me quia humilis sum, &c. Ad me, inquit, Nõ durũ tibi videatur mecum pati, Non est seruus maior domino suo. Ego descendi, descende & tu. Secũdo, Ne moreris. hoc vbiq; docet Christus. Tertiò, promittit terram optimam, imo consessum proximum sibi: eris iuxta me. vt edatis inquit & bibatis super mensam meam. Quartò prędicit futuram famem & periculum. verè enim pereundum est his, qui Christum non agnoscunt. Qui non credit in filium Dei, iam iudicatus est. Postremo, En inquit oculi vestri vidẽt, &c. Verè oculi nostri vident charitatem Christi. Insuper & vniuersam gloriam suam nobis annunciari iussit, Ac denuò iubet festinare. Hinc Paulus, Festinemus ingredi, &c. Et Christus, Dum lucem habetis ambulate, &c.

Matt. 11. *Luc. 22.* *Iohan. 3.* *Heb 4.* *Iohan. 12*

Cumq; amplexatus recidisset in collum, &c.

Hactenus verbis consolatus est fratres, nunc re ipsa eos consolatur, factis scilicet & signis charitatis. Primò autem Beniamin amplexatur, quia is in maiori periculo fuerat, cum tamen esset magis innocens. Sic & Christus glo-

gloriosus præmiabit eos qui plura hic patiuntur. Nemo igitur grauiter ferat disciplinam domini, & cæt. Osculatur autem Ioseph fratres in signum perfectæ reconciliationis. Et Christus vt perfectam charitatem nobis ostenderet, osculum oris nobis dedit, cum carnē nostram induit, carnem suam nobis dedit. Hoc osculum petebat Ecclesia cum diceret: Osculetur me osculo oris sui: non enim contēta erat solo verbo, nesciebat se perfectè recōciliatā, donec Christus hoc osculū dedit, Gratias ei. Insuper Ioseph etiā fleuit, Nunc quidē apertè, cū prius semel atq; iterum fleuisset. Et Christus ante incarnationē suam nobis cōpassus est, sed occultè, post incarnationē manifestè fleuit, vt omnibus appareret q̄ homini cōpateretur. Heb.12. Cantic.1.

Auditumq́; est in aula regis, &c.

Quod apud magnates fit latere nō potest, Non potest ciuitas abscōdi supra montem posita, &c. Cæterū in hoc rege multa signa probitatis videmus, quę vtinā imitarētur principes nostri. Primò audito aduētu fratrū Ioseph gaudet, ob id ꝙ ad Ioseph pertinerent, & tamē eos nunq̄ viderat, & Deus nos diligit propter Christū. Ipse, inqt, pater amat vos, quia me amastis. Deinde nedū rex, sed omnes serui eius gaudent. Hoc indiciū est q̄ innocenter Ioseph vixerit inter gentiles, vt in tanti regis aula nemo ei inuideret, quod tamen alioqui apud aulicos rarissimū est. Sic conuersis nobis ad Christum angeli nobis cōgaudent, vt Christus ipse dicit, &c. Præterea mādat rex vt patrē adducant, cū omni familia, & ita adducāt, quasi perpetuo secū māsuri. promittit ingētia, mittit plaustra, rogat vt festinēt, &c. Oīa hæc indicāt quāti æstimauerit viros probos & Deū timētes. Viderat quantū boni per vnum Iosephū cōtigerat Aegypto, nec dubitabat maiora bona ꝓuētura, si totā ꝓgeniē in Aegypto haberet. vtinā apud nos sic æstimata ꝓbitas esset. Hanc aūt mentē Deus regi inspirauit ad maiorē cōsolationē ipsius senis Iacob. iam enī tēpus suę cōsolationis aderat. Vide aūt Dei mirabilia, Sedebat pius senex domini tristis ac lugēs, interim rex Aegypti pro ipso sollicitus est, vt cū gloria adducatur. Sic pii in mundo patiuntur, interim tamē rex cæli ipsorū premia præparat. Nemo igitur abiiciat confidentiam Matt. 5. Ioan. 16. Luc. 15. Heb. 10.

quæ magnam habet remunerationem, Imo ficut rex Pharao fratribus Ioſeph promittit omnia bona Aegypti, ſic fidelium eſt totus orbis terrarum. Et ſicut Aegyptij nūc gaudent de aduentu fratrum Ioſeph, ſic in fine mundi Ecclefia gaudebit de conuerſione Iudæorum.

Quibus dedit Ioſeph plauſtra, &c.

Magnificè fratres dimittit, vt magis patrē conſolarentur. Nō vacuis manibus eos à ſe dimittit, ſed pulchrè donatos. Primò dat plauſtra ad ſubuectionem ſenis & puerorum, & mulierum, ne quis infirmitate præditus remaneret in terra Chanaan. Et Chriſtus infirmos & peccatores leniter tranſuexit, ne quiſquā eorum territus extra maneret. Hinc peccatores tam blandè tractauit, imo etiam rudes illos & infirmos diſcipulos. Iuxta illud: Calamū quaſ-
Eſai.42. ſatum non confringet, & linum fumigans nō extinguet. Eodem modo & Paulus vbiq; docet vt infirmorum rati-
Ezec.34 onem habeamus. Et in Propheta taxantur impij paſtores, qui quod confractum eſt non alligant.

Singulis quoque dedit binas ſtolas, &c.

Omnibus modis impleuit præceptū illud Pauli. Si eſu-
Rom.12. rierit inimicus tuus ciba eum, &c. Inter comedendū vendiderant eum fratres. Econtra ipſe eis cibos præbuit. Detraxerant ei tunicam polymitam, econtra ipſe ſingulis binas ſtolas dat. Myſticè autem etiam Chriſtus binas ſtolas dat, In hac ſcilicet vita veſtem innocentiæ, in futura veſtem gloriæ: vel binas ſtolas, id eſt, gloriam corporis & a-
Eſa.40. nimæ. De his veſtibus Iſaias dicit: Recepit Ieruſalem de manu domini duplicia pro vniuerſis peccatis ſuis. Cæterùm ſicut prius Ioſeph vterinum fratrem primò amplexatus eſt, ſic nunc ei plura dat quàm alijs, ob cauſam ſcilicet ſuperius dictam, videlicet quòd is Beniamin in maiori periculo fuerat. Sic Deus quoq; facit, &c. Vide autem exēplum charitatis, quamuis Beniamin plus accipiebat quàm alij, non tamen ei inuident, ſed cōtenti ſunt his quæ data erant, ſcientes meram eſſe gratiam, nec his ſe dignos: ſic nos etiam faciamus. Mittit etiam patri dona, tum vt filialem oſtenderet amorem, tum vt patrem donis allicerent. Quatuor autem genera donorum mittit, pecuniā, veſtes, bona Aegypti, & cibaria in via. Atque hæc ſunt quæ etiā

Chriſtus

Christus per Apostolos nobis misit: Aurum charitatis, vestem innocentiæ, bona medicinalia, & consolationem in via. Iuxta illud: Suadeo tibi emere à me aurũ ignitũ. *Apoc. 3.*

Ne irascamini in via, &c.

Miranda virtus huius viri. Non solum ipse ex animo fratribus offensam remittit, sed & studet omni modo ipsum peccatum tegere, vt nullus alteri hoc exprobret. Et Christus ipse nedum conuersis ad se remittit peccata, *Ephe. 8.* vt nunquam eorum recordari velit, sed insuper vult vt & nos inuicem dimittamus, nec quisquam alteri exprobret *Matt. 18.* peccatum, quod Deus iam olim pœnitenti remisit. O verè misericordem Deum. Deinde Christus tendentibus *Iohan. 13* ad patrem, omnium maximè mandat ne irascantur. Mandatum inquit nouum do vobis, vt diligatis inuicem, &c.

Qui ascendentes ex AEgypto, &c.

Cum magnis bonis & inopinato gaudio redeunt, qui in magno timore descenderant. Hoc autem præsagium erat Israelitas olim cum magno gaudio & multis diuitiis ex AEgypto egressuros, dicentes: Cantemus domino, *Exod. 15.* gloriosè enim magnificatus est, &c. Cæterùm nemo facilè dixerit, quanto gaudio senex pater filios redeuntes, & sic redeuntes conspexerit, plus videt, quam vnquã sperare potuisset. Talis olim erit consolatio iustorum post longam tribulationem. Oculus non vidit, nec auris audiuit quæ præparauit Deus, & cæt. Lætissimum autem *2. Cor. 2.* nuncium fuit quod dicunt, Ioseph filius tuus viuit, &c. Nec aliud sonat Euangelium nostrum, quàm quod Christus etiam crucifixus viuit adhuc, nec solũ viuit, sed dominatur in toto mundo, data est enim (inquit) mihi potestas in cælo & in terra. Quàm libenter & læti hoc nuncium *Matt. 28.* audissent antiqui patres? Hinc Ioannes in ipsorum persona. Tu inquit es qui venturus es, an alium expectamus? &c. *Matth. 11*

Quo audito quasi de graui somno, &c.

Verè grauis eum tristitiæ somnus oppresserat, quem difficulter excutere potuit. Non credebat filiis: quia maius erat quàm quod sperare audebat, & contrarium erat ei quod prius dixerant, Iosephum à bestiis deuoratum. Consequens enim erat, quod aut tunc mẽtiti essent, aut

nunc mentirentur. Nec vnquam verbis eorum credidiſſet, niſi ſimul vidiſſet quæ miſerat Ioſeph. Sic futurum erat vt Iudaicus populus non crederet Chriſtum eſſe qué
2. Cor. 3. crucifixum ſciebant, donec tandé depoſito velamine ab ipſorũ oculis, audirét & viderent quid ſcriptura de ipſo prædixerit, & q̃ perfectè omnia in ipſo impleta ſunt. Imo nec mũdus credere potuiſſet hũc eſſe Chriſtũ, niſi ſimul audiſſent ſcripturæ teſtimonia, & vidiſſent quæ à Chriſto miſſa ſunt.

Reuixit ſpiritus eius & dixit, &c.

Magnitudinem triſtitiæ eius hoc verbum indicat, ferme enim ad mortem eum perduxerat, nec diu tantam mi
1. Cor. 10 ſeriam ferre potuiſſet. Adeſt igitur Deus in tempore. Nó enim patitur ſuos tentari ſupra id quod poſſunt. Sicut igitur ignis lampadis deficiente oleo prope interitũ eſt: ſi quis offenderit oleum, repente clarius elucet, ſic ſenex
Rom. 11. præ triſtitia pene extinctus reuiuiſcit. Sic Iudæi in fine mundi reuiuiſcét, cũ plenitudo gentiũ intrauerit. Sic reuiuiſcit etiá nunc cóſcientia hoïs, vbi audit & videt gratiam Chriſti, &c. Vide auté quid ſanctus ille ſenex dicat: Sufficit inquit mihi, quaſi dicat. Maius gaudiũ non optarem in hac vita. Sufficiat & nobis quòd Chriſtum agnouimus. Eamus vt eum videamus. non cótenti ſumus ſolo auditu, ſed ad viſionem & clariorem eius cognitioné cótendamus. Hæc autem agamus antequam moriamur. Væ enim ei qui Chriſtum in hac vita non videt. Is enim in a-
Gal. 6. lia vita non habebit partem cum Chriſto. feſtinemus igi
Eſa. 55. tur & dum tempus habemus operemur quod bonum eſt. Quæramus dominum dum inueniri poteſt, inuocemus eum dum prope eſt.

Caput quadrageſimum ſextum.

Profectuſq; Iſrael cum omnibus quæ habebat. venit ad Puteũ iuramẽti: & mactatis ibi victimis Dei patris ſui Iſaac, audiuit eum per viſioné nocte vocantem ſe, & dicẽtem ſibi: Iacob, Iacob. Cui reſpõdit, Ecce adſum. Ait illi Deus: Ego ſum fortiſſimus Deus patris tui: noli timere, deſcende in Aegyptum, quia in genté magnam faciã te ibi. Ego deſcendam tecũ illuc, & ego inde adducam te reuertentem: Ioſeph quoque ponet manus ſuas ſuper oculos

tuo.

tuos. Surrexit autem Iacob à Puteo iuramenti: tuleruntq; eum filii cum paruulis et vxoribus suis in plaustris quæ miserat Pharao ad portandum senem, & omnia quæ possederat in terra Chanaan: venitq; in Aegyptum cum omni semine suo, filii eius et nepotes, filiæ, & cuncta simul progenies. Hæc sunt autem nomina filiorum Israel qui ingressi sunt in Aegyptum, ipse cum liberis suis. Primogenitus Ruben. Filii Ruben: Henoch & Phallu & Hesron & Charmi. Filii Simeon: Iamuel & Iamin & Ahodet, Iachin & Sohar, & Saul filius Chananitidis. Filii Leui: Gerson & Cahath & Merari. Filii Iuda : Her & Onan & Sela & Phares & Zara . mortui sunt autem Her & Onan in terra Chanaan. Natiq; sunt filii Phares: Hesron & Hamul . Filii Isachar: Thola & Phua & Iob & Simeron. Filii Zabulon : Sared & Elon & Iaheld . Hi filij Liæ quos genuit in Mesopotamia Syriæ, cum Dina filia sua, omnes animæ filiorum eius & filiarum, triginta tres . Filij Gad: Sephon & Aggi, & Esebon & Suni & Heri & Arodi & Areli. Filii Aser Iamna & Iesua & Iessui & Beria, Sara quoq; soror eorum. Filii Beria: Heber & Melchiel. hi filii Zelphæ , quam dedit Laban Liæ filiæ suæ. & hos genuit Iacob sedecim animas. Filij Rachel vxoris Iacob: Ioseph & Beniamin . Natique sunt Ioseph filii in terra Aegypti, quos genuit ei Aseneth filia Putipharis sacerdotis Heliopoleos: Manasses & Ephraim . Filii Beniamin: Bela & Bechor & Asbel & Gera & Naamã & Echi & Ros' & Mophim & Ophim & Ared. hi filij Rachel quos genuit Iacob: omnes animæ quatuordecim. Filii Dan : Husim. Filii Nephthali : Iasiel & Guni & Ieser & Sallem . Hi filii Bal, quã dedit Laban Racheli filiæ suæ: & hos genuit Iacob. omnes animæ septem. Cunctæque animæ quæ ingressæ sunt cum Iacob in Aegyptum, & egressæ sunt de fœmore illius, absque vxoribus filiorum eius , sexaginta sex. Filii autem Ioseph qui nati sunt in terra Aegypti, animæ duæ. Omnes animæ domus Iacob quæ ingressæ sunt in Aegyptum , fuere septuaginta. Misit autem Iudam ante se ad Ioseph, vt nunciaret ei, & ille occurreret in Hessen . Quo cum peruenisset . iuncto Ioseph curru suo, ascendit obuiam patri suo ad eundem locum : vidensque eum irruit super collum eius , & inter amplexus fleuit. Dixitque pater ad Ioseph : Iam lætus moriar quia vidi faciem tuam, & superstitem te relinquo. At ille locutus est ad fratres suos, & ad omnem domum patris sui, Ascendam & nunciabo Pharaoni, dicamque ei: Fratres mei , & domus patris mei qui

erant in Terra Chanaan venerunt ad me: & sunt viri pastores ouium, curamque habent alendorum gregum: pecora sua & armenta, & omnia quae habere potuerunt, adduxerunt secum. Cumq; vocauerit vos, & dixerit, Quod est opus vestrum? respondebitis: Viri pastores sumus serui tui, ab infantia nostra vsque in praesens, & nos & patres nostri. Hac autem dicetis, vt habitare possitis in Terra Gessen: quia detestantur AEgyptii omnes pastores ouium.

IN hoc capite noua quædam & vltima peregrinatio ipsius Iacob describitur, quam in extrema senectute perficere coactus fuit. Vbi iterum videbimus quã mirabiliter Deus suos ducat. Promiserat Deus iusto huic terram Chanaan se daturum, & ecce dum tota vita expectat quando hoc impleatur, nunc in fine vitæ iubetur eã relinquere. Deinde consolatus eum fuerat læto illo nuncio, quòd Ioseph adhuc viueret, & præpositus esset terræ AEgypti, interim tamen aliam ei crucem imponit, quòd iterum cogitur peregrinari. Sic Deus nunquam suos sine cruce viuere sinit, hoc autem in commodum ipsorum facit. Videmus enim quo ruat homo cui omnia prospera succedunt. Semper igitur suos aduersis, quasi freno quodam retinet. Et quãquam huiusmodi disciplina domini pro hoc tempore parum gaudij habeat, tamen in fine fructum pacatissimum adfert exercitatis per eam.

Profectus est Israel cum omnibus, &c.

Dixerat supra, vadam & videbo filium meum, quasi solus iturus & mox rediturus, nunc autẽ cum omni cognatione proficiscitur. Audierat quinque annos famis restare, videbat se magnam familiam habere, audierat quàm benignè inuitabantur Ioseph & rex AEgypti, hic planè cogitare poterat Dei voluntatem esse, vt descenderet, nec audebat Deum tentare, si tanta bona quæ offereban tur, contemneret. Igitur profectus est, hæ causæ ipsum mouebant. Verùm Deus longe alia cogitabat, proposuerat magna facere mirabilia, circa posteros ipsius Iacob. Imo toti orbi per ipsos innotescere. Ideo agit vt in Aegyptum veniat semen Iacob, vnde postea ingenti gloria educerentur. Item decreuerat punire AEgyptios

igit

igitur mittit ad eos in quibus malitiam suam exerceant, sicque iudicium domini mereantur. Nil horum cogitabat Iacob. Sic Deus semper sub nostris consiliis & operibus sua opera & consilia exequitur.

Venit ad puteum iuramenti, &c.

Vnde puteus hic hoc nomen sortitus sit, supra dictum est, nempe ex eo quòd Abraham & Abimelech illic fœdus percusserunt. Vide autem pietatem huius viri. Ad locum hunc veniens, ex ipso nomine statim mou[etur] ad pietatem, incipit offerre sacrificia. Ob hanc enim causam patres propria nomina illis locis, vbi speciale quiddam factum erat, tribuebant, vt posteri per hoc ad pietatem excitarentur. In medio igitur itinere iustus gradum figit, ac cultũ Dei exequitur. Primò vt gratias agat de læto illo nuncio, quod de Ioseph audierat. Secundò vt oraret pro felici successu in itinere quod cœperat. Imo etiam ideo hoc facit vt quæreret Dei voluntatem. Nam sine Dei consilio nolebat exire terram promissam. In omnibus agendis, primò videbat num Dei voluntati conforme esset. Itidem omnibus Christianis faciendum est, vt in rebus agendis, primò omnium præcepta diuina consulant, num quod agant cũ dilectione Dei & proximi constare posit, cumq; præceptis Dei, &c. Alioqui nisi hanc regulam & amussim semper adhibeamus, aliò nos ducent affectus. In summa Iacob primò quærit regnum Dei, & ideo omnia prosperè ei succedunt. Signanter autem dicitur obtulisse Deo patrum suorũ, quo ostẽditur: quòd eum coluerit sicut & pater suus.

Sup.c. 21

Matt. 6.

In ipsa nocte audiuit dominum, &c.

Quia quod suum est fecerat Iacob, nunc ecõtra Deus etiam quod suum est facit. Voluntatem timentium se faciet, ait psal. Et iterum, Intellectum tibi dabo, & instruam te in via qua ambulas. Deinde quia Iacob gratus fuit pro consolatione accepta, nunc aliam consolationem accipit. Gratitudine enim satisfacimus Deo pro beneficiis acceptis (neq; enim aliud exigit) & insuper meremur maiora. In nocte autem ei apparet Dominus, quia nondum tempus erat, vt clare se ad vidẽdum daret. In somnis viderunt antiqui quod viderunt, nos omnia in luce & die

Psal. 44.
Psal. 3.

videmus:quanq̃ etiam hæc noſtra cognitio, etſi cognitionem veterum excedat, nondum tamen perfecta eſt. Vi
2.Cor.13. demus enim nunc per ſpeculum in ænigmate, tunc autẽ facie ad faciem. Bis autem eum nomine vocat, Iacob Iacob, læta annunciaturus, & vt diligentius attẽdat, & vberiorem conſolationem accipiat. Deinde etiam in ſignum dilectionis bis eum nominat. Nouit enim Deus ſuos ex nomine. Diu inconſolatum reliquerat, iuſtum putari poterat quòd eius oblitus eſſet, ſed hic apparet quod nõ dum eius oblitus fuit. Hinc in Iſaia de iuſto dicitur: In
Iſa.49. manibus tuis deſcripſi te. Si poteſt mulier obliuiſci infantis ſui, &c. Vide autem quàm obedienter reſpondeat ſanctus, aſſum inquit, quaſi dicat, paratus ſum ad verbum tuum manere vel pergere. Cum hac animi promptitudine verbum Dei audiendum eſſet. Sic Heli præcepit Sa-
1.Reg.3. mueli vt vocatus à domino dicat, Loquere domine quia
Pſal.107 audit ſeruus tuus. & Dauid: Paratum cor meum Deus paratum cor meum.

Ego ſum Deus fortiſſimus patris tui, &c.

Hoc verbo omnia beneficia patribus impẽſa ei ad memoriam reuocat. Ego inquit ſum qui tanta dedi, tanta promiſi, nec tantum tunc fui Deus, ſed adhuc ſum: adhuc viuo, adhuc fortiſsimus ſum. Nondũ abbreuiata eſt manus mea, &c. Nihil magis cõſolatorium in auribus pio
Iſa.59. rũ q̃ cũ audiunt, Ego ſum Deus. Hinc eſt ꝙ Chriſtus diſ
Matt.14. cipulos ſuos frequẽter eo verbo cõſolatur. Impiis aũt du
Lucæ.24 riſsime ſonat verbũ hoc, Ego ſum. vnde in Propheta: E-
Iere.7. go ĩquit ſum, Ego vidi. velint nolĩt cogũtur hoc audire.

Noli timere deſcendere in Aegyptum.

Patet ex hoc quod Iacob timebat deſcẽdere in Aegyptum, alioqui ei fruſtra diceret Deus, Noli timere. Et
Infr.49. fortè ideo timebat, quia difficilem reditũ non ignorabat. Nam præter hoc quod propheta erat, vt infra patebit, illud quoq; timorem hũc illi incutere poterat, quod ad Abraham ſopore & horrore magno & tenebroſo oppreſſum locutus fuerat Deus. Scito prænoſcens, quòd peregrinum futurum ſit ſemen tuum. Exiſtimabat autem Aegyptios gentem illam futuros, præſertim quia magnus & tenebroſus horror domeſticæ malitiæ eum

præceſ

præcesserat. Multipliciter igitur eum consolatur, quia multa animum iusti angebant. Primò iubet eum descendere, vt sciret se in Dei vocatione esse. Magna enim consolatio est in aduersis scire se in Dei & secundum Dei voluntatem ambulare. Iubet descendere, quia hic diffinitum erat, semen Abrahæ seruituti subiiciendum in terra non sua: Hoc omnino implendum erat. Deinde implendum erat somnium Ioseph, de Sole & Luna adorantibus ipsum. Secundò, repetit ei promisionem diu ante factam, ad maiorem consolationem, Faciam, inquit te in gentem magnam. Signanter autem addit, ibi, id est in Aegypto, quod nunq̃ credidisset Iacob. Verùm Deus nouit, quomodo, quando, & vbi promissa sua impleat. Imo longe aliter ea implet quàm nos cogitamus. *Su.ca.37*

Ego descendam tecum, &c.

Alia consolatio est: timebat iustus ne fortè in via deficeret, sed Deus, ego inquit descendam tecum. sicut me hic inuenisti, sic inuenies in Aegypto. Deus vbique est, nusquã suos relinquit, fidus est amicus, qui cum suis etiã in mortem & foueam descendit. id quod in Ioseph vidimus. Quanta Dei dignatio: Ego descendam tecũ. Quid est homo ꝙ eius memor es domine. Deinde angebat animũ senis quomodo redire posset, & ne fortè in Aegypto sepeliretur extra sepulchra patrũ suorum. Deus autem etiam hũc angorem remouet. Ego inquit reducã te, quod & verè impleuit. Reduxit enim eũ ad sepulchrũ patrũ suorum. Et postea etiã gentem eius cũ magna potentia reduxit. Obseruandũ, quod vbiq; addit: Ego inquit descẽdam: Ego reducam: per quod ostenditur quantam curam Deus habeat pro suis. verè igitur Dauid dicit: Dominus custodit introitum tuum & exitum tuum, &c. Postremò angebat animũ senis, ne forte Ioseph moreretur ante patrẽ, sicq; ipse cũ suis inter extraneos relinqueretur. Deus autem etiam hunc timorem aufert: Ioseph inquit ponet manum suã super oculos tuos. Quàm lætus cœptum iter prosecutus est post tantas cõsolationes. Et nobis nõ desunt huiusmodi consolationes pergentibus in via ad patriam. Sic enim Iacob dicitur: Ego sum Deus, &c. Sic Christus nobis dicit: Confidite, ego vici mundum. *Sap. 10. Psal. 8. Psal. 120*

Et sicut hic dicitur, noli timere, sic nobis dicitur, Nolite timere pusillus grex, &c. Et sicut hic dicitur: Ego descendam tecum, sic nobis dicitur, Ego vobiscum sum vsque ad consummationem seculi. Et sicut hic dicitur Ego reducam te, sic nobis dicitur, iterum veniam ad vos & assumam ad me ipsum, &c. Et sicut magna iusto huic promittuntur, sic verè magna nobis promittũtur, vt per totum Euangelium patet. Restat igitur vt aggrediamur iter.

Luc. 12. Matt. 28 Ioan. 14

Surrexit Iacob à puteo iuramenti, &c.

Videmus in hoc verbo magnam in hoc iusto fidem, quantumuis nondum in possessionem acceperat terram Chanaan, quantumuis nunc iubetur exire cum omni domo sua, non tamen diffidit de promissione Dei, imo firmiter credit eam terram sibi dandã. Ac velut alter Abraham contra spem in spem credidit, tam veracem credidit Deum. Cæterùm tria quædam mouent iustum hunc, vt sine dilatione pergat. Primo desiderium videndi filium eum allicit, Secundò à tergo vrget eum fames, à latere autem consolatur eum verbũ domini. Hæc tria etiam nos mouere debent ad festinanter pergendum in via Dei. Primo allicere nos debet desiderium patriæ cælestis, verè enim qui consideraret quanta bona illic reposita sunt, & quanta felicitas sit videre Iosephum nostrum, id est, Christum, is contemptis omnibus terrenis festinaret. Secundo vrgere nos debet ipsa necessitas, non enim parui periculi res est si cessamus, sed omnino & æternaliter nobis pereundum est, nisi ad Iosephum nostrũ perueniamus. Tertiò excitare nos deberét tot & tantæ consolationes scripturæ, &c. Obserua quod Iacob omnem familiam suam secum tollat, neminem relinquit, imo eos qui ambulare non possunt, curru auehit. Et impii nostri Anabaptistæ nobis indignantur, quod paruulos nostros nobiscum adducimus ad Christum, cum sciant ipsum dixisse: Sinite paruulos venire ad me, & ne prohibueritis, &c. Felix domus in qua omnes simul ad Christum properant, felix paterfamilias qui hoc modo curat pro familia sua, ne quisquam relinquatur.

Rom. 4. Mar. 10.

Hæc sunt autem nomina, &c.

Ponit

Ponit numerum eorum qui è ſemine Iacob in AEgyptum intrauerunt, vt videamus quam perfectè impleuerit Deus quod dixit: faciam te in AEgypto creſcere in gentem magnam. hic enim tam paruus numerus breui tantum excreuit, vt ſexcenta milia pugnatorũ ex Aegypto exirẽt. Non igitur dubitemus de promiſsis Dei: ſcit ille quando & quomodo impleat quod promiſit, & nihil ei difficile aut impoſsibile eſt. Obſeruandũ hic quòd ſoli filii numerátur, non ſerui, filii enim tantum pertinẽt ad ſanctam hanc generationem. Hoc eſt, qui ex fide & dilectione operantur, non ſerui qui ex ſolo timore ſeruiunt, iuxta illud. Seruus non manet in domo inæternum, ſed filius. Et iterum: iam nõ eſtis ſerui ſed filii. Cæterùm quòd in fine dicitur, omnes animæ ſeptuaginta, cũ prius dixiſſet ſexaginta ſex, ſic concordabis. Sexginta ſex intrauerunt cum Iacob in Aegyptum, tres autem de ſemine eius, iam in AEgypto erãt, Ioſeph videlicet & duo filii eius, quibus ſi pater Iacob addatur, fiũt ſeptuaginta. Cæterùm quod Stephanus dicit, ſeptuaginta quinq; intraſſe, ex ſeptuaginta interpretum tranſlatione deſumpſit, qui cum his quos ſupra diximus etiam quinque filios Ioſeph computant, qui poſtea nati ſunt.

Su. c. eo.

Ioan. 8.

Gal. 4.

Actor. 7

Miſit autem Iacob Iudam ante ſe, &c.

Non temerè erumpit in alienam terram, ne quẽquam offenderet, quantumuis vocatus eſſet à rege, & ſciret filium principem terræ eſſe. Nimirum etiam tunc obſeruans illud quod poſtea Paulus præcepit. Quantũ in vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Alius præſumpſiſſet de poteſtate filii & inuitatione regis, ac irrupiſſet nihil curans Aegyptios, ſed hic modeſtiam ſeruat, & peregrinũ ſe agnoſcit. Cæterùm quòd nõ aliud quam Iudam præmittit, myſterium habet, quo docemur, vt Chriſtum adituri præmittamus confeſsionem: Iudas enim confeſsio vel confitens interpretatur.

Ioſeph iuncto curru ſuo venit obuiam, &c.

Etiam in Ioſepho videmus modeſtiam, vtpote boni patris bono filio. Non enim ſuperbit de ſua potentia, nõ erubeſcit de parentis & fratrum humilitate: & quamuis poteſtate præditus, tamen adhuc obtemperat præcepto

 patris.

Exod.20 patris. Sciebat se nondum absolutum à præcepto, honora patrem tuum,&c. Pulchrè simul ſtãt poteſtas & humilitas, quáuis in mundanis raro ſimul conſpiciuntur. Cæterùm ſicut Ioſeph in collum patris corruit & flet, ſic Chriſtus redeunti peccatori obuiam pergit, oſculatur,
Luc.15. cum gaudio ſuſcipit, vt parabola filii prodigi docet. Finaliter autem fidelibus ſuis ex hoc mundo decedẽtibus lætus occurret & ſuſcipiet in æterna tabernacula. Beati
Luc.12. inquit ſunt ſerui illi, quos cum venerit dominus inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quod præcinget ſe & faciet illos diſcumbere.

Nunc lætus moriar quia vidi faciem, &c.

Vox dilectionis paternæ plena. Nihil inquit amplius quæro in terra,&c. Eodem modo & Simeon de Chriſto
Luc. 2. dicebat: Nunc dimittis ſeruũ tuũ domine, &c. Dicamus & nos ſic Chriſto: Iam lætus moriar,&c. Verè enim lætus moritur, qui faciem Chriſti videt, id eſt, verã eius cognitionẽ habet, quæ vita æterna eſt, vt ipſe ait. Hęc eſt vi-
Ioan.17. ta æterna,&c. Deinde & propterea læti moriuntur Chriſtiani, quod Chriſtum ſuperſtitem relinquunt, omnibus enim deficientibus ipſe ſuperſtes manet, qui ſolus in quo nos deficimus, de corporibus & animabus noſtris curare
Iob. 91. eſt idoneus. Sic Iob lætus moriebatur, qui Chriſtum ſuperſtitem relinquebat. Scio inquit quod redẽptor meus viuit,&c. quaſi dicat, Et ſi ego morior, viuit tamen & ſuperſtes eſt qui me reſuſcitare poteſt.

Aſcendam ad Pharaonem & dicam ei, &c.

Etiam hic videmus modeſtiam ipſius Ioſeph, qui etſi omnẽ haberet poteſtatẽ, nõ tamen proprio motu fratribus regionẽ & locũ aſsignat, ſed ad Pharaonẽ omnia refert, agnoſcẽs ſe ſeruũ, & in priori manẽs mẽtis humilitate, & omnibus modis cauẽs ne Aegyptios offendat. Aut cõtra Iſraelitas iraſcẽdi occaſionẽ præbeat, aut inuidẽdi. Non ſic agunt præfecti principũ, qui multa attẽtant nedum ſine, ſed etiã contra voluntatem principum, & ſuos exaltare ſtudent, nihil curantes de damno aliorum.

Dicite, Paſtores ouium ſumus, &c.

Nedum ipſe in humilitate ſua manet, ſed etiam fratres mouet, vt non erubeſcant de humilitate ſua, nec glo-

rientur

rientur de nobilitate generis, sed ingenuè fateantur veritatem. Longe aliter faciunt, qui cum humillimi generis sunt, tamen nobiles videri volunt, magna nescio quæ iactantes de genere suo. Cæterùm hic videmus quomodo patres illi vixerint sine omni luxu, contenti pecoribus & agricultura. Videmus item quàm non affectauerunt dominũ supra homines, contenti primæua institutione, qua dictũ est: dominamini nõ hominibus, sed bestiis terræ. Hæc est enim iusta seruitus & iusta dominatio, cũ pecora homini seruiunt, & ipse pecoribus dominatur. Seruum autem hominem homini vel iniquitas, vel aduersitas, vel tyrannus fecit. Iniquitas sicut dictum est: Maledictus Chanaan seruus seruorum erit. Aduersitas, sicut Ioseph à fratribus in seruum vẽditus est. Tyránus, sicut Nemroth cœpit esse robustus venator in terra, homines scilicet vehementer opprimens. Cæterùm quod in fine dicitur: Abóminãtur AEgyptii omnes pastores ouium, ideo fiebat. Primò quia AEgyptii aliqua animalia pro diis colebant, quæ Iudæi comedebant. Deinde quod luxui & ocio dediti abominãtur tam simplex & frugale genus viuendi. Qui enim deliciis assueuerunt abominantur paupertatem, &c. Vtinam nos non AEgyptiis similes essemus. Imitemur igitur patres illos sanctos, qui habentes victum & vestitum, his cõtenti erant, felicitatem suam in alia vita expectantes.

Gen. 1.
Gen. 9.
Gen. 10.

Caput quadragesimum septimum.

INgressus ergo Ioseph nuntiauit Pharaoni, dicens: Pater meus & fratres, oues eorum & armenta, & cuncta quæ possident, venerunt de Terra Chanaan: & ecce consistunt in Terra Gessen. Extremos quoque fratrum suorum quinque viros constituit coram rege: quos ille interrogauit: Quid habetis operis? Responderunt: Pastores ouium sumus serui tui, & nos, & patres nostri. Ad peregrinandum in terram tuã venimus: quoniam non est herba gregibus seruorũ tuorũ, ingrauescente fame in terra Chanaã: petimusq́; vt esse nos iubeas seruos tuos in Terra Gessen. Dixit itaque Rex ad Ioseph: Pater tuus & fratres tui venerũt ad te. Terra AEgypti in conspectu tuo est, in optimo loco fac eos habitare, & trade

eis Ter-

eis terram Geſſen. Quod ſi noſti in eis eſſe viros induſtrios, conſtitue illos magiſtros pecorum meorum. Poſt hæc introduxit Ioſeph patrem ſuum ad Regem, & ſtatuit eum coram eo: qui benedicens illi, & interrogatus ab eo: Quot ſunt dies annorum vitæ tuæ? Reſpondit: Dies peregrinationis vitæ meæ centum triginta annorum ſunt, parui & mali, & non peruenerunt vſque ad dies patrũ meorum quibus peregrinati ſunt. Et benedicto rege egreſſus eſt foras. Ioſeph vero patri & fratribus ſuis dedit poſſeſſionem in Ægypto & optimo terræ loco Rameſſes, vt præceperat Pharao. Et alebat eos, omnemque domum patris ſui, præbens cibaria ſingulis. In toto enim orbe panis deerat, & oppreſſerat fames terram maximè Ægypti & Chanaan, E quibus omnem pecuniam congregauit pro venditione frumenti, & intulit eam in ærarium regis. Cumque defeciſſet emptoribus precium, venit cuncta Ægyptus ad Ioſeph, dicens: Da nobis panes: quare morimur coram te deficiẽte pecunia? Quibus ille reſpondit: Adducite. Adducite pecora veſtra, & dabo vobis pro eis cibos, ſi precium non habetis. Quæ cum adduxiſſent, dedit eis alimenta pro equis, & ouibus, & bobus & aſinis: ſuſtentauitque eos illo anno pro commutatione pecorum. Venerunt quoque anno ſecundo, & dixerunt ei: Non celamus Domino noſtro, quod deficiente pecunia pecora ſimul defecerunt: nec clam te eſt, quod abſque corporibus & terra nihil habeamus. Cur ergo moriemur te vidente? & nos & terra noſtra tui erimus: eme nos in ſeruitutem regiam, & præbe ſemina, ne pereunte cultore redigatur terra in ſolitudinem. Emit igitur Ioſeph omnem Terram Ægypti, vendentibus ſingulis poſſeſſiones ſuas præ magnitudine famis. Subiecitque eam Pharaoni, & cunctos populos eius à nouiſſimis terminis Ægypti vſque ad extremos fines eius, præter terram ſacerdotum quæ à rege tradita fuerat eis: quibus & ſtatuta cibaria ex horreis publicis præbebantur, & idcirco non ſunt compulſi vendere poſſeſſiones ſuas, Dixit ergo Ioſeph ad populos: En vt cernitis, & vos & terram veſtram Pharao poſſidet: accipite ſemina, & ſerito agros, vt fruges habere poſſitis. Quintam partem regi dabitis: quatuor reliquas permitto vobis in ſementem, & in cibum familiis & liberis veſtris. Qui reſponderunt: Salus noſtra in manu tua eſt: reſpiciat nos tantum dominus noſter, & læti ſeruiemus regi. Ex eo tempore vſque in præſentem diem in vniuerſa Terra Ægypti, regibus quinta pars ſoluitur, & factum eſt quaſi in legem, abſque terrá ſacerdotali, quæ libera ab hac conditione

ditione fuit. Habitauit ergo Israel in Ægypto, id est, in Terra Gessen, & possedit eam: auctusque est, & multiplicatus nimis. Et vixit in ea decem & septem annis: factique sunt omnes dies vitæ illius, centum quadraginta septem annorum, Cumque appropinquare cerneret diem mortis suæ, vocauit filium suum Ioseph & dixit ad eum: Si inueni gratiam in conspectu tuo, pone manum tuam sub femore meo: & facies mihi misericordiam & veritatem, vt non sepelias me in Ægypto: sed dormiam cum patribus meis, & auferas me de terra hac, condasque in sepulchro maiorum meorum, Cui respondit Ioseph: Ego faciam quod iussisti. Et ille: Iura ergo, inquit, mihi. Quo iurante adorauit Israel Dominum, conuersus ad lectuli caput.

INgressus autem Ioseph nunciauit, &c. Sollicitudo & cura, imo amor erga patrem & fratres hic se ostendit, neque tamen carnaliter tantùm suos dilexit, s[illegible] quia sciebat Dei voluntatem esse, vt patrem post tanta mala consolaretur. Deinde quia sciebat eum iustum esse quem teneretur diligere, etiam si non esset pater. Præterea sciebat ex progenie hac Christum nasciturum, Omnibus igitur modis pro eo sollicitus est. Sic monet Paulus: Qui suorum inquit, & maximè domesticorum curam nō habet, infideli deterior est, imo fidem negauit. *1.Tim.5.* Prudentiæ autem erat, quòd quamuis rex præceperat, vt patrem & fratres adduceret, tamen antequam eos introduceret tentare voluit animum regis, num adhuc in priori sententia persisteret. Mobiles enim sunt animi principum, & multa interdum solent promittere, nihil autem præstare. Cæterū sicut Ioseph pro fratribus suis regem adit, & pro ipsis loquitur, sic Christus ingressus est cælum vt appareat vultui Dei pro nobis. *Heb.9.* Vbi & pro nobis intercedit, vt Paulus ait. *Rom.8.*

Pater meus & fratres venerunt, &c.

Exemplum hic habemus modestiæ, simpliciter rē proponit, nihil expresse pro suis petit, non iactat beneficia sua in regem & populum. Non recenset quòd magna meruerit, sed merita sua regi æstimanda relinquit. Hæc modestia nobis necessaria est, quoties cum Deo agere volumus, ne nos iactemus, ne propria merita æstimemus, sed

Deo

Deo æstimanda permittamus, vnde & Christus docet.
Luc.17. Cum feceritis omnia, dicite, serui inutiles sumus, & Pau-
1.Cor.4. lus: Non meipsum iudico, nec iudiciũ humanum moror.
Luc.18. Qui enim iudicat me dominus est, &c. Veram modestiam & humilitatem ostendebat publicanus ille, qui nec ocu-
Mat. 5. los leuare audebat in cælum, &c. Et Chananea illa quæ se canem agnoscens, nihil aliud petebat, quàm micas quę ca-
Matt. 9. debant de mensa filiorum. Et mulier illa quæ tantum cu-
Luc.7. piebat fimbriam vestimentorum Christi tangere. Et pec-
Matth.8. catrix illa, quæ retro ad pedes domini accessit. Et Centurio qui dixit, Non sum dignus vt intres sub tectum meũ.
Luc.23. Et latro ille qui nihil ausus petere à Christo tãtum dixit: Memento mei Domine, &c.

Extremos quoque fratrum suorum, &c.

Dupliciter intelligitur, primò extremos fratrum, id est, seniores & fortiores, vt scilicet rex & aulici videntes eorum fortitudinẽ, minus despicerent ipsum Ioseph, vt hactenus incognitum. Secundò extremos fratrum, id est, iuniores & infirmiores, ne si fortiores introduxisset, rex cõspecta ipsorũ fortitudine ad res bellicas eis vteretur, vel ad alia officia, sicque domus Iacob disiungeretur. Studebat omnibus modis vt simul manere posset cognatio, ne inter AEgyptios cõmisceretur. Sciebat vir sanctus quòd
2.Cor.6. nulla conuentio est lucis ad tenebras. Sciebat quòd col-
1.Cor.15 loquia mala corrumpunt bonos mores, Sciebat quòd mo-
1.Cor.5. dicum fermentum totam massam corrũpit. Sciebat quod
Eccle.13 qui tangit picem, inquinabitur ab ea. Voluit igitur suos solos esse, & seiunctos ab AEgyptiis. Magna prudentia viri huius, ob hanc causam fratribus persuasit, vt fateren-
Sup.c.64 tur se pastores esse: vt AEgyptij hoc audientes eorũ consortium vitarent. Cæterum sicut Ioseph fratres suos ad regem introduxit, Sic & Christus nos ad Deum introducet. Ideo enim descendit vt errantes nos ad Deum reduceret. Hinc in Euangelio: Iterum veniam ad vos & as-
Ioan.14. sumam vos ad meipsum, &c. Et iterum, volo pater vt vbi
Ioan.17. ego sum & illi sint mecum.

Pastores ouium sũmus serui tui, &c.

Prudenter & modestè etiam ipsi loquuntur, non enim de cognatione ipsius Ioseph gloriantur, quantũuis enim frater

frater ipsorum esset, & sperarent in ipsius gratiam à rege locum habitationis impetrare posse. Sciebant tamen meram gratiam esse quicquid ipsis daretur, itidem nobis faciendum credamus, & confidamus nos propter Christum gratiam & felicitatem accepturos. Non tamen temere de ipso gloriemur. Temerè inquã, aliud enim est fides, aliud temeritas vel præsumptio: præsumptio est temeraria, non fides, si felicitatem tibi promittas per Christum, & interim impie viuas. Fides vera ita credit sibi propter Christum subuentum iri à Deo, vt tamen agnoscat meram gratiam esse quicquid acceperit. Cæterùm sicut Ioseph fratres instruxit, quomodo coram rege loqui deberent, sic Christus nos instruxit quomodo cum Deo loquamur. Cum oratis inquit dicite, Pater noster qui es in cęlis, &c. *Mat. 6.*
Quod autem fratres Ioseph fatentur, nedum se, sed & patres suos fuisse pastores ouium, magna laus est antiquorum patrum, & si coram mundo nulla laus videatur. Hinc enim videmus, primò quòd non in luxu nec ocio vixerunt, nec ociose panem suum comederũt, Secundo, quod honestis laboribus & artibus victum quæsierint, non rapinis, vsuris, fraudibus, mendaciis, &c. Videns nõ paruam ipsorum laudem hic contineri. Postremo addunt, petimus vt iubeas nos manere in terra Iessen, &c. Humiliter petunt, & ideo impetrant. Statim enim subdit: Et dixit rex, &c. Sic etiam apud nos, oratio humiliantis se nubes penetrat. *Eccle. 35.*

Et introduxit Ioseph patrem suum, &c.

Pietas erga patrem, per hoc enim eum honorare voluit, memor præcepti: honora patrem tuum. Deinde nedum non erubescit, sed & gloriatur de tam pio patre, quantumuis humilis esset. Præterea ipsum introducit vt regi gratias agat pro se & familia. Postremò etiam ideo introducit eum, vt rex ex ipsius senis verbo & exemplo ædificaretur.

Et benedixit Iacob Pharaonem, &c.

Verbis & factis ostendit pietatem animi coram rege, pius erat ille, ideo vbique pietatis scintillæ erumpunt. Primò benedicit regem, hoc est gratias agit, gratum se ostendit, bona præcatus est. Quid enim aliud faceret

iustus

iuftus quàm bona precari, gratitudinem oftendere? Hoc à iuuentute didicerat, ideo nec in fenio eam viá deferit.
Prou. 22. Cæterùm quòd rex eum de ætate interrogat, non fic accipiendum eft, quòd nihil aliud cũ ipfo locutus fit, quàm hoc folum, fed quia hoc folum fcribi dignum fuit: non propter regis interrogationem, fed propter memorabile refponfum iufti fenis.

Dies peregrinationis vitæ meæ, &c.

Refponfum eft homine fene & pio fene dignifsimum, fingula autem verba emphafim habent. Et fupra quidem Iofeph inftruxiffe legitur fratres quomodo loquerentur coram rege, non autem legitur patrem inftruxiffe, Hoc enim inciuile fuiffet. Sed pius fenex pro fua prudentia hoc refpõdit. Primò igitur nihil hic adulationis auditur, qua vti folent qui principibus loquũtur. Deinde non veretur teneras illas regis aures mordaci radere vero, palã conteftans vitã hominis nihil aliud effe in hac vita, quàm peregrinationem. Hoc nemo adulatorũ dicere aufus fuiffet, ne teneras aures offenderet. Sancti autem manifeftè cõfitentur fe peregrinos effe in hac vita. Verè enim quàm
2. Cor. 5. diu fumus in hoc corpore peregrinamur à Domino.
Pfal. 38. Hinc & Dauid, Aduena fum apud te & peregrinus, ficut omnes patres mei. Bene igitur Paulus in laudem fidei pa
Heb. 11. trum iftorum inter cætera dicit: Et confitentes quod hofpites fint & peregrini fuper terram. Eorũ autem confeffio nunquã clarior aut certior inuenitur quàm in hoc loco, vbi peregrinus ifte in aula regis nõ oblitus patris cæleftis nec fuæ cõditionis (quod tamen aliàs rarifsimũ eft) vltrò peregrinum fe confitetur. Igitur vetus paftoribus omnium fpiritualium, & omnibus qui cæleftem patriã inquirunt, propofitum eft exẽplum, vt humilitate gloriofa contenti, vanam & inopem defpiciant altitudinem huius feculi, dicantq; vbicunq; equitãtes viderint Aegyptios,
Pfal. 19. Hi in curribus, & hi in equis, nos autem in nomine domini Dei noftri inuocabimus. Dicant coram terrenæ patriæ
Heb. 13. ciuibus aut regibus: Non habemus hic manentem ciuitatem, fed futuram inquirimus. Summa, nihil magnum iuftus ille ambiuit apud regem, qui prima ftatim voce peregrinum fe profeffus eft, fed tantùm locum habitandi. Si

pere-

peregrinos nos esse sciremus, non tam insanè ambiremus temporalia. Præterea non dicit Iacob, Anni peregrinationis meæ, &c. sed dies peregrinationis. Sic enim sancti etiam dies numerant, adeo cupiunt dissolui & esse cũ Christo. Adeoq; graue ipsis est, quòd incolatus eorum prológatur in hac vita. Et vbi impiis & plures anni breue tempus videntur, illic iustis singuli dies longum tempus videntur. Sciunt enim se in patria non esse. Ex eo autem ꝙ dicit, centum triginta anni sunt, facilè colligi potest, quáto ætatis ipsius anno Ioseph natus sit, imo quoto anno primum vxorem duxerit Iacob. Ioseph triginta annorũ erat cum exaltatus fuit, exinde septem fertilitatis anni cũ biennio subsecutæ famis effluxerũt, qui simul faciunt triginta nouem annos, quos si ab ætate ipsius Iacob subtraxeris, videbis quòd nonagenarius fuit Iacob cum Ioseph natus est. Huic ætati quatuordecim annos adime, quibus pro vxoribus seruiuit, manifestè liquet quòd septuaginta sex annorum erat cum à patre pro vxore ducenda mitteretur. Insigne igitur exemplum castitatis est, quòd vsq; ad septuagesimum annum cœlebs vixit. Addit Iacob, ꝙ dies eius fuerunt pauci, Iunior enim omnibus patribus suis obiit. Abraham enim vixit centum septuaginta quinq; annis, Isaac autem centum octoginta. Alii præcedentes diutius vixerunt, Quantumcunq; igitur diu hic viuamus, verè tamen dicere possumus, quòd dies vitæ huius pauci sunt, respectu futuræ vitæ. Malos autem dicit dies suos fuisse, non in se, sed propter perpetuas tentationes, & miserias quas perpessus fuerat. Cæterùm si iustus ille nihil nisi malos dies hic habuit, quid nos cõquerimur, de vno aut altero die malo? Imo quid nos quærimus tantum dies bonos? Si hi sancti biberunt calicem domini, & tu bibes vel inuitus. Item si dies huius vitæ verè mali sint, & dici possint, quid tantopere diligimus hanc vitam? Eam igitur quæramus quæ nihil nisi bonos dies habet. Quis est homo qui vult vitam & cupit dies videre bonos? Prohibe linguam tuam à malo, &c. Diuerte à malo & fac bonũ, &c. In fine egrediens iterum benedicit regem. Sancti enim sunt benedictionis filii, ideo omnibus bona precantur, quemadmodum & Christus apostolos docuit, & Pau

Phil. 1. Psal. 119 Su. ca. 41 Gene. 29. Su. ca. 25 Su. ca. 5.

lus monet.

Dedit ergo Ioseph patri & fratribus, &c.

Quòd sciebat & Deū & regē velle, diligēter exequitur, nimirum vt iustus senex in optimo terræ loco habitaret cū suis. Iustis enim optima quæq; debētur, propter ipsos enim omnia creata sunt. Impij quidē vi irrūpunt, & optimo loco sedent, optima quæq; ad se rapiunt, contra vo-
Amos 6. luntatē domini, comedunt enim agnū de grege, &c. vt
Psal. 73. Amos ait. Itemq;, in labore hominum non sunt, & cū hominibus nō flagellabuntur. Verū Deus interim tacet, dissimulat, suo autem tempore impios deturbabit, & optima quæq; piis restituet. Alebat autem Ioseph & patrē & fratres & omnē domū eorū, quemadmodū & Christus alit Ecclesiam, quam & ipsam in optimo terræ loco cōstituit,
Ephe. 1. benedixit enim eam omni benedictione spirituali.

In tota autem terra panis deerat, &c.

Mira rerū mutatio: Paulò ante Iacob cum suis egebat, Aegyptii abundabāt. Nūc versa vice Iacob bene habet,
1. *Reg.* 2. Aegyptii egēt. impletū est illud: Repleti prius pro panibus se locauerunt, & famelici saturati sunt. Itemq; illud,
Luc. 1. Esuriētes impleuit bonis, & diuites dimisit inanes. Eadē rerū mutatio paulòpost etiā nobis cōtinget. Beati inquit
Luc. 6. Christus qui nūc fletis, quia ridebitis, & econtra. Væ vobis diuites qui habetis cōsolationē vestrā. Væ qui ridetis, &c. hāc rerū mutationē sensit diues ille cui dictū est:
Luc. 16. fili recordare quia recepisti bona in vita tua, &c. In die igitur bonorū memor sis malorum & ecōtra. Nunquā crediclissent Aegyptii tantam famem futuram, at nunc eam experiuntur. Et impii perpetuam sibi felicitatem pollicentur, sed falluntur. Quæ enim videntur tēporalia sunt,
2. *Chor.* 4 quæ autem non videntur æterna.

Da nobis panes, cur morimur, &c.

Pluribus verbis Moses magnitudinē famis describit. Ea enim fames effecit vt Aegyptii, primò omnē pecuniā expenderēt, deinde omnia pecora: post hoc agros, ac demū seipsos vēderent. Vbi primò videmus quantū malum sit fames, cui tamē pluribus remediis occurri posset. Primò tēperantia victus tempore fertilitatis. Secundò liberalitate diuitum. Tertiò autem & potissimum emenda

tione vitæ, malum famis aut præueniri aut temperari posset, omnia enim hæc mala propter peccata immittuntur, &c. Videmus secundò quantum malum sit fames animæ, & quid nobis agendum sit, vt æternam famem effugiamus. Si enim Aegyptii nihil nõ expenderunt propter cibũ corporis, non graue videatur nobis quicquã exponere aut laborare pro cibo æterno. Vẽdamus nos in seruitutẽ Christi. Seruiamus ei læto corde, dicamus cũ Aegyptiis: Salus nostra in manu tua est, tantũ respiciat nos dominus Deus noster, & læti seruiemus Deo. Hæc igitur agenda nobis essent pro vita æterna. Verũ ò ignauiã nostrã: filii huius seculi prudentiores sunt filiis lucis, illi nihil nõ faciunt pro sustentatione corporis, nos pro anima cessamus. Videmus hic tertiò q̃ facilè Deus punire posset impios. Non opus habet magna potentia, claudat solummodo manũ suã & perimus. Oculi omniũ inquit in te sperant domine, & tu das illis escam, &c. Et in alio loco: Aperiente te manũ tuã omnia implentur benedictione. Auertẽte aũt te faciẽ turbabuntur, auferes spiritũ eorum & deficiẽt, &c. Quartò videmus hic cõditionẽ impiorũ, qui propter ventrẽ seipsos perpetuæ seruituti subiiciũt. Oẽs enim impii serui sunt peccati & diaboli: qui enim facit peccatũ seruus est peccati. Et sicut Esau propter vnã escam vẽdidit primogenita sua, Sic impii propter curam ventris seipsos diabolo tradunt in seruitutẽ miserabilẽ.

Leuit. 26
Luc. 16.
Psal. 144
Psal. 103.

Adducite mihi pecora vestra & dabo, &c.

Durius tractat Aegyptios quã Israelitas, hiis enim gratis omnia & abundè subministrat, proq; ipsis curat, illis aũt frumenta vendit. Nihil tamẽ horum ex se ipso, verũ omnia ex mandato regis fecit, sic enim etiam iustitia exigebat, vt Iacob iustus post multas tentationes blãdè foueretur. Et Aegyptii post longam prosperitatẽ punirentur. Eodem modo Christus & pios & impios pascit, sed dissimiliter: pro piis ipse curat vt Petrus ait, dat gratis, dat temporalia & spiritualia. Summa, timentes Dominum non deficient omni bono: Et, nunquam vidi iustum derelictum. Impiis autem sola temporalia dat, idque non gratis, magno enim labore & cura temporalia acquirunt. Et plerumque cum periculo nedum corporis,

1. Pet. 5.
Psal. 23.
Psal. 36.

ſed & animæ. Et cum omnia expenderint, nihil tamen in de habent præter ſolum cibum. Interim & corpus & animam perdunt, omniaq; bona amittunt. Vide igitur vt Iſraelita ſis & non Aegyptius. Qualem enim te inuenerit Chriſtus, talem ſe tibi præſtabit. Si Iſraelita fueris cibabit te omnibus bonis, Sin autem Aegyptius, cogeris omnia amittere, & ſolo cibo corporis cõtentus eſſe, &c. Cæterùm ex hoc facto ipſius Ioſeph non eſt quod ſibi blandiantur aut tyranni pauperum oppreſſores, aut vſurarij, pauperum ſanguinem exugentes. Non enim attendere oportet quid hic aut ille fecerit, ſed quid natura aut lex di

Exo. 22. ctat, quidq; Deus præcipit. Iam natura dictat, Quod tibi vis fieri alteri feceris, & ecõtra. Lex præcipit: diliges proximum tuum ſicut teipſum, Non opprimas fratrem tuum vſura, &c. Ioannes clamat: Neminem cõcuciatis, nulli ca

Luca. 3. lumniam faciatis, contenti eſtote ſtipendiis veſtris. Hæc inq̃ & ſimilia attendant tyranni illi & vſurarii, & nõ quid Ioſeph fecerit. Quanquam ſi rem ipſam intueamur, nec Ioſeph in hoc male fecit, quantumuis durè videatur tractaſſe Aegyptios. Atq; vtinam nemo pauperes plus grauaret. Non dedit Ioſeph frumenta gratis, ſed pro precio quia ſeruus erat & diſpenſator rei alienæ, quare nemo ꝓpter hoc eum accuſare poteſt. Imo non conducebat Aegyptiis vt gratis daretur frumentum, tunc enim ſtatim conſumpſiſſent. Nunc autem quia emere coguntur, & carè emere, docẽtur ipſa neceſsitate vt tẽperate vtantur cibis, quo diutius habere poſſent. Prudentiæ igitur eſt ꝙ non gratis dedit. Deinde pecuniã non in ſuum ærarium congregat, quod noſtri faciunt, ſed in ærarium regis. Præterea cum ſeipſos vendidiſſent & terram ſuam, & iam iure poſſet omnia in vſum regis vendicare, mitius tamen cum ipſis agit, & agros reſtituit, tantumq; exigit vt quintam partem regi ſoluant. Noſtri tyranni interdum plusq̃ dimidiam partem extorquent. Adhæc Ioſeph primo expendit quantum ipſis neceſſarium eſſet, ac quatuor partes ipſis relinquit, vt habeant ad ſeminandum, item in cibum, nedum pro ſe, ſed etiam pro filiis & familia. Noſtri tyranni ſimpliciter exigunt, non attendunt quid aut quã tum relinquatur ſubditis. Inſuper Ioſeph ſacerdotibus

parcit

parcit,nostri & sacra & prophana rapiunt. Nec dubium est quin pauperibus totum remiserit Ioseph, vtpote pius & misericors,cū nostri tyranni nullis parcant. Vides etiā ipsum factum ipsius Ioseph iustissimū esse,si ad nostras ex actiones conferatur,vt interim taceam quòd omnia hæc Deo sic volente,disponente,imo & instigāte fecit, quod ex eo probari potest quod Psalmista dicit:Deus vocauit famem super terram,&c.& postea:Misit ante eos virum, &c. Vbi videmus quòd Deus omnia hęc operatus sit,& ꝙ Iosephum ad hoc ipsum elegerit,ꝙ Ioseph ex diuina inspiratione hæc omnia perfecerit. Sic enim in eodē psal. dicitur:Eloquiū domini inflāmauit eum.Ideo autē Deus hæc sic disposuit.Primo,vt regi remunerarentur beneficia,quæ in iustum senē contulerat. Sic enim Deus etiam tēporaliter remunerat quæ piis dantur. Ideo facit vt regi omnis pecunia & omnia pecora Aegypti,&c. contingant. Sic etiam impii non perdunt mercedem pro eo quòd iustis benefaciunt, quid consequentur qui ex fide hoc faciunt? Qui dederit inquit iusto calicem aquæ frigidæ non perdet mercedem suam.Secundò,ideo Deus voluit hoc agere per Ioseph,vt Aegyptii punirentur. Iustū enim erat,vt qui Deo seruire noluerant,cogerentur homini duram seruitutem seruire. Sic Paulus: Quia inquit cum Deum cognouissent, non sicut Deum glorificauerunt,ideo tradidit illos in reprobum sensum. Tertiò, hoc permisit Deus vt Aegyptii premerentur, ne possent Israelitas infestare. Sic enim plerunque impios premit,vt iustis consolat.Non reliquit inquit gentem nocere eis, & corripuit pro eis regis. Nolite tangere Christos meos.Postremò etiam ideo Aegyptios sic grauari permisit ad ipsorum vtilitatē.Carnali enim homini non prodest, imo maxime obest si omnia prospere cedant, tunc enim Dei obliuiscitur,& in omnia mala se præcipitat.Impiis autē prodest aduersitas.In chamo inquit & freno maxillas eorū constringe,qui non approximant ad te. Et iterum: Multiplicatę sunt īfirmitates eorū,postea accelerauerūt. Itaq; si intentionem ipsius Iosephi attendamus,simulque Dei voluntatem,non offendet nos ipsius factum.

Amos. 8 — *Psa. 104* — *Matt.10.* — *Rom.1.* — *Psa.104* — *Psal. 31.* — *Psal.15.*

Excepta terra sacerdotum,&c.

Non hoc incepit Ioseph. Supra enim dictū est, quòd à rege constituta erant cibaria sacerdotibus, patet igitur quòd etiā apud gentiles, hii qui cōmunitati præerant, in doctrina & cultu diuino à communitate sustentabantur: Nimirum lege naturæ id suadente & dictante. hoc idem postea in lege scripta præceptum fuit, vt scilicet decimæ & primitiæ leuitis, ministris templi, persoluerentur, hoc
Mat. 10. idem postea confirmauit Christus in Euangelio: Dignus
1. Cor. 9. est inquit mercenarius cibo suo. Et Paulus: Qui altario
Gal. 6. seruiunt de altario viuāt. Et iterum: Communicet is qui cathezizatur ei qui se cathezizat in omnibus bonis. Nō igitur nouum est, quod etiam in Ecclesia sacerdotibus priuilegia concessa sunt & cibaria constituta. Qui enim
1. Thim. 5 bene præsunt nō vno tantum, sed duplici honore digni sunt. Tantum curent sacerdotes vt Ecclesiæ seruiant: Beneficium enim datur propter officium. Quemadmodum & Ioseph Aegyptios illos sacerdotes non ob aliud pauit quàm propter officium, vt populū docerent. Non dubium quod Ioseph ipsos docuerit verum cultum Dei.
Psal. 104 Sic enim de ipso dicitur: Constituit eum Pharao principem domus suæ, vt doceret principes eius sicut semetipsum, & senes eius prudētiam doceret. Cæterùm apud nos nec Ioseph, id est, superiores, nec sacerdotes suum officium faciunt. Illi enim non prouident, sed auferunt sacerdotibus, hi autem statuta quidem cibaria exigunt, cum in nullo Ecclesiæ seruiant.

Iacob autem habitauit in Aegypto, &c.

Hic redit ad historiam ipsius Iacob describendam & terminandam, ac primò non sine Emphasi repetit quod
Gene. 28. supra dixerat: Habitauit igitur Iacob, &c. quasi dicat, is Iacob cui terra Chanaan promissa erat, etiam num morti proximus habitauit in aliena terra. Quis hic non cogitasset vanas esse promissiones. At iustus hic nihil tale. sed adhuc firmiter credit sibi dandā eam, in cuius signū statim præcipit Iosepho, vt in ea terra ipsum sepeliat. Addit Moses, quòd auctus fuerit Iacob vehementer, vt videamus veracem esse Deum qui hoc promiserat, & vt
Su. c. 46. Iacob ex impletione huius promissionis nō dubitare

etia

etiam priorem aliquando implendam. Sic enim Deus semper aliquas promisiones complet, vt de aliis & maioribus minus dubitemus. Obseruandum autem quòd Iacob tunc crescit & augetur, cum Aegyptii vel maximè opprimuntur. Sic pii tunc maximè exaltabuntur, cū iudicium Dei impios oppresserit. Peccator inquit videbit & irascetur, &c. sed desideriū eius peribit. Cæterū Moses etiā numerum annorum ipsius Iacob ponit, vt videamus quòd decem & septem annis etiam in hac vita consolationem habuit post tantos suos labores. Sic enim Deus etiam suos in hac vita recreat, si non semper externè, at internè, verè enim centuplum accipiūt in hac vita, & insuper æternam quoque hæreditabunt. *Psal. 111.* *Mar. 16.*

Pone manum tuam subter fæmur meum, &c.

Is olim erat modus præstandi iuramenti, maximè apud fideles, id quod & supra de Abraham audiuimus. Quia enim credebant Christum de semine ipsorum nasciturū, ideo iuraturi manum subter fœmur ponebant, quasi per Christum olim venturum iurantes. Nunc apud nos eleuatione digitorum præstatur iuramentum. Cęterū quòd sanctus hic tam diligenter præcipit de sepultura sua, non ideo factum est, quod tantum curaret de corpore suo, quemadmodum mundani solent: nec ideo quod crederet miserum esse in terra aliena sepeliri, quemadmodum mundani qui beatum putant, si quis in sua domo & inter suos moriatur, etiam si maximus peccator sit, & in peccatis moriatur, magis attendunt vbi quis moriatur, quàm qualis & quomodo. Præterea nec ideo Iacob tam sollicitus fuit de sua sepultura, quòd crederet terram Chanaan meliorem esse terra Aegypti. Sciebat enim, quod domini est terra & plenitudo eius, longè alia eum mouebant. Primo noluit in AEgypto sepeliri, ne filii & posteri sui nimium diligerent terram Aegypti, si Iacob ibi sepultus fuisset, sicque non curarent terram promissam. Deinde in terra promissa sepeliri voluit, vt vel sic ostenderet fidem suam, nempe se certo credere eam terram olim posteris suis dandam. Præterea illic sepeliri voluit, vt filii sui anxius anhelarent ad eam terram. Et ingresi eam perpetuum haberent exemplum ob *Su. c. 24.* *Psal. 23.*

oculos positum quo admonerentur ad pietatem,ne prolapsi in impietatem eam terram iterum perderent. Magis igitur Iacob per hoc posteris suis quam sibi consuluit. Postremo etiam ideo in terra Chanaan sepeliri voluit, quia sciebat Christum in ea terra appariturum,cum quo sperabat resurgere. Verisimiliter enim creditur quod
Matt. 27 vnus ex his fuerit de quibus dicitur,multa corpora sanctorum surrexerunt cum Christo, &c. Signanter aũt cũ patribus suis sepeliri vult, vt vel sic ostenderet se eadem fide Deum coluisse qua illi,& eandem spem futurę resurrectionis habere. Hanc spem vel hoc verbo subindicat cum dicit:Dormiam cum patribus meis,non anima dormit,sed corpus,suo tempore resuscitãdum. Cæterũ hoc factum ipsius Iacob arguit, primum eos qui omnino nihil curant de sepultura, cum carere sepultura olim pro magna pœna ducebatur. Et Deus nõnullis hoc pro speciali pœna comminatus est, vt cum de Ioachim rege dicitur:Sepultura asini sepelietur. Et Dauid deplorans iu-
Iob. 22. storum interitum: posuerunt inquit carnes sanctorum
Psal. 78. tuorum escas volatilibus cœli, & non erant qui sepeliret. Arguit secundo hoc factum ipsius Iacob eos,qui cõtemptis cœmiteriis vbi fideles sepeliuntur,in campo sepeliri volunt,quo quid aliud ostendunt, quàm quod sicut in vita à sanctis,diuiserunt se, ita & in morte ab ipsis seiuncti sunt. Arguuntur & hi qui suos extra ciuitates sepeliunt, ne scilicet mortuorum sepulchra ante oculos cernentes, mortem cogitare cogantur. Cum Iacob in medio terræ vbi habitaturi erant filii sui, sepeliri voluerit, vt semper ob oculos haberent ipsius sepulchrum. Arguuntur hi etiam qui indignantur & irrident, imo damnant eos,qui apud fideles parentes suos aliosq; sepeliri volunt. Maximè autem arguuntur hi qui parentes suos nolunt in cœmiteriis sepelire, sed contra ipsorum voluntatem & petitionem extra ciuitates eos quasi eiiciũt. Non sic fecit Ioseph,sed statim ad petitionem patris dixit:Ego faciam quod iussisti. Hoc autem exemplum ab antiquo secuta est Ecclesia,quòd fideles suos simul & in vno loco sepeliuit,& in celebri loco itemq; honesto,vt plurimum circa basilicas & intra ciuitates, vt semper ob

oculo-

oculos haberent viui sepulchra mortuorum, sicq; ex ipsorum recordatione, cogitarent etiam se morituros, & ob id ad mortem se præpararent. Quod cum hodie nouatores quidam abrogauerunt, breui fiet vt mortis memoria ab animo semota, in omnem impietatem cadamus. Vt interim taceam quod amicos nostros, mēbra nostra, nolumus intra muros pati, quasi alieni sint à nobis, aut quasi tale quid commeruerint. Si in vita dileximus fideles, diligamus etiam post mortem, nec tam inhumanè eiiciamus. Cæterùm quòd Iacob iuramentum exigit à Ioseph, nec contentus est simpliciter promissione, nō ideo fecit quòd de obedientia filii diffisus sit, sed vt Ioseph haberet quod coram Pharaone prætenderet, nempe vt diceret: pater meus adiurauit me, sicq; suspicionem fugeret, ne alienum ab amore terræ Aegypti animum habere videretur. Post præstitum autem iuramentum Iacob inclinauit se ad caput lectuli, & adorauit Deum, quasi gratias agens, de obedientia filii, & quòd in sepulchrum patrum suorum peruenturus esset. Cæterū spelunca illa in qua Iacob sepeliri voluit, Ecclesiam significat, quæ est fidelium cœmiterium, ibi pacificè requiescūt, quia in ea est remissio peccatorum per sanguinem Christi, fœlix qui in ea sepelitur, infelicissimus qui extra eam eiicitur.

Caput quadragesimum octauum.

His itaque transactis nunciatum est Ioseph quod ægrotaret pater suus: qui aßumptis duobus filiis Manaſſe & Ephraim, ire perrexit. Dictumq; est seni: Ecce filius tuus Ioseph venit ad te. Qui confortatus sedit in lectulo. Et ingreſſo ad se Ioseph ait: Deus omnipotens apparuit mihi in Luza, quæ est in Terra Chanaan: benedixitq; mihi, & ait: Ego te augebo & multiplicabo, & faciam te in turbas populorū: daboq; tibi terrā hanc, & semini tuo post te in poſſeßionem sempiternam. Duo ergo filii tui qui nati sunt tibi in Terra Aegypti antequam huc venirem ad te, mei erunt: Ephraim & Manaſſes, sicut Ruben & Simeon reputabuntur mihi. Reliquos autem quos genueris post eos, tui erunt, & nomine fratrum suorum vocabuntur in poſſeßionibus suis. Mihi enim quando veniebam de Mesopotamia, mortua est Rachel

in Terra Chanaan in ipso itinere, eratque vernum tẽpus: & ingrediebar Ephratam, & sepelini eam iuxta viam Ephratæ, quæ alio nomine appellatur Bethlehem. Vidẽs autem filios eius dixit ad eum: Qui sunt isti? Respondit: Filii mei sunt, quos donauit mihi Deus in hoc loco. Adduc, inquit, eos ad me, vt benedicam illis. Oculi enim Israel caligabant præ nimia senectute, & clarè videre non poterat. Applicitosque ad se, deosculatus & circumplexus eos, dixit ad filium suum: Non sum fraudatus aspectu tuo: insuper ostendit mihi Deus semen tuum. Cumque tulisset eos Ioseph, de gremio patris, adorauit pronus in terram. Et posuit Ephraim ad dexteram suam, id est, ad sinistram Israel. Manassen verò in sinistra sua, ad dexteram scilicet patris, applicuitque ambos ad eũ. Qui extendens manũ dexteram, posuit super caput Ephraim, minoris fratris: sinistrã autem super caput Manasse, qui maior natu erat, commutans manus. Benedixitque Iacob filiis Ioseph, & ait: Deus in cuius conspectu ambulauerunt patres mei Abraham & Isaac, Deus qui pascit me ab adolescentia mea vsque in præsentem diem: Angelus qui eruit me de cunctis malis, benedicat pueris istis, & inuocetur super eos nomen meum, nomina quoque patrum meorum Abraham & Isaac, & crescant in multitudinem super terram. Videns autem Ioseph, quod posuisset pater suus dexteram manum super caput Ephraim, grauiter accepit: & apprehensam manum patris leuare conatus est de capite Ephraim, & transferre super caput Manasse. Dixitque ad patrem: Non ita conuenit pater: quia hic est primogenitus, pone dexteram tuam super caput eius. qui renuens ait: Scio fili mi, scio: & iste quidem erit in populos & multiplicabitur: sed frater eius minor, maior erit illo, & semen illius crescet in Gentes. Benedixitq; eis in tempore illo, dicens: In te benedicetur Israel, atq; dicetur Faciat tibi Deus sicut Ephraim, & sicut Manaße. Constituitq; Ephraim ante Manassen: Et ait ad Ioseph filium suum: En ego morior, & erit Deus vobiscum, reducetque vos ad terram patrum vestrorum. Do tibi partem vnam extra fratres tuos, quam tuli de manu Amorrhæi in gladio & arcu meo.

HActenus Moses exẽplo sancti Iacob nos docuit pie viuere & patiẽter ferre manũ Dei. Nũc eiusdẽ exẽplo nos docet Christianè mori, hi enĩ sunt duo cardines Christianæ vitæ, piè viuere & bene mori, oportet autẽ

vt simul coniungantur. Non enim satis est piè viuere, si non vsque ad mortem persistat: Qui perseuerauerit saluus erit. Et difficilè est vt bene moriatur, qui omni vita sua impiè vixit. In patriarcha nostro vtrumque coniunctum est. Vide autem quomodo se ad mortem disponat. Primo non audis eum in infirmitate sua querulantem aut murmurantem, quemadmodum mundani solent, quos & Iob arguit: Si bona inquit suscepimus de manu domini, *Iob.2.* mala quare non sustineamus? Deinde nihil terret eum *Eccle.41.* mors appropinquans, cum mũdanis etiam memoria mortis amara sit. Præterea nihil sollicitus est de seipso, quo post mortem perueniat, sciebat enim quòd iustorum animæ in manu Dei sunt. Poterat dicere cum Paulo: Scio *2.Thim.1* cui credidi, & certus sum quia potens est depositum meũ seruare, &c. Et iterum: bonum certamẽ certaui, &c. In re- *2.Thi. 4* liquo reposita est mihi corona iustitiæ, &c. Vnum hoc agit quòd pro filiis curat, non vt diuitias temporales illis relinquat, sed vt pacem & gratiam Dei ipsis relinquat. In hoc igitur capite pacem & concordiam inter eos stabilire conatur, in sequenti autem benedicendo gratiam Dei illis imprecatur.

Nunciatum est Ioseph quòd ægrotaret pater, &c.

Innuit hoc verbum sollicitudinem ipsius Ioseph erga patrem, quantumuis enim negociis regni occupatus esset semper, tamen nuncios ad patrem dirigebat, qui eius statum sibi nunciarent. Ab hac sollicitudine ad patrem nec diuitiæ, nec gloria, nec occupationes eum auocare poterant. Nec denique longa distantia regionum, habes igitur hic exemplum boni filij, quem tamen pauci imitantur. Nos enim facilè parentũm obliuiscimur, etiam si semper ante oculos nobis versentur. Non mirũ igitur quod plerisque nihil prospere cedit. Stat enim sententia: quod maledictus est qui non honorat patrem aut matrem. *Deut.27.*

Qui assumptis duobus filiis, &c.

Ire perrexit, id est, ire properauit, & eò totus intendit ad accipiẽdas partes de diuitiis paternis, ad vidẽdos thesauros benedictionis, quos pater thesaurizauit filiis suis. Benedictionem enim paternã pluris æstimauit, quàm omnes thesauros AEgypti, alius dixisset quid opus mihi est

bene-

benedictione cum diuitiæ abunde suppetant, petant alij benedictionem qui pauperes sunt. Sic loquuntur amatores mundi, qui in diuitiis suis confidunt. Non sic autem Ioseph, qui non contentus diuitiis externis benedictionem quærit: Iam tunc illud implens quòd Paulus diuiti-
1.Tim. 6. bus præcipit, Nempe ne sperent in incerto diuitiarum, &c. Summa, qui nihil nisi diuitias externas habet, is verè pauper est, etiam in summa opulentia. Ecótra qui Dei benedictionem habet, is verè diues est, etiam si pauper sit. Cæterùm in eo quòd Ioseph ad patrem pergit, duo insignia exempla habemus. Primum obedientiæ, quod patrẽ honorat. Secundum charitatis, quòd infirmum & peregrinum visitat. Quàm rarum est hoc exemplum apud magnates nostros. Verùm hęc arrogantia non aliunde est, nisi quòd seipsos non cognoscunt, detrahe externam laruam diuitiarum, potentiæ, &c. & omnes similes sumus, siue ex-
Iob. 1. ordium siue finem nostrũ aspiciamus. Nudi enim egressi sumus de vtero matris, nudi ex hoc mundo eximus. Quid igitur superbimus? Insuper in hoc etiam attẽdendum est exemplum ipsius Ioseph, quòd filios suos secum ducit ad patrem, non quasi gloriando de ipsis, aut ipsos ostentare volendo, id quod faciunt mundani. filios suos tantũ carnaliter diligentes, sed vt pium senem viderent, audirent cuius dicta & facta perpetuo ipsorum animis infigerẽtur. Deinde vt & ipsi benedictionem acciperent à pio sene quam sciebat illis magis profuturam quàm omnes diuitiæ, quas ipse illis relicturus erat. Veteres magni æstimabant piorum benedictiones & bonas imprecationes, nec enim vanæ sunt, si cum fide suscipiantur. Nam & Christus
Matt. 10. dicit: Si ibi fuerit filius pacis, requiescet super eum pax vestra, &c. Quid autem valeant sanctorum malæ impræ-
4. Reg. 2. cationes, ex pueris illis discimus, quibus Helizeus maledixit. Vnde in lege sæpius monet Moses, ne pauperes lædamus, ne inquit clament contra te ad dominum. Nos di-
Deut. 15. & 24. uitias acciperemus, nihil curantes vel benedictiones vel maledictiones piorũ. Sed expecta paulisper, videbis quantum possint pij coram Deo & pro iustis & cõtra impios.

Qui confortatus sedit in lectulo, &c.

Præ gaudio scilicet quòd Ioseph ad se veniret, quemadmo-

admodum & supra dixit, nunc lætus moriar, quia vidi faciem tuam, &c. vel cōfortatus spiritu qui ægrotabat corpore. Sic enim Deus suos externè quidem cruci subijcit, interne autem consolatur. Vnde & Paulus; Cum infirmor, tunc fortior sum. Et virtus in infirmitate perficitur, &c. *Su.ca.46* *2.Cor.12.*

Deus omnipotens apparuit mihi, &c.

Quoties sanctus hic os aperit, semper Dei mentionem facit, semper beneficia eius prædicat, quemadmodum & Dauid: Benedicam inquit dominum in omni tempore, quid enim aliud loqueretur os. quàm id quo cor plenum est. Ex abundantia cordis os loquitur. Non simpliciter autem Deum nominat, sed cum Epitheto & titulo glorio sissimo. Deus inquit Schadai, id est, omnipotens vel potius omni sufficiens, quo verbo omnia beneficia Dei sibi impensa cōplectitur, Deinde eius visionis meminit, quam primo sibi misericordia Dei ostenderat; quæ & maxima omnium erat, & digna quæ nunquam in obliuionem veniret. Vbi videmus quàm altè cordibus suis inscripserint Dei beneficia pij homines. Præterea nō dixit, Pater meus me benedixit, sed Deus benedixit mihi, quia benedictio non hominis, sed Dei est, & tunc valet hominis benedictio, cum ex Deo procedit, vel confirmatur testimonio Dei. Insuper Dei promissiones sibi factas recēset, vt filios in fide confortet. Item vt sciant domini voluntatem fieri quæ facturus erat cum filiis Ioseph. Postremò rem ipsam aggreditur dicens. *Psal.33.* *Gene.27.*

Duo ergo filij tui, &c. Mei erunt.

Hiis verbis ipsum Ioseph honorare voluit, constituendo filios eius in capita tribuum, deinde etiam pacē inter filios & posteros stabilire conatur, & præuenire quouis modo dissidia. Qui enim filij sui ab exordio oderāt Iosephū, & cū Ephraim Manasseq; in aliena terra, & ex alienigena nati essent timere poterat, ne alij fratres filios Iosephi, ex veteri illius odio abominarentur, ac ipsos excluderent, sicq; discordia inter ipsos oriretur. Hoc præuenire volens, filij inquit tui mei erūt. Adoptauit duos hos etiā in vita, & pręsentibus aliis, ne alij quicquā mali in eos molirentur. Vtinā hoc exemplum omnes parentes imitarentur,

rentur, vt præuenirent ne quid dissidij post mortē ipsorum oriretur inter hæredes. Cæterum quod dicit. Mei erunt, idem est ac si diceret: Capita tribuū erunt, sicut Ruben & Simeon. Itē mei erunt, id est, partē accipient in terra Chanaan sicut aliæ tribus. Mira autē fides sancti huius, quòd iam terram illam inter filios diuidit, in qua nihil adhuc præter vnum agrum habebat. Certò tamē sciebat posteris suis eam terram dandam. Hinc discamus, quāta fide verbum Dei suscipiamus. Obserua autem quod non dicit filij tui quos tu genuisti, sed qui tibi nati sunt, donum enim Dei est, ideo Deo ascribit.

Mihi enim reuertenti, &c. mortua est Rachel, &c.

Hoc addit, causam reddens cur filios Ioseph adoptauit, ne alij filij indignarentur. Mihi, inquit, id est, in meum detrimentum, vel dum mihi parit filium, mortua est mater tua quam diligebam, & ex qua adhuc filios suscipere optabam. Idcirco hi duo filij tui mei erunt, &c. vt mortuæ cōiugi semen suscitem & suppleam adoptione, quod minus habuit naturali generatione. Cæterū quòd tam diligenter recenset, vnde & quando Rachel mortua fuit, ideo fecit, ne Ioseph ægrè ferret eam non sepultam esse in sepulchro patrum.

Videns autem filios eius dixit, &c.

Cęcutiebat Iacob oculis corporis, sed non oculis animæ. Nō aūt caret mysterio, quòd tā ipse quàm pater eius caligātes oculos habuerūt. Nondū enim sol iustitię exortus erat. adhuc in nocte & sub vmbra erāt. Per hoc etiam præfigurabatur, carnalem Israelē, id est, Iudaicum populū adueniente Christo excitandū, id quod Paulus deplorat
Roma. 9. & 11. iam factum esse. Cæterū Ioseph patris exemplum sequens admodum piè respondet. Non enim simpliciter dicit, filij mei sunt, sed addidit: quos dedit mihi dominus, nimirum Deo acceptum ferens & gratias agens. Hoc audiens pater filios amplectitur, osculatur, & tactu consolatur, quod visu non poterat. Nec huiusmodi affectus viciosi erant, diligebat filios affectuosè, sed nihil mali propter ipsos cōmittebat. Nos autem nimium diligimus filios, aut nimium negligimus. Nescimus seruare modum. Vltimatè iustus in laudem Dei prorupit. Non sum inquit frauda-

tus conspectu tuo,&c.Sic & nos finaliter in Deum omnia referamus.

Cumq; tulisset eos Ioseph de gremio patris,&c.

Versus patrem eos collocat, vt pium senem intuentes, perpetuo eius memoriam in cordibus suis retinerēt. Deinde ideo eos tollit è sinu patris, vt genibus flexis,& cum debita reuerentia,benedictionem patris susciperent, vnde & Ioseph ipse cum illis adorantibus procidit in terrā, partim,vt gratias ageret,pro eo quòd filios suos in capita tribuum cōstituisset Iacob, partim vt filius exemplum humilitatis præberet, vt discerent, quanta reuerentia & humilitate dona Dei suscipienda sunt. Non igitur fides, sed præsumptio est, quòd quidam extento collo sine omni reuerentia & humilitate coram Deo apparent, nec genua flectunt,cum sacramentum percipiunt,&c.fides vera nūquam sine humilitate est. Et quo maior fides, eo magis homo se humilem ostendit verbis & gestibus. Exemplo sit Dauid,& Maria virgo.Non igitur hypocriticū est ge- 2.Reg.7.
nu flectere,pectus tundere, aliosq; humiles gestus coram Luc.1.
Deo ostēdere.sed sic necesse est fieri.Superbis enim Deus 1.Pet.5.
resistit,humilibus dat gratiam.

Qui extendens dextram posuit super caput Ephraim minoris.

Sine dubio hæc transpositio manuum crucis figurā expressit. Nec casu id fecit,sed quia propheta erat,& prophetico spiritu sciebat, quòd per crucem componenda esset benedictio,quam venturus legis dator daret. Qui Psal 83.
enim postmodum de Christo olim vēturo dixit: Lauabit Gen.49.
in vino stolam suam,&c.nescire non poterat,quali torculari ipsum vinum exprimendum foret.

Deus in cuius conspectu ambulauerunt,&c.

Hæc est benedictio filiorū Ioseph,in qua primò iustus senex pro more suo à Deo incipit, nec enim suo, sed Dei nomine ipsos benedicit. Modicū enim valet benedictio Num.6.
hominis,vbi Deus nō benedicit.Hinc Moses leuitas docet benedicere in nomine domini, &c. Sic & ecclesia in nomine domini omnes benedictiones exprimit. Deinde etiam mentionem patrum facit,tum vt filius Ioseph exempla patrū infigeret, tum vt scirent iustos homines magni à Deo æstimari, sicque incitarentur ad imitandum eos.

Tertiò

Tertio, mentionem patrum facit, vt Deus propter fidem & obedientiam patrum etiam paruulis illis propitius esset, qui nulla adhuc merita habebant. Sic enim promisit
Exo. 20. se misericordiam ostensurum in mille generationes hiis qui eum diligunt. Obserua quòd Iacob hic ex humilitate non allegat propria merita, sed merita patrum. non enim dicit, Deus in cuius conspectu ambulaui, sed in cuius conspectu ambulauerunt patres mei. Nimirum etiam tunc im
Luc. 17. plens illud euangelicum: Cum feceritis omnia, dicite: serui inutiles sumus. Quantumuis enim magna dona habebat, nihil tamen inde eleuatur aut gloriatur. Secus facit Pharizæus ille, qui etiam de paruis gloriatur, nẽpe quòd ieiunaret, decimas daret, &c. In conspectu autem domini
Luc. 18. ambulare, est secundum voluntatem eius viuere. Tertio addit: Deus qui pascit me à iuuentute mea vsque nunc. Hoc dixit vt paruuli discant Deo omnia attribuere, insignis autem gratitudo est, Deus inquit pascit me, &c. non ego, non labores mei. &c. Quartò, etiam angelum addit.
Psal. 90. Sciebat enim angelos ad curam hominũ deputatos. Sciebat Deum agere per media, ideo ea media non excludit, sed quicquid Deus dat gratanter accipit, per quemcunq; tandem det, siue per se, siue per alium. Nos dedignamur quicquam accipere per sanctos aut angelos, sed omnia è manu Dei volumus habere.

Benedicat pueris istis, &c.

Non diuitias, sanitatem, aut potẽtiam eis optat, sed benedictionem, nõ cuiuscunq;, sed Dei. Sciebat enim quòd benedictio domini diuites facit, & quem Deus benedi-
Prou. 10. xit hunc nemo maledicere potest. Econtra vbi Deus maledicit, ibi omnia in contrarium exeunt, & nihil prospere succedit. Cæterùm hoc verbo & spiritualia & temporalia dona eis precatur, maximè autem spiritualia, Addit & quartò, Inuocetur super eos nomen meum, quo verbo nihil aliud vult, quàm vt filij eius nominentur, quemadmodum alii. hoc enim verbo ipsos adoptauit in filios. Postremò etiam hoc optat vt crescant in populis, nõ quod gaudeat in multitudine posteritatis, sed quod sperat per ipsos nomen, cognitionem, & cultum Dei propaganda. Hoc enim quærunt sancti homines in filiis suis, vt Deus

à mult

à multis agnoscatur, colatur, ametur.

Videns autem Ioseph quòd posuißet manum, &c.

Cupiebat Ioseph primogenitum præcellere, sed Deus aliter ordinauerat. In Ioseph videmus ingenium mundi, qui ea tantum aspicit quæ alta sunt: Deus autem excelsus quidem est, sed humilia respicit, homines secundum carnem iudicant, Deus autem non: homines personas attendunt, Deus autem non est exceptor personarum. Non in quit respicias ad magnitudinem eius, quia abieci eum. E contra autem quæ infirma sunt mundi elegit Deus, &c. Hoc autem facit partim ad humilitatem magnatum, partim ad consolationem humilium, ne hi scilicet putent se omnino abiectos, illi autem nimium superbiant. *Psal. 112* *2. Reg. 16* *1. Cor. 1.*

Scio fili mi scio, & hic quidem magnus erit.

Vide quàm clarè cernunt sancti homines. Cecutiebat hic senex oculis corporis, magna tamen in spiritu videbat, vnde & æquiore animo ferebat defectum corporalis visus. Multa & Iosepho reuelata fuerãt, sed hoc nesciebat, vt vel hinc videamus & etiam sanctis non omnia reuelari, vt scilicet occasionem quærendi habeant, & videant etiam aliis dona Dei adesse. Cæterùm sicut iustus senex in his quæ Dei iudicia concernebant plus cernit quàm iuuenis Ioseph, Sic verè quantumuis nunc ingenia floreant, plus tamen scierunt patres antiqui quàm nos: vel ad minus scientia sua melius vsi sunt quàm nos. Alioqui quid prodest multa scire, & interim sciẽtia abuti, id quod nũc pleriq; faciunt, scientiam Dei in impietate retinentes. Iã quòd Iacob addit: Et hic magnus erit: ideo fecit, ne Ioseph putaret hunc maiorem filium à Deo abiectum, quem admodum Esau & Ismael. Hoc enim maximè timebat, cũ videret patrem data opera manum dextram ab eo amouere. Simpliciter autem minorem fratrem maiori præponit, quia Ephraim ex numerositate & dignitate præcelluit tribum Manasse, Ex Ephraim enim fuit Iosue, primus dux post Mosen. Item Ieroboam primus rex decem tribuum. Cæterùm cum tribus Ephraim maiora perceperit quàm tribus Manasse, oportebat vt Deo magis grati essent, cum tamen contrarium præstiterunt. Nulla enim tribus superbior fuit quàm tribus Ephraim, vt patet in hi- *Rom. 1.*

Iudic. 8. & 12. storia Gedeon & Iepte, Sic plerunque vbi maiora dona Dei sunt, illic maior ingratitudo inuenitur. Obseruandum autem hic iudicium Dei, quòd Manasses perdit ius primogenituræ, cum nullum eius peccatum præcessisse legitur, Nec tamen iniuria ei facta est: Cui enim vult miseretur Deus, & nullius debitor est. *Rom. 9.* Quamuis hoc loco tantum de externo honore agitur. Nihil enim in spiritualibus detrahitur ipsi Manasse. Manasses autem qui obliuio interpretatur, Iudæos significat, qui ius primogenituræ habebant: *Rom. 9.* Ipsorum enim erat lex & adoptio, propter incredulitatem autem ius suum perdiderunt: & gentes (minor scilicet filius) acquisierunt. AEgrè quidē hoc ferebant credentes ex Iudæis, quòd Deus dextram suam gentibus imponebat, dando eis spiritum sanctum, sed decretum Dei impedire nō poterant. Summa, etiam nunc filii carnis & mundi benedicuntur sinistra manu Dei, in qua sunt diuitiæ & gloria. Filios autem fidei benedicit manu dextra, in qua est longiturnitas vitæ & gratia. Nec curiose de huiusmodi iudiciis Dei disputandum, *Prou. 3.* sed gratias agamus pro acceptis. Qui temporalia habet oret pro æternis. Qui spiritualia habet curet vt ea seruet.

En morior, do tibi partem vnam, &c.

Vide quàm nihil timeat sanctus hic mortem, q̄ securus sit etiam in vltima hora: tantum bonum est bona conscientia viuere, hoc enim consolatur in omnibus malis, E contra videmus q̄ timeant, angustientur, desperent, qui in eam horam cum mala conscientia peruenerunt. Hinc *2. Cor. 1.* Paulus, gloria inquit nostra hęc in testimonium consciētiæ nostræ. Cęterùm ꝙ dicit dabo tibi partem vnā extra fratres, &c. sensus est: quia me & fratres tuos tanto tēpore aluisti & adhuc alis, iustum est vt aliquid plus præ fratribus tuis à me consequaris. Pars autem terræ quam Iosepho dat, vel est Sichē à filiis Iacob occupata, vel ager *Gene. 34. Gene. 33.* ille quem ipse iuxta Sichem emerat. Per hoc autem quod Iosepho eam partem assignat, futura dissidia filiorum prę uenit, quia enim Simeon & Leui primò ciuitates occupauerant, non dubium quin ad se pertinere arbitrarentur, quod tamen alii non permisissent: sicque discordiæ

inte

inter filios Israel excitatę fuissent. Proprium enim commodum etiam fratres ab inuicem separat, & multa vbiq; bella excitat. Ne quid igitur hic dissidij oriatur, Iacob adhuc viuus decreuit, cui ea pars terræ cedere debeat. Pulchreq; & iustitiam & prudentiam ostendit, Iustitiam quòd non his permittit qui scelere eam ciuitatem occupauerant. Prudentiam, quòd ei decreuit terram illã, qui omnium iudicio solus dignus erat. Cæterùm quòd dicit se eam terram acquisiuisse in gladio suo & arcu, intelligitur de gladio & potentia filiorum suorum: quamuis enim factum ipsorum primò improbaret, postea tamẽ videns Dei voluntatem, consensit, non impio ipsorum facto, sed Dei ordinationi. Vel gladius & arcus ipsius Iacob fuit eius iustitia & fides, qua meruit accipere quod aliis Deus auferebat. Hoc gladio pugnare debent Christiani, iustitia scilicet & probitate: per hæc enim veram terram promissionis acquirerent. Sic igitur Ioseph præ fratribus hæreditatem accepit, sic & Christus plus accepit quàm nos. Et sicut Ioseph eam terram in hæreditatẽ accipit, vbi Iacob prius idola defoderat, Sic Christus *Gene.35.*
gentilitatem accepit in hæreditatem, quę prius Idolis plena erat, iuxta illud psalmi: Postula à me & dabo tibi gentes in hæreditatem, &c. *1.Ioan.2*

Caput quadragesimum nonum.

Vocauit autem Iacob filios suos, & ait eis: Congregamini, vt annunciem quæ ventura sunt vobis in diebus nouissimis. Congregamini, & audite filii Iacob, audite Israel patrem vestrum. Ruben primogenitus meus, tu fortitudo mea, & principium doloris mei: prior in donis, maior in imperio. Effusus es sicut aqua, non crescas: quia ascendisti cubile patris tui, & maculasti stratum eius. Simeon & Leui fratres: vasa iniquitatis bellantia. In consilium eorum non veniat anima mea, & in cætu illorum non sit gloria mea: quia in furore suo occiderunt virum, & in voluntate sua suffoderunt murum. Maledictus furor eorum, quia pertinax: & indignatio eorum, quia dura: diuidam eos in Iacob: & dispergam eos in Israel.

Iuda, te laudabunt fratres tui, manus tua in ceruicibus inimicorum tuorum, adorabunt te filij patris tui. Catulus leonis Iuda: ad prædam fili mi ascendisti: requiescens accubuisti vt leo, et quasi leæna, quis suscitabit eum? Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de fœmore eius, donec veniat qui mittendus est, & ipse erit expectatio gentium. Ligans ad vineā pullum suū, & ad vitem o fili mi asinam suam. Lauabit in vino stolam suam, & in sanguine vuæ pallium suum. Pulchriores sunt oculi eius vino, & dentes eius lacte candidiores. Zabulon in littore maris habitabit, & in statione naulum pertingens vsque ad Sidonem. Issachar asinus fortis accubans inter terminos. Vidit requiem quòd esset bona, & terram quòd optima: & supposuit humerum suum ad portandum, factusq; est tributis seruiens. Dan iudicabit populum suum, sicut & alia tribus in Israhel. Fiat Dā coluber in via, cerastes in semita, mordens vngulas equi, vt cadat ascensor eius retro. Salutare tuum expectabo domine. Gad, accinctus preliabitur ante eū: & ipse accingetur retrorsum. Aser pinguis panis eius, & præbebit delicias regibus. Nephthali ceruus emissus, & dans eloquia pulchritudinis. Filius accrescens Ioseph, filius accrescens & decorus aspectu: filiæ discurrerunt super murum. Sed exasperauerunt eum, & iurgati sunt, inuiderunt q; illi habentes iacula. Sedit in forti arcus eius, & dissoluta sunt vincula brachiorum & manuum illius per manus potentis Iacob. inde pastor egressus est, lapis Israel. Deus patris tui erit adiutor tuus, & omnipotens benedicet tibi benedictionibus cæli desuper, benedictionibus abyssi, iacentis deorsum, benedictionibus huberum & vuluæ. Benedictiones patris qui confortatæ sunt benedictionibus patrum eius: donec veniret desiderium colliū æternorum. Fiat in capite Ioseph, & in vertice Nazaræi inter fratres suos. Beniamin lupus rapax, mane comedet prædam, & vespere diuidet spolia. Omnes hi in tribubus Israel duodecim, hæc locutus est eis pater suus, benedixitq; singulis benedictionibus propriis. Et præcepit eis dicēs: Ego congregor ad populū meū: sepelite me cū patribus meis in speluca duplici, quæ est in agro Ephrō Hethæi cōtra Mābre in terra Chanaā, quā emit Abrahā cū agro ab Ephron Hethæo in possessionē sepulchri. Ibi sepelierūt eum, & Saram vxorem eius: ibi sepultus est Isaac cum Rebecca coniuge sua: ibi & Lia condita iacet. Finitisque mandatis quibus filios instruebat, collegit pedes suos super lectulū, & obiit: appositusq; est ad populum suum.

In h

IN hoc capite Iacob filios suos benedicit vltima benedictione,& tandem moritur. Benedictionem præmittit:nec enim aliud filiis relinquere potuit,vt qui etiam tunc peregrinus adhuc erat. Hoc autem maximè agit vt filios confirmet in fide promissionum Dei,ne dubitarét ipsis dandam terram Chanaan,ideo tam certò prædicit, quid eorum cuilibet in ea terra accidere debeat. Omnia in hunc finem,vt vel sic ad fidem & dilectionem Dei eos extimularet. Ob eam causam cuilibet eorum aliquid in speciali dicit,quamuis dissimiliter: aliquos enim arguit, alios laudat,aliis bona,aliis mala prædicit. Sciebat enim ex Dei spiritu quid cuiq; euenturum esset. Omnia autem facit Iacob ad vtilitatem filiorum. Quos arguit, ideo arguit vt agnita pernicie peccati caueant deinceps peccata. Quos laudat ideo laudat, vt pergant laude digna facere,omnia in eum finem vt discant in timore Dei viuere. Vtitur autem obscuris verbis pro more propheratũ. Docebit igitur nos caput hoc quales diuitias filiis relinquamus. Nempe fidem,timorem Dei, instructiones bonas,& admonitiones,&c. Hæc sunt vera bona omnibus diuitiis meliora. Sed iam textum audiamus.

Vocauit autem Iacob filios suos,&c.

Hoc nec Abraham nec Isaac fecit,vt filios omnes congregarent,ac simul benedicerent. Abraham præter Isaac & Ismaelem multos filios habuit,nullum tamen legitur benedixisse. Nec enim opus erat, quia Isaac iam ex eo tempore quo in holocaustum Deo oblatus est, hæreditate benedictionem possidebat. Nec opus fuit illum sermone consecrari,qui in typum saluatoris sanctum sacrificium & hostia viua esse meruit. Quòd autem Isaac duos tantum filios habens, non tamen vtrumque benedixerit,ideo factum est, quia duo illi filii in duos populos erant diuidendi, sicut oraculum diuinum prædixerat. Plures autem filii Iacob vna gens & vnus populus in vnitate paternæ fidei Deum verum & vnum possessuri erant. ideo simul conuocantur ad benedictionem suscipiendam,& singuli benedicuntur.

Gene. 35.

Gene. 22.

Gene. 25

Congregamini vt annunciem vobis,&c.

Magno spiritu & vehementia incipit, nimirum vt attẽtos eos

tos eos faciat, ideo bis dicit, congregamini, bis etiam iubet audire, volens nimirum vt congregentur corpore & spiritu, & audiant aure corporis & mentis. Denique futura se prædicturum spondet, nec simpliciter futura, sed quæ in nouissimis diebus euentura illis essent, omnibus his attentos eos reddere voluit, imo etiam nos, qui & ipsi sumus filii Iacob, & cæt. Nouissimos autem dies intelligit, tempus illud quo terram Chanaan ingressuri erant. Maximè autem tempus Christi, quod Ioannes dicit
1. Ioan. 2 nouissimam horam esse. Et angelus in Apocalypsi iurat per viuentem, quòd post hoc tempus Christi aliud non succedit, sic tempori legis successit tempus Euangelii. Multa autem in his benedictionibus prædicuntur de Christo, maximè in benedictione Iudæ.

Ruben primogenitus meus, &c.

Huic nihil boni prædicit, sed arguit eum pro commissis. Primò enim recitat priuilegia eius, quæ præ aliis fratribus habuerat & habere potuisset. Deinde peccatum eius ob oculos ei ponit, nouissimè etiam pœnam futuram. Omnia in eum finem, vt tam ipse Ruben quàm posteri eius timerent, ne peccando vlterius etiam maiora mala incurrerent. Tu inquit fortitudo mea, in robore enim ætatis te genui: vel tu fortitudo mea, id est, pulchrè fortis & diues mihi videbar, cum mihi natus esses: vel tu fortitudo mea, id est, in te qui primogenitus es, debebat relucere fortitudo mea, id est, fides, pietas, iustitia, &c. quibus hucusq; contra omnia aduersa persiti. Verū contrarium in te expertus sum, vnde sequitur.

Principium doloris mei, &c.

Non quòd in nullo ante doluerit, sed quia verus dolor de plaga peccati primum in domo eius de isto accidit. Deinde incrementum accepit in venditione filii. Iusto igitur huic maiorem dolorem intulit peccatum filii, quàm quæcunq; alia incommoda, quæ multa perpessus est. Potest etiam generaliter intelligi: Tu principium doloris mei. Qui enim filios habet, cogitur habere & sentire multas molestias, curas, sollicitudines, dolores, &c.

Prior in donis, maior in imperio.

Subintelligitur, deberes esse. Ratione primogenituræ, de-

re, deberes esse prior in donis, tibi enim vt primogenito debebatur duplex portio hæreditatis, deberes item esse maior in imperio: tibi enim vt primogenito debebatur regnum & sacerdotium. Ideo autem hæc ita recenset, vt videat Ruben quãta habuerit priuilegia præ alıis fratribus, & quanta perdiderit per peccatum. Sicq; deinceps tam ipse quàm posteri eius discerent fugere peccata, nec alia peccata addere, &c.

Effusus es quasi aqua: non crescas.

Hoc verbo pœnam ei prædicit, simul & peccatũ eius indicat. Est autem sensus, sicut aqua erumpens spumam & bullam excitat, quæ videntur aliquid esse, sed statim disparent, sic & tu effusus es. Superbisti enim de tua primogenitura, putasti te magnũ quid esse, putasti te à iure tuo depelli non posse, quæcunque tandem ageres. Sed nunc finem habet superbia tua, & gloriatio tua, &c. Secundò sicut aqua erumpens solo impetu nulla ratione fertur, sic & tu non rationem sed impetum concupiscentiæ secutus es. Tertiò sicut aqua erumpens damnum facit, sic tu & tibi & posteris tuis magnum damnum intulisti. Quartò sicut aqua fluxa & inconstans est, sic tu, &c. Quintò sicut aqua perfectius effunditur quàm alii liquores, quia de oleo effuso remanet in vase pinguedo, de vino effuso remanet sapor, sed de aqua effusa nihil remanet, sic tu effusus es. Omnia priuilegia perdidisti, vnde sequitur: Non crescas. De cætero non proficies, sed deficies. Nunquam recuperabis amissam dignitatem.

Quia ascendisti cubile patris tui, &c.

Hic peccatum eius apertè ponit, ne putaretur ideo ab ipso transferre primogenita, quòd de vxore minus dilecta natus esset, prohibet enim lex ne propter vxorẽ odiosam, à filiis transferantur primogenita. Hic igitur videmus quod Deus tarde quidem punit: sed tamen suo tempore punit, & eo grauius quo diutius dissimulauit. Sic Ruben hactenus impunè transierat, nunc autem tripliciter punitur. Amittit enim regnum, sacerdotium, & duplicem portionẽ hæreditatis. Regnũ trãslatum fuit in Iudam, sacerdotium in Leui, duplex portio in Ioseph. Ruben typus est hæreticorum, qui volunt esse primo- Deut. 21.

 geniti,

geniti,gloriantur de ſpiritu, de donis, alios contēnunt, verũ quia lectum patris aſcendunt:eccleſiā & conſciētias falſis doctrinis maculant, ſuo tempore eiicientur.

Simeon & Leui vaſa iniquitatis bellantia, &c.

Nec his duobus quicq̃ boni prædicit,quia nihil boni meruerant. Non facit Iacob vt falſi prophetæ, qui ſine differentia omnibus gratiam promittunt,etiā in peccato perſeuerantibus:Iacob autem ſecundũ merita cuiuſque vel bona vel mala prædicit. Hos autem duos coniũgit, quia ſimul peccauerāt in interfectione Sichimitarũ Nec ipſos hactenus punierat pro peccato commiſſo, at nunc inueniunt pœnam.Nominat ipſos vaſa iniquitatis bellātia,propterea quod iniuſtè bellarunt contra datam fidē, quaſi dicat,Commendanda quidem erat veſtra fortitudo,ſi non cum iniquitate coniuncta fuiſſet.

In conſilium eorum non veniat anima mea, &c.

His verbis palā ſignificat nō fuiſſē conſilii ſui,ꝙ Simeon & Leui confœderatoꝫ occiderint.Simulq́; docet nos ne malis in malum conſentiamus, Addit autem cauſam.

Quia in furore ſuo occiderunt virum,&c.

Hoc de Emor & Sichem, imo omnibus Sichimitis intelligitur,quos duo illi occiderunt,ciuitatē diripuerunt. Aliqui tamē hoc intelligũt de Ioſeph quē duo illi maximè præ aliis perſecuti ſunt,& quantũ in ipſis erat occidiſſent,ſi per alios licuiſſet.Subdit autem Iacob:Maledictus furor eorum,&c.Non ipſos maledicit ſed furorem. Nō odiendi ſunt homines,ſed peccata. Deinde non quamcunque iram damnat, ſed nimiam, duram & pertinacem,

Pſal. 4. & quæ in furorem exit.Eſt enim & iuſta ira, de qua Dauid:Iraſcimini & nolite peccare.

Diuidam eos in Iacob & diſpergam,&c.

Hic prædicit pœnam & quidem iuſtiſsimā. Quia enim in peccato ſimul fuerāt, ideo poſtea ab inuicē ſeparātur & diſperguntur. Nam tribus Leui non accepit patrem in diuiſione terræ,ſicut aliæ tribus, ſed tantum loca ad habitandum.Et tribus Simeon quantũ ad vnam partē recepta fuit in ſortē tribus Iudæ. Cæterum omnia quæ iam dicta ſunt,poſſunt etiam referri ad tempus Chriſti, contra quem vel maximè pugnauerunt ſacerdotes de tribu

Leui,&c

Leui, & scribæ & pharisæi, de tribu Simeon descendentes Hoc igitur odiũ cõtra Christũ præuidens Iacob, nominat ipsos vasa iniquitatis bellãtia. Deinde abominatur eorũ consiliũ cõtra Christũ, imo maledicit furorem eorum quo virum à Deo missum occiderunt, murumque corporis eius suffoderunt, vel potius peccato suo murũ Hierusalẽ subuerterũt, ꝓpter hoc enim peccatũ subuersa fuit Iherosolyma. Postremò etiam pœnam prædixit Iacob crucifixoribus Christi: Diuidam inquit eos, quantũ ad intestinas discordias. Et dispergã eos externè per Romanos, id quod nunc videmus factũ, hoc idẽ Dauid prædixit: Deus inquit ostẽdit mihi super inimicos ne occidas eos, &c. Sequitur, disperge illos in virtute tua, &c. *Psal.58.*

Iuda te laudabunt fratres tui, &c.

Hactenus tribus primis nihil boni prædixit, quo innuitur maiorem partem hominum in maledictione permansuros, & vix paucos veram benedictionem consecuturos, quemadmodum & Christus dixit: Multi vocati, pauci verò electi. Ad Iudam igitur perueniens Iacob os suũ latius aperuit. & clarius edicit quod gaudẽter totus exaudiret orbis. Prædicit autem primo temporalia, deinde spiritualia, imo Christum ipsum: nec simpliciter, sed simul totum opus redemptionis subindicãs, scilicet ipsam domini prædicationem, passionem, sepulturam, resurrectionem, victoriam, & vocationem gentium. Hoc primo autem verbo prædicit tribui Iudæ gloriam. Eam autem gloriam ob multa consecuta est tribus Iuda, Primo quia prima post Mosen intrauit mare rubrum, aliis timentibus intrare, Secundò, primò pugnauit contra aduersarios. Tertiò quia reges habuit. Quartò, quia ab ipsa omnes cognominati sunt Iudæi. Quinto quia ex ipsa Christus descendit. Te inquit laudabunt fratres tui. *Iudic.1.*

Manus tuæ in ceruicibus inimicorum, &c.

Prædicit victoriam bellicam, pugnabis inquit & vinces: hoc impletum fuit in Dauide, deinde comparat ipsam tribum leoni, animali, scilicet fortissimo. Catulus inquit leonis Iuda, fuit enim tribus Iuda aliis numerosior & fortior. Ad predam autem descendit, quando Dauid finitimas regiones sibi subiecit. Accubuit & requieuit

vt leo

vt leo, tempore Salomonis, qui pacem habuit per circuitum, adeoq; potens fuit, vt nemo eum lacessere auderet, vnde subdit, Quis suscitabit eum? Omnia tamen hæc perfectissimè in Christo impleta sunt & implentur. Primò laudant ipsum fratres eius, quotquot scilicet per ipsum filii Dei facti sunt. Ideo autem laudant eum, quia manus eius in ceruicibus inimicorum, id est, quia peccatum, mortem & diabolum vicit, ideo autē Christus vincere potuit, quia catulus leonis est, id est, filius altissimi Dei. Ex eadē causa & ad prędā ascēdit, id est, infernū debellauit, quod nemo alius potuit. Prętereа requiescēs ac cubuit, & moriēs sepultus fuit, sed vt leo. Nō enim ideo perdidit fortitudinē suā, nec amisit deitatē. In fine subdit: Quis suscitabit eū? hoc ad resurrectionē Christi pertinet, qua non ab alia, sed propria virtute excitatus fuit,
Ioan. 10. habuit enim potestatem ponendi animam & resumendi.

Non auferetur sceptrum de Iuda, &c.

Hoc citra omnem controuersiam ad Christum pertinet. Primò igitur prædicit tempus Christi venturi, secundò ipsam eius personam, tertiò, regnum eius. Cæterum hunc textum Iudæi multipliciter deprauant, ne cogantur confiteri Christum iam dudum venisse. Aliqui enim eorum volunt hanc prophetiam impletam fuisse tempore Saulis, qui non erat de tribu Iuda, & tamen regnauit, & alii volunt quod tempore Nabuchodonosor impleta sit, quando tribus Iuda captiuata fuit, & regnum cessauit, &c. Alii alia confingunt vt elabātur, sed falluntur. nunquā enim sceptrum & potestas totaliter à tribu Iuda ablata fuit, donec Christus veniret. Nam post Saulem regnauit Dauid & alii: post captiuitatem Babilonicam habuit tribus Iuda ducatum, Tempore autem Christi Herodes alienigena regnum Iudæorum adeptus est, & ab eo tempore plus mille quingentos annos nullam potestatem habuerūt. Hoc igitur dictum fortissime conuincit Iudæos & confirmat fidem nostrā, Nam Christus
Matt. 2. tempore Herodis natus est.

Donec veniat qui mittendus est, &c.

In Hebræo habetur: donec veniat Schilo, quæ dictio nullibi aliàs reperiri dicitur in scriptura, vnde non parua di-

ua discrepantia est inter interpretes. Translatio nostra habet, qui mittendus est: Septuaginta interpretes habet, cui reposita sunt. Translatio Chaldaica habet Messias: propriè autem Schilo significat eum qui in omnibus feliciter agit & prosperatur, & omnia quę incipit ad felicem exitum perducit. Quicquid autē sit de hoc nomine Schilo, certū est quod omnia iam dicta in vnum & solū Christum nostrum competunt, nec vlli alij cōpetere possunt. Ipse enim est qui olim mittendus promittebatur. Ipse est cui reposita erant quæ nemo alius perficere potuit, nēpe redimere genus humanum, aperire cælū, recōciliare Deū, &c. Nō erat qui faceret bonum hoc, nisi vnus Christus, vnde & in Psal. dicit: Sacrificium & oblationem noluisti: *Psal. 13.* tunc dixi, ecce venio. In capite libri scriptum est de me, *Psal. 39.* vt faciam voluntatem tuam, &c. Præterea Christus noster verè est Messiach ille, id est, vnctus, quem pater vnxit oleo lætitiæ præ participibus suis. Postremò ipse est qui *Psal. 44* omnia prosperè egit & perficit, ad finemq; perduxit opera, non obstante quòd totus mundus reclamaret cum principe suo. hoc nemo alius potuit quantumcunque potens. Claret igitur quòd Iacob de ipso Christo Domino nostro locutus sit. Huc pertinet quod in Psal. dicitur: Intende prosperè, procede & regna, &c. *Psal. 44*

Et ipse erit expectatio gentium, &c.

In Hebræo habetur: Et ipsi aggregabuntur gentes, hic igitur aliud testimonium habemus de Christo, nullus alius fuit vnquam ad quē sic accurrerint gētes vt ad Christum: non vi coacti, sed solo verbo tracti: Dent Iudæi alium cui sic adhæserūnt gentes, & consentiemus eis. hoc autem nunquam facere poterunt. Omnes igitur hæ prophetiæ in Christum nostrum competūt, quare certissima est fides nostra, verum audiamus & sequentia.

Ligans ad vineam pullum suum, &c.

Volunt aliqui his verbis prædictā esse tribui Iudæ magnam terræ fertilitatem, imo omnium terræ nascentium abundantiam, adeo vt vel in vino possint lauare vestimēta, & in vineis pascere animalia. Melius tamen ad Christum hæc referuntur, hiis itaque & sequentibus verbis describitur regnum Dei. Et quamuis humilia videantur quæ

quæ hic dicũtur,& vix rustico digna,ligare scilicet asinã & lauare vestimenta,&c. Verè tamen magna per hæc significantur. Primò enim planè ostenditur, hic regnum Christi non carnale sed spirituale futurum. Nihil enim hic de diuitiis, pompa, &c. sed tantum de ligatione & ablutione dicitur, quæ duo apud reges mundi non videmus. Respondet autem hic locus de asina & pullo ei quod in Matthęo dicitur Christum in die palmarum dis-
Matt 2. cipulos præcepisse vt sibi adducerent asinam & pullum. Vbi asina subiugalis significabat populum Iudaicum sub iugo legis seruiẽtem. Pullus autem indomitus super quẽ nullus hominum sederat,significabat gentes,quæ sine omni lege,propria temeritate in omnia vicia se præcipitabant. Vtrumq; populũ Christus vocari iussit & ad se adduci. Eũtes inquit prędicate omni creaturę,&c. Hoc prę-
Mar. 16. uidebat sanctus Iacob: Ligabit inquit ad vineam asinam suam,&c. Emphasim autẽ habet quòd vtrinq; addit pronomen suũ. Asinã inquit suã & pullũ suũ, vtrosq; enim tã Iudęos q̃ gẽtiles ipse creauit. Nec sine causa asinos eos vocat, quid enim aliud sumus nisi asini inertes, si defuerit gratia Dei? Ligabit inquit eos.i.tãta facilitate adducet eos q̃ facilè quis asinũ ligat,id quod factũ esse mani-
Ioan. 15. festũ est. Vitis autem ad quẽ ligantur,ipse Christus est,vi-
Esai. 5. nea aũt ecclesia,iuxta Isaiam. Obserua autẽ ꝙ non solum ad vitem ligat Christus,sed etiã ad vineã,hoc est, nõ solum fideles sibi adiungit & copulat per fidẽ,sed etiam ipsos inter se coniungit. Non satis est igitur ad Christum fideles ducere,nisi eosdem Ecclesiæ agglutinemus. Errãt qui homines ad Christum adducere conantur, & tamen eosdẽ ab Ecclesia separant. Christo vniẽdi sunt fideles p fidem,Ecclesiæ autem per charitatem & vinculum pacis.

Lauabit in vino stolam suam,&c.

Aliud opus Christi,quod etiam nunc in regno suo exercet iuxta illud: Nisi lauero te non habebis partem me-
Ioan. 13. cum. Lauare quidem vestes non videtur regium opus, at tamen Christo maximè cõuenit. Alioqui nisi ipse nos la-
Malac 3. uet,immundi permanemus. Vnde & in Malachia de ipso dicitur: Mundabit & celabit eos quasi argentum, &c. Cæterùm vestimentum Christi nos sumus,imo tota Eccle-

clesia iuxta illud: Sicut adhæret lumbare viro, sic agglutinaui mihi omnem domum Israel, &c. Et rursum: Viuo ego dicit dominus, quia omnibus his velut ornamento vestieris. Hãc vestem, id est, Ecclesiam suam Christus lauit, non simpliciter, sed vino & sanguine vuæ. i. spiritu sancto & sanguine passionis suæ. Vua enim ipse est, de quo in Canticis dicitur: Botrus cypri dilectus meus mihi, hæc vua, siue hic botrus torculari crucis expressus, sanguinem suum fudit & spiritum sanctum dedit, vnde & lauit stolã suam, id est Ecclesiam, vt exhiberet sibi gloriosam sponsam, non habentem maculam neq; rugam. Magno igitur precio redempti & loti sumus, non corruptibilibus scilicet, sed sanguine precioso Christi, &c. *Esa. 49.* *Cantic. 1.* *Ephe. 5.* *1. Petr. 1.*

Pulchriores oculi eius vino, &c.

Oculos huius pulcherrimos septem esse & in Zacharia & in Apocalypsi legimus, qui sunt inquit septem spiritus Dei, missi in omnem terram. Vinum hoc loco vetustam legis auctoritatem significat, sicut & mustum nouam Euangelij gratiam. Constat autem quòd septiformis gratia spiritus sancti, quam accepimus ex gratia Euangelij, vetustate legis pulchrior atq; dulcior est. Dentes quoq; hi sunt qui in corpore eius quod est Ecclesia fortes sunt ad capiendum solidum cibum. Et hi profecto lacte candidiores, id est, illis quibus pro infantia sensuũ lacte literæ opus est, sanctiores atq; pulchriores sunt, vel dentes sunt prædicatores, qui mordent quidẽ & peccata arguũt, sed tamen candidiores sunt lacte, quia arguũt in spiritu mansuetudinis: & cum vino austeritatis etiam oleum gratiæ infundunt. Ex omnibus his patet, quàm manifestè sanctus Iacob regnum Christi prædixerit. Nulli enim alij hæc cõpetere possunt, vt rumpantur Iudæi, &c. Hæc igitur benedictio Iudæ potissima pars est huius capitis. Aliorum enim benedictiones tantum carnales sunt, quare non est opus diutius in illis immorari. *Zach. 4.* *Apoc. 5.* *Matth. 9*

Zabulon in littore maris habitabit, &c.

Nihil de hoc dicit, nisi vbi moraturus sit. Verè enim tribus Zabulon circa littus maris habitauit. Vbi videmus quàm clarè sanctus Iacob futura cognouerit. Imo videmus prouidentiam Dei qua & huic & aliis locum possessio-

fessionis prouidit, & determinauit, ducentis annis antequam in terram Chanáan intrarent. Videbatur quidē sortis aut fortunę esse, quòd huic tribui ea portio euenerit. Verè autem erat Dei ordinatio, bene igitur dictum est:
Prou.16 Sortes mittuntur in sinum, sed à Domino temperantur.

Isachar asinus fortis, &c.

Prædicit huic quòd homines suæ tribus fortes viribus futuri essent, sed ignaui, tantùm terrena quærentes. Vidit inquit requiem quòd esset bona, &c. Prædicit item eā tribum ab hostibus inquietandam, factus est inquit tributis seruiens. Quòd autē dicit: Accubans inter terminos, hoc vult quod intra sortē Zabulon & Neptalim in locis mediterraneis sortē acceptura esset hæc tribus. Quanquam aliqui illud: vidit requiem quòd esset bona, &c. intelligunt de studio scientię & contemplationis, quòd scilicet homines illius tribus vacaturi essent studio legis.

Dan iudicabit populum suum, &c.

Hoc sic exprimit ad ipsius Dan consolationem, ne putaretur minor futurus, propterea quòd ancillæ filius esset. Quæ autem sequũtur in Sampsone impleta sunt, is in via insidiabatur, vt tempore ipsius non auderēt ascēdere in terram Israel. Et sicut Cerastes, id est, cornutus serpēs mordens equi vngulam, facit cadere equitem, absque eo quòd tangat eū, sic Sampson amplexatus est columnas & fecit cadere domum super Philisteos, sicq; plures occi-
Iudic. 16 dit moriens, quàm antea viuus interfecerat. Quòd aũt in fine subdit: Salutare tuum expectabo, Sensus est: Quamuis Sampson talis ac tantus futurus sit, nō tamē erit Messias, sed alius erit expectandus. Doctores aũt nostri hunc locum exponunt de Antichristo: quē de tribu Dan exoriturum putant. Is enim verè & coluber & Cerastes, id est, cornutus serpēs erit, quia contra vitam fidelium cũ morsu pestiferæ prædicationis, armabitur etiam cum cornibus potestatis. Signanter autem coluber futurus dicitur in via, quia eis quos in latitudine vitæ huius ambulare videt, libertatem quidem tribuit, sed interim erroris sui veneno consumet. In semita autem erit Cerastes, quia quos fideles repperit, & sese ad præcepti cælestis angusta itinera constringentes non solum nequitia callidæ persuasionis

ſionis impetet, ſed etiã terrore poteſtatis premet. Equus aũt mundum ſignificat qui per elationẽ ſuam in curſu labentiũ temporum ſpumat. Et quia Antichriſtus extrema mũdi apprehẽdere nititur, vngulã equi mordere dicitur. Aſcenſor equi eſt, quiſquis in dignitatibus ſeculi extollitur, is retro cadit, quia ex hac vita repente decedens, in quæ ſupplicia ducatur ignorat. Et quia Iudæa, erroris ſui laqueis capta, pro Chriſto antichriſtũ expectat, bene Iacob in perſona fideliũ ſubdit: Salutare tuũ expectabo domine, id eſt, nõ ſicut infideles antichriſtũ, ſed eũ qui in redemptionẽ noſtrã venturus eſt, credo fideliter Chriſtũ.

Gad accinctus præliabitur, &c.

Hoc impletũ fuit quando filij Gad accepta ſorte trans Iordanem tranſierunt armati ante filios Iſrael, qui adhuc terram non acceperant. Sic enim ipſi Moſi promiſerant. Quòd autem ſubditur: Et ipſe accingetur retrorſum, ad hoc pertinet quòd tribus Gad rediit in poſſeſsionem ſuã incolumis, nullo amiſſo ex eis. *Ioſue.1.* *Num.32.*

Aſer pinguis panis eius, &c.

Prædicit fertilitatem ſortis tribus Aſer, quia nomine panis omnis cibus deſignatur.

Neptalim ceruus emiſſus, &c.

Impletum eſt in Chriſto qui in terra Zabulom & Neptalim incepit prædicare, & inde euangeliũ eius quaſi ceruus emiſſus totam terrã velociſsimè peruolauit, vnde ſequitur: dãs eloquia pulchritudinis. Quid enim pulchrius & iucundius Euangelio Chriſti? *Matth.4.*

Filius accreſcens Ioſeph, &c.

Hic iterũ latius vt & in Iuda ſanctus pater ſuos pandit affectus, maximè propter Chriſtum quem per prophetiæ ſpiritum, & de Iuda naſciturum, & in Ioſeph fuiſſe præfiguratum videbat. Cæterum quæ hic dicuntur poſſunt & ad perſonam ipſius Ioſeph, & ad ipſius tribum referri, bis aũt nominat eũ filiũ accreſcentẽ. Dupliciter enim creuit, corporaliter in multitudine prolis, & ſpiritualiter in ſanctitate virtutũ. Cõmendat ipſius pulchritudinẽ, nõ quòd corporis pulchritudo in ſe ſit bonũ cõmendabile, ſed ꝙ Ioſepho fuit cauſa magnæ tentationis, imo magnę victoriæ occaſio. Non enim abuſus eſt pulchritudine ſua, &c.

Quòd

Quod autem subdit: filiæ discurrerunt super murũ, notat
Prou.27 lasciuiam mulieris Iosephum adamantis. Sic enim mulier
lasciua garrula est & vaga, & quietis impatiẽs, &c. Quòd
subdit exasperauerunt eum, &c. ad fratres ipsius pertinet,
qui verè Iacula habebant, dentes enim eorum fuerunt arma & sagittę. quando dicebant venite occidamus eũ, &c.
Psal. 56 Sedit in forti arcus eius, &c. Commẽdat, sedem ipsius Ioseph qua in Deo confidens omnia aduersa vicit. Inde pastor egressus est, potest intelligi vel de Iosue duce, vel de Iheroboam rege, vel etiam de ipso Ioseph, qui verè fuit pastor Israel, pauit enim patrem & omnem cognationem suam, &c.

Deus patris tui adiutor tuus, &c.

Imprecatur ei bona, id est, adiutoriũ Dei, quo nihil maius. Deinde benedictiones domini in æternis, &c. Postremo ne dubitet de huiusmodi imprecationibus, addit: Benedictiones inquit patris tui noli friuolas putare, confortatæ enim & stabilitæ sunt per benedictiones patrũ meorum, vt nõ dubium finem vel effectum incertum habeant. Imo tam diu fortes consistant, donec veniat desiderium collium æternorũ, id est, Christus desiderabilis expectatio omnium electorum, fiant inquam in capite Ioseph, &
2.Cor.1. in vertice Nazaræi Christi sancti sanctorum, in quo omnes benedictiones perfectissimè completæ sunt. Benedi-
Phil.2. ctiones cæli & abyssi, vberum & vuluæ, id est, iugiter pa-
Psal.20. rientis & lactantis Ecclesiæ, vt in nomine Iesu omne genu flectatur, &c. De ipso enim dicitur, quoniam præuenisti eum in benedictionibus dulcedinis.

Beniamin lupus rapax, &c.

Hoc exponunt Iudæi de altari vbi immolabantur hostiæ, quod erat in sorte Beniamin, illic enim sacerdotes mane immolabant victimas, ad vesperam aũt diuidebant ea quæ sibi ex lege à populo collata erant. Alij exponunt de tota ciuitate Iherusalem, quæ in sorte Beniamin iacebat. Ea enim meritò lupo cõparatur, quia semper sangui-
Rom.11. nem prophetarũ sitiuit, Et vix tandem ad vesperá mundi ad fidem Christi conuertetur. Melius auté exponitur de Paulo apostolo, qui fuit ex tribu Beniamin, is enim mane fuit lupus rapax, id est, in adolescentia persecutor Eccle-

siæ,

ſiæ,ſed veſpere,id eſt,vſq; ad finé vitæ ſuæ diuiſit ſpolia, de quibus Pſal.ait:Lætabor ego ſuper eloquia tua; ſicut qui inuenit ſpolia multa. *Pſal. 118*

Omnes hi in tribus Iſrael duodecim,&c.

Cum ſupra etiam duos filios Ioſeph adoptauerit, (Sicut Simeon inquit & Leui erunt mihi) videtur quòd non duodecim,ſed quatuordecim ſunt tribus Iſrael. Nã & duo illi filii Ioſeph proprias tribus habuerunt, quæ & inter tribus Iſrael computantur . Sed ſciendum quòd Ephraim in locum patris ſui Ioſeph ſucceſsit, ita vt non duæ,ſed vna tribus eſſet, quæ aliquando tribus Ioſeph, aliquando tribus Ephraim dicta eſt. Deinde tribus Leui hæreditatem inter alias tribus non ſuſcepit. In eius igitur locum ſucceſsit tribus Manaſſe. Habuit quidem Leui propriam tribum, ſed quia ea tribus ad cultum domini ſelecta erat, etiam extra alias tribus numeratur, vt patet Num.3. Sic igitur tantum duodecim remanent,quibus ſorte diuiſa eſt terra. *Su.c.48.* *Num. 1.*

Hæc locutus eſt,benedixitq; ſingulis,&c.

Hactenus futura eis prædixit, ſed non æqualiter omnibus. Nunc autem omnibus & ſingulis benedicit,id eſt, optat & præcatur ſpiritualia, idque ex æquo, quantumuis aliqui eorum ex ancillis nati eſſent. Sic in Eccleſia quo ad gratiam iuſtificãtem omnes æquales ſumus. Hic enim non eſt diſtinctio Iudæi & Græci,maris & fœminæ, domini & ſerui, ſed omnes vnum ſumus in Chriſto, iuxta hoc tamen ſunt diuiſiones gratiarum, quas ſpiritus ſanctus diuidit ſingulis pro vt vult. Alij plus,alii minus,quẽadmodum & Dominus ille in parabola Euãgelica talenta ſeruis ſuis inæqualiter diſtribuit. Mirari hic quiſpiã poſſet cum ſanctus patriarcha in benedictionibus his vel prophetiis potius,nullam mentionem fecerit de ſacerdotio leuitico, quod longè maximum fuit in illo populo, cum longè minora quædam prædixerit. Eſto enim quòd Leui in furore ſuo occiderit virum, filii tamen eius poſtea laudabiliter ceperunt arma in vltionem vituli, proinde & illis tunc dictum eſt : Conſecraſtis hodie manus veſtras domino,&c. Sed obſeruãdum quòd Iacob in exordio capitis huius profeſſus eſt ſe de nouiſsimis diebus *Rom.10.* *1.Cor.12.* *Matt.26* *Exo.32.*

locuturum. Sacerdotium autem Leuiticū ad nouissimos dies, id est, ad finem seculorum non pertinet. Deinde sacerdotium illud Leuiticum, non pro benedictione datum est, sed pro significatione benedictionis fuit cōcessum. Verum autem sacerdotium in tribu Iuda fuit repositum, quod & sanctus non tacuit, lauabit inquit in vino stolam suam. Si enim lauare, id est, pœnitētiam, & remissionem peccatorum dare per sanguinē suū, veri & vnici sacerdotis officium est.

Ecce ego congregor ad populum meum.

Vel hæc vltima verba fidem iusti huius demonstrant. Est enim sensus verbi huius: Videor quidem o filij nunc per mortem à vobis & populo meo separari, imo planè perire, verum contrarium mihi ego persuasi. Non enim pereo, sed ad vitam pergo. Non separabor à meis, sed iā primum ad populum meum congregabor. Scio patres
2.*Mac.* 7 meos viuere etiamnum, & in manu Dei, imo sub testamento vitæ eternæ esse. Credo autem in Deum meum, quòd & me ad illos congregabit. Hæc locutus est pius senex coram filiis suis, vt & ipsos in fide confirmaret, imo ad pietatem inuitaret. Quid enim felicius esse potest quàm sic mori. Verùm nō omnibus hoc datur, nec mirum, non enim omnes piè viuunt. Imitare pium hūc senem in vita, & tunc appropinquante morte nedum cum ipso dices: Ecce congregor ad populum meum, sed etiam dices cum
2.*Tim.* 4. Paulo: in reliquo reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi iustus Iudex.

Sepelite me cum patribus meis, &c.

Animam commendauerat Deo, filiis commendat corpus sepeliendum. Voluit iustus hic sepeliri in terra Chanaan, vt vel sic testaretur se credere eam terrā, olim suam & suorum futuram, filiosque ad idem induceret. Voluit sepeliri cum patribus suis, vt qui eandem cum ipsis fidem secutus fuerat, etiam corpore ipsis iungeretur. Damnatur hic leuitas nostra, qui sponte nos separamus à fideliū sepulturis, proprias instituentes nescio quas, vnde plane prodimur nihil habere commune cum sanctis. Voluit itē sanctus hic in medio terræ promissæ sepeliri, vt omnes sui posteri per ipsius sepulchrum admonerentur ad pietatem

tatem. Ob eandem causam & hactenus Ecclesia prope se suos sepeliuit,& intra ciuitates, & maximè circa templa, vbi fideles frequentius conueniunt, vt per huiusmodi sepulchra admonerentur mortis, itemque fidei & pietatis. Verùm nec hoc nobis nunc placet,adeo vetera displicent,vnde nolumus amplius mortuorum corpora in ciuitatibus sepeliri: sed longe extra ciuitates tantum non eiicimus. Nimirum vt non sit quòd mortis nos commonefaciat, & gaudia nostra interturbet. Sed age quia nouitatis tam cupidi sumus, timendum ne nouum quid nobis immineat, quòd germania nunquam ante experta est. Nolite errare Deus nô irridetur. Nusq̃ legimus sanctos sepulturas tam temerè mutasse, omnes veteres cupierũt in sepulchrum patrum sepeliri, vt patet per totum vetus testamentũ. Imo pro magna pœna Deus quibusdam comminabatur quod sepeliendi non essent, *3. Reg. 21* vt patet de Iesabel. & Ioachim,& filiis Ieroboam. Quòd autem à filiis vult sepeliri, ideo facit, vt occasionem habeant ad pietatem exercendam,& vt alte inbiberent etiã ipsos morituros, felix enim qui scit se moriturum. Memorare nouissima tua,& nunquam peccabis. *Eccle. 7.*

Collegit pedes suos super lectum, &c.

Patet ex hoc quòd omnia supradicta forti animo & integro sensu dixit. Debile erat corpus sed fortis animus, facilem igitur sortitus est mortem, quia iam pridem tot aduersitatibus exercitatus mortem non horrere, sed desiderare didicerat. Qui autem per totam vitam in voluptatibus degunt, hi non tam facile amplectũtur mortem, imo etiam memoria mortis amara ei est. Vis igitur habere leuem & facilem mortem, cura vt viuens adhuc mortifices membra tua.

Ioseph irruit super faciem patris, &c.

Etiam hic videmus pietatem Iosephi, primò quòd patri morienti astitit, deinde quòd etiam mortuum osculatur, vnde facilè coniicere possumus, quantum dilexerit viuentem. Hic igitur impletum est quod Deus sancto seni promiserat, Ioseph ponet manus suas super oculos tuos.

Caput quinquagesimum.

QVod cernens Ioseph, ruit super faciem patris flens & deosculans eum. Præcepitque seruis suis medicis, vt aromatibus condirent patrem. Quibus iussa explentibus, transierũt quadraginta dies: iste quippe mos erat cadauerum conditorum, fleuitq; eum AEgyptus septuaginta diebus. Et expleto planctus tempore, loquutus est Ioseph ad familiam Pharaonis: Si inueni gratiã in conspectu vestro, loquimini in auribus Pharaonis: eò quod pater meus adiurauerit me, dicẽs. En morior, in sepulchro meo quod fodi mihi in Terra Chanaan sepelies me. Ascendã igitur, & sepeliã patrẽ meũ, ac reuertar. Dixitq; ei Pharao: Ascende, & sepeli patrem tuum sicut adiuratus es. Quo ascendente, ierunt cũ eo omnes senes domus Pharaonis, cunctiq; maiores natu Terræ AEgypti: domus Ioseph cũ fratr bus suis, absq; paruulis & gregibus, atq; armentis quæ dereliquerunt in Terra Gessen. Habuit quoq; in comitatu currus & equites: & facta est turba non modica. Veneruntq; ad Aream atad, quæ sita est trans Iordanem: vbi celebrantes exequias planctu magno atque vehemente impleuerunt septem dies. Quod cum vidissent habitatores Terræ Chanaan, dixerunt: Planctus magnus est iste Aegyptiis. Et idcirco vocatum est nomen loci illius, Planctus Aegypti. Fecerunt ergo filij Iacob sicut præceperat eis: Et portantes eum in Terram Chanaan, sepelierunt eum in spelunca duplici, quam emerat Abraham cum agro in possessionẽ sepulchri ab Ephron Hethæo contra faciem Mambre. Reuersusq; est Ioseph in AEgyptum cum fratribus suis, & omni comitatu, sepulto patre. Quo mortuo, timentes fratres eius, & mutuo colloquentes, Ne fortè memor sit iniuriæ quam passus est, & reddat nobis omne malum quod fecimus, mandauerunt ei dicentes, pater tuus præcepit nobis antequam moreretur, vt hæc tibi verbis illius diceremus: Obsecro vt obliuiscaris sceleris fratrum tuorum, & peccati atq; malitiæ quam exercuerunt in te, nos quoque oramus vt seruo Dei patri tuo dimittas iniquitatem hanc. Quibus auditis fleuit Ioseph. Veneruntq; ad eum fratres sui: & proni adorantes dixerunt: Serui tui sumus. Quibus ille respondit: Nolite timere: num Dei possumus resistere voluntati? Vos cogitastis de me malum, sed Deus vertit illud in bonum: vt exaltaret me: sicut in præsentiarũ cernitis, & saluos faceret multos populos. Nolite timere: ego pascã vos & paruulos vestros, consolatusq; est eos, & blandè ac leniter

est locutus. Et habitauit in AEgypto cum omni domo patris sui: vixitque centum decem annis. Et vidit Ephraim filios vsque ad tertiam generationem. Filij quoq; Machir filij Manasse nati sunt in genibus Ioseph. Quibus transactis loquutus est fratribus suis: Post mortem meam Deus visitauit vos, & ascendere vos faciet de terra ista ad terram quam iurauit Abraham, Isaac, & Iacob. Cumq; adiurasset eos, atque dixisset: Deus visitabit vos, asportate ossa mea vobiscum de loco isto: mortuus est expletis cẽtum decem vitæ suæ annis. Et conditus aromatibus, repositus est loculo in AEgypto.

IN hoc capite Moses mortem duorum patriarcharum describit, ipsius scilicet Iacob & Ioseph, & cum hoc concludit librum illum primum, vt nos quoque hinc admoneamur morte omnia finiri. Videmus autem in vtroque quàm verè dictum sit, preciosa est mors sanctorum in conspectu domini. Et quod iustè viuẽtibus mors nihil aliud est, quàm somnus. *Psal. 115*

Præcepit Ioseph medicis vt condirent, &c.

Videtur Ioseph nedum sumptuose, sed etiam superstitiose curasse funus patris. Nihil tamen horum est, si recte singula perpendimus. Primò enim non curiositatis, sed necessitatis erat condere corpus, eo quod tam longe deportandum erat. Deinde quòd quadraginta diebus vnxerunt, & septuaginta duobus luxerunt. Non ipsius Iosephi præcepto factum est, sed sic erat mos Aegyptiorũ receptus, ideo & se illis conformauit. Nos conformari decet moribus receptis Ecclesiæ catholicæ. Quod autẽ etiam Aegyptij sanctum virum luxerunt, signũ est quam piè apud ipsos vixerit. Verè enim fletu dignum est, vbi pij moriuntur & impij remanent. Meritò autem tũc mortuos deflerunt, quia nondum mors erat deuicta. Nunc autem nobis interdicitur ne contristemur propter mortuos. Quodq; nec hi dánari possint, qui ex naturali affectu mortuos deplorant, dummodo id non fiat ex incredulitate, aut nimium fiat. *1. Thes. 4*

Si inueni gratiam in conspectu vestro, &c.

Hoc vtique intendit Ioseph, vt in transferendo patrẽ vitaret inuidiam, præcludendo os obloquentium, qui

fortè dicerent: quia non diligit terram nostram, idcirco iuramentum patri præstitum commemorat. Cæterum quamuis secundus à rege esset & regi acceptissimus, tamen non per se ipsum accedit regem, ne vel regem à funere veniens molestaret, vel vt nihil per audaciam facere videretur, vel vt aulicorum fauorē in se experiretur, quandoquidem difficile impetrandam translationem putauit corporis.

Ascendam & reuertar, &c.

Hoc addit vt regi mentem adimat, ne putet eum omnino fugere velle. Reuertitur autē Ioseph, nondū enim peccata Amorrhceorum completa erant, etiam nondum Aegyptiorum seueritas cœperat. Denique nec dum filii Israel creuerant & exercitati fuerant, ad gratius Dei bonitatem percipiendam.

Ascende & sepeli patrem tuum, &c.

Non obseruare iuramentum etiam ethnico regi irreligiosum videtur. Itemq; vltima voluntate fraudare patrem & extra paratam sepulturam sepelire tātum virum. damnatur hic leuitas nostra, imo impietas nostra, qua parentes nostros contra voluntatem ipsorum sepelimus, nescio quo, & ordinarias sepulturas eis inuidemus, omnibus feris immaniores, quòd parentes & fratres nostros mortuos quasi extraneos à nobis, imo ex vrbib⁹ eiicimus

Ascenderunt cum eo omnes serui Pharaonis, &c.

Mirum Dei opus quòd increduli iusto etiam mortuo seruiunt. Cæterum etiam hic confunditur impietas nostra, qui ne parentibus quidem nostris ea præstamus quę Ethnici illi extraneo sed iusto pręstiterūt. Videbant etiā ipsi iustum etiā post mortem omni honore dignum, quanto magis nos ea decent, cum certò sciamus eos viuere apud Deum. Charitas nunquam excidere debet, iuxta Paulum: Imo etiam post mortem manere: quod vtinam
1. Cor. 13. apud nos fieret. De exequiis autem celebratis nihil dicitur, quanquam luctum habuerint septem diebus. Ecclesia iam inde ab antiquo meliores exequias habuit nimirum orationes, consolationes, doctrinas, admonitiones, eleemosyuas, &c. Quorū omnium vestigia adhuc habemus, tametsi multum veneno illo auaritiæ inquinata. Sic

igitur

igitur iusti Iacob vitam virtutibus & tentationibus plenam habemus, quam vtinam vel à longe imitaremur.

Videntes autem fratres eius quod mortuus, &c.

Quantumuis Ioseph in gratiam eos recepisset, ac multa bona eis præstitisset, adhuc tamen timent: tantum malum est peccatum, quòd perpetuo angit conscientiam. Non enim est pax impiis, &c. Sic adhuc etiam post auditum Euangelium & suscepta sacramenta, vix conquiescit conscientia peccatorum, maximè tempore mortis, vnde subinde opus habet noua consolatione. *Esa. 48.*

Pater tuus præcepit antequam moreretur, &c.

Quantumuis timerent, non tamen fugiunt Iosephum, sed ad ipsum accurrunt, se humiliantes, & adorant, confitentur peccatum suum, petunt sibi ignosci. Deniq; non propria merita allegant, sed solam patris charitatem. Hæc sunt quæ & nobis facienda sunt, vbi conscientia nos premit.

Quibus auditis fleuit Ioseph, &c.

Sanctissimum & optimum donationis vel remissionis genus est, vbi illis qui peccauerunt non flentibus, sed tantummodo confitentibus, solus ille flet qui peccatis offensus ignoscit. Eodem modo & Christus nedum gratis nobis remisit peccata, sed insuper & fleuit compatiendo nobis. Nec solum lachrymas, sed & sanguinem fudit, nobis ne nunc quidem flentibus. Deinde quod primò fratribus se manifestans Ioseph dixerat: Nolite timere, &c. hoc & nunc in fine repetit. Nec nobis satis est quòd in baptismo Christus gratiam nobis promisit, nisi etiam in morte nos consoletur. Quantumuis autem Ioseph fratribus compatiatur, tamen iuxta hoc peccatum eorum ipsis ob oculos ponit, videlicet vt ita de remissione gauderent, vt tamen à sollicitudine iudicij Dei mentis oculos non claudant. Sic prælati facile quidem peccantibus dimittant. Imo bona pro malis retribuant, sed de iudicio Dei peccatores securos esse non sinant. Insigne igitur hic exemplum veræ charitatis habemus in eo quòd Ioseph tam facile & ex animo remisit, fratribus inauditam illam maliciam, quam in eum exercuerant. Ideo autem tam facilè remittere potuit, quia non quod ipsi fecerint, sed Dei

ordinationem attendebat. Quis inquit poteſt reſiſtere voluntati Dei,&c. vos cogitaſtis de me malum,&c.

Vixit autem Iacob centum decem annos,&c.

Hoc addit Moſes vt videamus quãto tempore Ioſeph in Aegypto regnauerit,nempe octoginta annis, cum tantum quatuordecim annis in miſeria fuiſſet,nimirum à ſexto decimo anno vſque ad triceſimum. Verum igitur eſt quod Paulus ait, tempus tribulationis eſſe breue & mo-
2.Cor. 4 mentaneum,ſi ad futuram remunerationem conferatur.

Poſt mortem meam Deus viſitabit vos,&c.

Nihil certius morte,quam tamen iuſti non timent, ſed gaudenter expectant. Prophetice autem prædicit, quòd
Hebr.12. educendi eſſent olim ex Aegypto, vnde Paulus: fide inquit Ioſeph moriens de perfectione filiorum Iſraelis memoratus eſt,& de oſsibus ſuis mãdauit. Quod autem iuſſit oſſa ſua non ſtatim poſt mortem (ne Aegyptios offenderet) ſed tempore generalis viſitationis aſportari ex Aegypto,indicium fidei eius eſt, quod deſiderabat terram promiſſam. Cupiebat illic inueniri, vbi ſanguis Chriſti infundendus erat. Denique horrebat incolatum Aegypti omnibus nobis in exemplum. Merito autem conditur mortuum corpus eius aromatibus, cuius mens in vita tantis virtutibus plena fuit.

FINIS.

Soli Deo gloria.

1.006.595

L,